


BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
32
5 B
17
FONDO EBORENSE

SUMMA ALEXANDRINA,

Sive

Reverendi admod. & Sapientissimi P. M.

F. NATALIS

ALEXANDRI

In Sacra Facultate Parisiensi S. Theologiæ Doctoris & Professoris emeriti, Provinciæ Parisiensis Provincialis dignissimi, Ordinis Prædicatorum,

THEOLOGIÆ MORALIS COMPENDIUM ABSOLUTISSIMUM

Per

FRANCISCUM BASSELIERS

Antverpiensem,

In Archigymnasio Sapientiæ Romanæ, S. Theol. & J. U. D. Prothonotarium Apostolicum;



SUMMO PONTIFICI CLEMENTI XI.

PARS PRIMA





ROMÆ, MDCCV.
Typis Joannis Jacobi Komarek Bohem.
Superiorum permissu.

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO
Felicitatem.

BEATISSIME PATER,

DUm *ad* SANCTITATIS VESTRÆ *pedes, & falli nescium Tribunal certatim confluunt quique Eruditi, & suas lucubra-*

tiones demiſsè deponunt, ut ab ea, ceù à Divino Oraculo diſcant, nùm rectam teneant Fidei Regulam, nùm integram caſtamve ſervent morum diſciplinam (quæ indivulſæ ſunt ad Beatitatem ſemitæ, cum altera ſine altera nihil proſit ad ſalutem:) noviſſimè viſum eſt & mihi tanquàm abortivo, non meæ quidem, quæ prorsùs nulla eſt, ſed alienæ eruditionis haud ignobile argumentum ad idem ſacrum deferre Tribunal; hocce, inquàm: Natalis Alexandri Theologiæ Moralis Compendium *: quo in im-*

men-

mensum propemodùm ab Auctore suo coacervata, & è purissimis Sacræ Scripturæ Traditionisve fontibus perpetuò derivata Christianæ Moralis Dogmata ad breviorem formam contrahendo, Tyronum prolixiori rerum, etiam optimarum, lectione sæpenumerò fatiscentium, consulere conatus sum fastidio. En igitur, BEATISSIME PATER, *ad Pedes sacros depositum Natalis Alexandri Theologiæ Moralis Opus, quod integrum aliàs* SANCTITATI VESTRÆ *oblatum fuit, & acceptum, sed contractum potiùs ei of-*

ferri debuit; nihil enim, quamvis eximium, coram ſuprema Tua Majeſtate, comparere decet niſi humiliatum, & demiſſum. Cui Operi, ut eos uberiores fructus referat, quos notiſſimus ille Tuus pro ſanctiori doctrina, & diſciplina zelus ardenter exoptat, Benedictionem Tuam impertiri digneris, ut & mihi ad ſacrorum Pedum oſcula humillimè proſtrato.

SANCTITATIS VESTRÆ

Humillimo & obedientiſſimo Filio
Franciſco Baſſeliers.

AP-

APPROBATIO

Reverendi admodùm Patris Quintini à S. Carolo, Carmelitarum Excalceatorum Procuratoris Generalis, olim S. Theol. Prælectoris.

EX commiſſione Reverendiſſimi in Chriſto Patris Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri legi *Summam Alexandrinam* ab Eximio D. Franciſco Baſſeliers Sac. Theologiæ & J. U. Doctore concinnatam. Hoc opus quantitate molis exiguum eſt, ſed quantitate virtutis immenſum; quippe quod in parvo complectitur Viri Orbe Literario celeberrimi (Natalis inquam Alexandri:) totam Theologiam Moralem, quæ adeò mirabiliter reſtringitur in hac Summa, ut nihil ſuæ magnitudinis deperdat: quidquid enim ea in Theologia diffusè, non minùs ac diſertè docet Alexander, hìc unitìm ac ſucculentè expreſſum reperies. Diceres alium Eliſæum puero coæquatum, non tamen ſe ipsô minorem. Valet aliunde comparatio. Quemadmodùm enim Propheta puero commenſus, ei mortuo vitam tribuit: ſic Alexander nobis abbreviatus viam pandit ad vitam cuicumque legenti: ineſt enim Doctrina ſinè errore facilis; Diſciplina ſinè laxitate omnibus accommodata; cunctis via ad virtutem admodùm brevis. Ad ejuſdem vitæ ſcopum per ſe ipſum collimat Moralis Alexandri: ſed via longa, nec omnibus patens. Semitam cunctis aperuit Fran-

ciſcus Baſſeliers, nunquàm tamen à Magiſtro recedens; utpotè qui illius & mentem, & verba ipſa profert, ut vegetiores aquæ in ſuo fonte bibantur. Quæ cùm ita ſint, dignum eſt Opus, ut in lucem edatur.

Ita cenſeo ego Fr. Quintinus à S. Carolo, Carmelitar. Excalc. Proc. Gen. olim S. Theol. Prælector. Romæ hac die 17. Maii 1705.

AP-

APPROBATIO

Reverendi admodùm Patris Magistri & Theologi Casanatensis F. Pauli Cauvini Ord. Præd.

JUssu Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apostolici Magistri exhibita est mihi *Summa Alexandrina* ab Eximio Domino Francisco Basseliers Sacræ Theologiæ, ac utriusque Juris Doctore operosè satis, ac recto ordine disposita, in qua non solùm Fidei, ac morum disciplinæ nihil adversum contineri censeo, sed tantam sacræ eruditionis, seu Divinorum eloquiorum, Conciliorum, sacrorum Canonum, Sanctorúmque Patrum segetem reperi, ut universi Casuum Arbitri pro eorum quamlibet difficilibus solutionibus plurimam sibi lucem comparare, sive consequi valeant. Quamobrem ad omniũ emolumentum, & fructum non tantùm arbitror dignam ut in lucem prodeat, sed quòd eidem quoque laudato Doctori pro tam operoso studio, ac beneficio gratulentur. Romæ 20. Julii 1705.

Fr. Paulus Maria Cauvinus Magister, ac Theologus Casanatensis, Ord. Præd.

LECTORI

Non tibi, Benevole Lector, sed mihi laborabam, dum hoc Theologiæ Compendium adornabam: nec enim eâ sum ætate aut eruditione, ut scribendo credam me aliis posse prodesse. Verùm, cum hoc ipsum Compendium magni nominis Theologi sit Opus Orbe Literario celeberrimum, ad gratam brevitatem contractum, Viris primi in Ecclesiastica Dignitate Ordinis visum est boni publici futurum, si quod privato meo commodo paraveram in S. Theologiæ Candidatorum communem conferrem utilitatem: quod dum præsto, unum te velim monitum, ex Theologiæ *Natalis Alexandri* Parte Dogmaticâ vix quidquam me delibâsse, cùm ad Controversiam Fidei magis spectet Pars illa, quæ mei nunc non est instituti: at verò ad Moralem quod attinet,

net, eam ſic contrahere conatus ſum; ut pauca admodùm in vaſtiſſimo Opere, etiam in Epiſtolis ultimæ editioni additis (quas juxta materiarum ordinem digeſſi) ſis reperturus, quæ in hoc Compendium haud congeſſerim. Illud in quatuor Partes & totidem Tomos manuales, pro majori tua commoditate tribui; quarum Prima tractat de Sacramentis; Secunda complectitur quaſdam neceſſarias ad Sacramenta Appendices; Tertia agit de Peccatis; Quarta de Legibus. In eo porrò nihil offendes, quod quemquam lædere poſſit; cùm ubique propriâ Auctoris modeſtiſſimi utar phraſi & dialecto, ſalvâ cujuſque pace & auctoritate. Comperies verò (fidenter dico) uti in Opere integro, ita & in hoc illius Compendio ALEXANDRI VII. P. M. impletum votum, quô, ut ab aliquo ex Dominicanorum Familia Theologo, Moralis Theologia juxta

ta tutiſſima & inconcuſſa Angelici Præceptoris S. THOMÆ AQUINATIS Dogmata componeretur, expurgandæ Theologiæ nuper nimiùm laxatæ zelô planè Apoſtolicô optabat vehementer. Vale, & qualicunque hôc fruere labore.

DE

DECRETA
SUMMORUM PONTIFICUM

Quibus

Pleræque corruptæ Moralis Propositiones damnantur.

Designatis in margine, hujus Summæ locis, in quibus eædem Propositiones referuntur & impugnantur: aut Momenta adducuntur, quibus valeant impugnari.

DECRETUM
ALEXANDRI VII.
PONTIFICIS MAXIMI,

Quo Propositiones XXVIII. contra sanam Moralem & Ecclesiasticam Disciplinam vulgatæ damnantur.

*Fer.*V. *die* XIV. *Septembris 1665.*

IN Congregatione generali sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio ApostolicoMontis Quirinalis coramSanctissimoDomino nostro D. Alexandro divinâ ProvidentiâPapa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota republicaChristiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAN

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER audivit non sinè magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magìs excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorúmque Patrum Doctrinâ; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quarè nè ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in Animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem SS. Dominus noster oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosâ latáque, per quam itur ad perditionem, viâ, pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam revocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Emis & Rmis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit: qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis Propositionibus, super unaquá-

que

que ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ Singulatim exposuerunt.

Propositio	Par.	Pag.	Num.
Propositio prima. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*	4.	172.	235.
2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*	3. 4.	184. 510.	219. 645.
3. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.*	2.	32.	50.
4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*		Ibid.	
5. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.*	4.	268.	359.
6. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus:*	3.	482.	572.
7 *Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum*	3.	483.	573.

Par.	Pag.	Num.	
			sum absolvere absque onere denunciandi.
1.	198.	306.	8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.*
1.	198.	304.	9. *Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*
1.	194.	302.	10. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.*
1.	294.	456.	11. *Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*
1.	345.	553.	12. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis; non obtenta ad id Episcoporum facultate.*
1.	327.	513.	13. *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*
1.	283.	441.	14. *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*
1.	388.	631.	15. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

16. *Qui*

	Par.	Pag.	Num.
16. *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*	1.	336.	537.
17. *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.*	4.	494.	632.
18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.*		Ibid.	
19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*	4.	494.	633.
20. *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eò quòd sit pœna.*	2.	483.	991.
21. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.*	2.	482.	991.
22. *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratìs, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro*	2.	392.	694.

Par. Pag. Num. *pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

4. 419. 547. *23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

3. 512. 607. *24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt ejusdem speciei infimæ, ideòque sufficit dicere in confessione, Se procurasse pollutionem.*

1. 291. 451. *25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

3. 83. 106. *26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

3. 60. 79. & 80. *27. Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem.*

4. 35. 58. *28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura & studium impenditur, intereà idem Sanctissimus re maturè consideratâ statuit, & decernit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm tanquam scandalosas,

esse

esse damnandas,& prohibendas,sicut eas damnat & ptohibet :itaut quicumque illas aut conjunctim aut divisim docuerit, defenderit,ediderit,aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit,nisi forsan impugnando,ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio,quacũque etiam dignitate fulgente , nisi pro tempore existente Romano Pontifice,absolvi .

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ,&sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis , dignitatis ac statûs,etiam speciali & specialissimâ notâ dignis,ne prædictas opiniones , aut aliquam ipsarum ad praxim deducant .

JOANNES LUPUS sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis Not.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1665. *Indictione tertiâ,die verò secunda mensis Octobris , Pontificatûs autem Sanctissimi inChristoPatris& Domini nostri D.Alexandri divinâProvidentiâ Papæ VII. anno undecimo,supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum,Cancellariæ Apostolicæ,in acie Campi Floræ,ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis , per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D.N.Papæ,& Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem .*

ALE-

ALEXANDRI VII.

SUMMI PONTIFICIS

DECRETUM ALTERUM,

Quo Propositiones XVII. in materia Morum damnantur.

Feria v. die 18. *Martii* 1666.

IN Congregatione generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro divinâ Providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendiss. DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER post latum Decretum die 24. Septembris proximè elapsi, quo vigintiocto Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò & accuratè usque ad hanc diem infra scriptis aliis quadragesimumquintum numerum implentibus, per plures in Sac. Theologia Magistros, ac per Emos & Rmos DD. Cardinales adversùs hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singulatim super unaquaque ipsarum audivit.

Pro-

	Par.	Pag.	Num
Propoſitio 29. *In die jejunii qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*	4.	444.	580.
30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare an labor ſit compatibilis cum jejunio.*	4.	426.	557.
31. *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii, omnes illi qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*	4	427.	557.
32. *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima obliget.*	4.	443.	570.
33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.*	2.	482.	991.
34. *In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.*	2.	505.	1015.
35. *Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.*	2.	482.	991.
36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti Privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.*	1.	345.	553.
37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè ſunt revalidatæ.*		Ibid.	
38. *Mandatum Tridentini factum Sa-*	1.	153.	239.

Par. Pag. Num. *cerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.*

39. *Illa particula,* quamprimùm, *in-*
Ibid. *telligitur, cùm Sacerdos suo tempore con-*
fitebitur.

40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob*
4. 591. 715. *delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusô periculo consensûs ulterioris & pollutionis.*

41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis*
3. 462. 542. *utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò* regalo, *dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non re-*
2. 446. 523. *petendam sortem usque ad certum tempus.*

43. *Annuũ legatum pro anima relictũ, non durat plus quàm per decem annos.*

1. 173. 274. & 275. 44. *Quoad forum conscientiæ, Reô correctô, ejusque contumaciâ cessante, ces-*
2. 91. 458. & seqq. *sant censuræ.*

45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibi-*
4. 184. 249. *tâ diligentiâ corrigantur.*

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut mi-

minimùm, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat & prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quâcumque etiam dignitare fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis ac ſtatûs, etiam ſpeciali & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas ſopiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

JOANES LUPUS ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis Not.

Loco † ſigilli.

Anno à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti 1666. Indictione quarta, die verò 23. menſis Martii, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Alexandri divinâ Providentiâ Papæ VII. anno undecimo, ſupradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad val-

vas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

DECRETUM INNOCENTII XI. PONTIFICIS MAXIMI,

Quo Moralis corruptæ Propositiones lxv. damnantur.

Feria v. *secunda Martii* 1679.

IN generali Congregatione sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D.N.D. Innocentio divinâ Providentiâ Papa Undecimo, ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre

bre opus in segregandis noxiis doctrinarũ pascuis ab innoxiis à felicis recordationis Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas Propositiones partim ex diversis vel Libris vel Thesibus, seu Scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus subjecit.

Quibus Propositionibus sedulò & accuratè sæpiùs discussis, eorúmque Eminentissimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis: idem Sanctissimus D. N. re posteà maturè considerata, statuit & decrevit pro nunc sequentes Propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimùm tamquàm scandalosas, & in praxi perniciosas esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc Decretum alias Propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet & ex quacũque parte exhibitas vel exhibendas, ullatenus approbare.

Par.	Pag.	Num.
1.	16.	19.
3.	84.	108.

1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc senten-*

Par. Pag. Num. *tia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

3. 84. 106. 2. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.*

3. 54. 74. 3. *Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper*
Ibid. *prudenter agimus.*

4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.*

4. 204. 277. 5. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret condemnare non audemus.*

Ibid 6. *Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquennils per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

Ibid. 7. *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus.*

3. 579. 696. 8. *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

1. 527. 987. & seqq. 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ ac defectu veniali.*

4. 217 288. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.*

11.

	Par.	Pag.	Num.
11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*	4.	217.	288.
12. *Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.*	3.	354.	425.
13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*	4.	220.	292.
14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas.*	4.	465.	600.
15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*		Ibid.	
16. *Fides non consetur cadere sub præceptum speciale & secundùm se.*	4.	172.	235.
17. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.*	4.	172.	235.
18. *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.*	4.	174.	237.
19. *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus*	4.	156.	216.

Par.	Pag.	Num.	
			quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.
4.	159.	218.	20. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.*
4.	160.	220.	21. *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; imò cum formidine quâ quis formidet ne non sit locutus Deus.*
4.	162.	221.	22. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*
4.	162.	221.	23. *Fides latè dicta testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.*
4.	356.	455.	24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem.*
4	361.	464.	25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*
	Ibid.		26. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quidvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.*
4.	745.	838.	27. *Causa justa utendi his amphibologiis*

	Par.	Pag.	Num
logiis est, quotiès id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.			
28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*	4.	362.	464.
29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*	3.	184.	219.
30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*	4.	494.	632.
31. *Regulariter occidere possumus furem pro conservatione unius aurei.*	4.	490.	628.
32. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus: & quæ nos possessuros speramus.*	4.	491.	629.
33. *Licitum est tam hæredi, quàm legatario, contra injustè impedientem nè vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur*		Ibid.	

Par. Pag. Num. *tur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.*

4. 514. 650. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, nè puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

4. 514. 650. 35. *Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere cùm paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

4. 605. 730. 36. *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

4. 609. 733. 37. *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

4. 608. 732. 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortatis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

4. 662. 791. 39. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

3. 415. 480. 40. *Contractus Mohatra licitus est, etiam repectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.*

3. 416. 482. 41. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit*

	Par.	Pag.	Num.
sit numerandā, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.			
42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquàm ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquàm ex justitia debitum.*	3. 3.	379. 419.	449. 488.
43. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?*	3.	548.	643.
44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*		Ibid.	
45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquàm pretium, sed dumtaxat tanquàm motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*	2.	392.	894.
46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut pluris æstimetur quàm res spiritualis.*	2.	393.	894.
47. *Cùm dixit Concilium Tridentinum, Eos alienis peccatis communicantes*	2.	348.	846.

ar.. Pag. Num. *tes mortaliter peccare, qui, non quos digniores & Ecclesiæ magìs utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc,* digniores, *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò, locutione minùs propriâ ponit* digniores, *ut excludat indignos non verò dignos; vel tantùm loquitur tertiò, quando fit concursus.*

48. *Tam clarum videtur, fornicationem*
3. 457. 537. *nem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.*

49. *Mollities jure naturæ probibita*
3. 498. 590. *non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

4. 574. 703. 50. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeòque sufficit in Confessione dicere, Se esse fornicatum.*

51. *Famulus, qui submissis humeris*
3. 184. 219 *scienter adjuvat herum suum ascendere*
3. 495. 586. *per fenestras ad stuprandum virginem, & multotiès eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta nè à domino malè tractetur,*

nè

	Par.	Pag.	Num.
nè torvis oculis aspiciatur, nè domô expellatur.			
52. *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*	4.	406.	526.
53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor, à diversis celebrantibus audit.*	4.	412.	537.
54. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*	2.	484.	995.
55. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.*	1.	118.	198.
56. *Frequens Confessio & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*	1.	170.	266.
57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.*	1.	248.	391.
58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*	1.	289. 302.	450. & 467.
59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessum ratione magni concursûs Pœnitentium, qualis verbi gratiâ potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis aut Indulgentiæ.*			
60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, vel Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla apa-*	1.	406.	658.

Par. Pag. Num. *pareat, nec est neganda, nec differenda Absolutio, dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

1. 404. 654. *61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult dimittere, quin imò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

Ibid. *62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua aut utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

Ibid. *63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.*

1. 396. 644. *64. Absolutionis capax est homo, quantumvìs laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

4. 169. 229. *65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.*

Quicunque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis, illas vel illarum aliquam, conjunctìm vel divisìm defenderit, vel ediderit, vel de eis disputaverit, publicè aut privatìm tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ Sententiæ, à qua non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgen-

gente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè & in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi Fidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis & statûs, etiam speciali & specialissimâ notâ dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores & Scholastici, aut alii quicumque imposterùm se abstineant, & ut paci & charitati consulant, idem Sanctissimus in virtute sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in Libris imprimendis ac Manuscriptis, quàm in Thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni Censura & Nota, nec non à quibuscumque conviciis, contra eas Propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à Sancta Sede, re cognita, super iisdem Propositionibus judicium proferatur.

FRANCISCUS RICHARDUS,

Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † Sigilli.

Anno

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi, MDCLXXIX. Indictione secundâ, die verò quartâ mensis Martii, Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ XI. anno tertio, supradictum decretũ affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, at in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Franciscum Perrinum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.



DE-

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTIS.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1. SACRAMENTUM *est invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum*. Signum, inquam, practicum & efficax, Gratiam scilicet, quæ res Sacra est per ipsum significata in suscipientibus, modò nullum obicem apponant; operans. Qua ratione à definitione Sacramenti excluduntur creaturæ sensibiles, quæ licèt aliquid sacrum significent, scilicet sapientiam & bonitatem divinam quatenus sunt in seipsis sacræ, non tamen quatenus nos per eas sanctificamur. Unde Sacramenta dici non possunt, quia Sacramentum est signum rei sacræ in quantum sanctificat homines, ut ratiocinatur *S. Thomas* 3. P. Quæst. 60. Articulo 3. Hac etiam ratione differunt Sacramenta Novæ Legis à Sacramentis Veteris Legis, quæ ob eam tantùm rem à Deo hominibus commendata sunt, ut aliquid si-

Definitio Sacramenti.

PARS I. Art. I.

gnificarent, in memoriam revocarent, aut promitterent: Cujuſmodi fuerunt Circumciſio, Legis purificationes, Panis azymus, Sacrificia, & ceteræ Moſaici cultûs ceremoniæ.

Sacramẽta ex Dei inſtitutione ſigna ſunt practica, & efficacia.

2. Ex Dei autem inſtitutione Sacramenta ſignificandi vim habent, cùm ſolus Deus ſit Sacramentorum autor, uti & Fidei & Religionis. Unde Aqua Benedicta, ſignum crucis, tunſio pectoris, Benedictio Epiſcopalis, in Sacramentorum numero non cenſentur, tum ob alias rationes, tum quòd Ritus non ſint à Deo immediatè inſtituti, ſed ab Eccleſia.

Sacramẽtorum novæ Legis triplex ſignificatio.

3. Triplex autem eſt in Sacramentis Novæ Legis ſignificatio: Significant enim rem aliquam præteritam, Chriſti ſcilicet Redemptoris Paſſionem, quæ ſanctitatis cauſa eſt: Rem præſentem indicant, ſcilicet gratiam, quam operantur: Rem futuram prænuntiant, ſcilicet æternam beatitudinem, ad quam ſanctitas noſtra velut ad finem referri debet.

Sacramẽtorum neceſſitas. Duplex neceſſitas, una medii, alia præcepti.

4. Circa Sacramentorum neceſſitatem, obſervandum eſt, neceſſitatem aliam eſſe præcepti, aliam medii. Prima, eſt obligatio à mandato Superioris profecta: Altera eſt abſoluta obligatio ex inſtitutione medii derivata. Omiſſio ejus quod primo tantùm modo neceſſarium eſt, legitimâ cauſâ poteſt excuſari; nec ſalutis æternæ diſpendium patitur, qui legis poſitivæ præceptum, qua-

tenus

tenus præcisè tale eſt, non implet, cùm graves & legitimæ cauſæ prohibent, ſive illius executionem impoſſibilem reddunt. Omiſſio vel defectus ejus, quod ſecundo modo neceſſarium eſt, nuſquam, & nulla ratione poteſt excuſari. Unde in æternum perit, quiſquis non adhibet, vel cui non adhibetur medium ad ſalutem æternam neceſſarium.

Non omnia ſingulis neceſſaria.

5. Sacramenta Novæ Legis neceſſaria ſunt ad ſalutem, quædam ſimpliciter neceſſitate medii & præcepti: quædam ſolâ neceſſitate præcepti: Non tamen omnia ſingulis. Concil. Triden. Seſſione 7. Canone 4. Baptiſmus quidem & Pœnitentia, quæ duo Sacramenta mortuorum à Theologis vocantur, quòd ad primam gratiam conferendam, & vitam animæ per peccatum mortuæ reſtituendam inſtituta ſint, non ſolùm præcepti, ſed & medii neceſſitate ſunt neceſſaria; Baptiſmus omnibus, Pœnitentia autem iis, qui gratiam regenerationis in Baptiſmo perceptam peccato mortali profligarunt. Quamobrem nemo homo ſine Baptiſmo, vel in re, vel in voto ſuſcepto, ſalutem æternam conſequi poteſt, ſecundùm Chriſti oraculum, Johannis 3. 5. *Amen, Amen dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Nemo pariter in lethale peccatum poſt Baptiſmum prolapſus, abſque Pœnitentiæ Sacramento, in re, vel in voto ſuſcepto, ad ſalutem æternam pervenire poteſt,

Quæ Sacramenta mortuorū, & cur ita appellata.

PARS I. Art. I. *Quæ vivorum.*

teſt, ſecundùm alterum Chriſti oraculum; Lucæ 13. 5. *Si Pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*. Alia verò, quæ vivorum Sacramenta dicuntur, quòd vitam ſpiritualem in ſuſcipientibus exigant, & ad augendam gratiam ſint inſtituta, ſcilicet Confirmatio, Euchariſtia, Extrema-Unctio. Ordo, Matrimonium, neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti affirmativi (ut Theologi de Schola loquuntur) id eſt, in certis rerum circumſtantiis & temporum opportunitatibus obligantis. Non tamen omnia ſingulis hominibus neceſſaria ſunt. Non enim ſingulos ſacris Ordinibus initiari, vel Matrimonio jungi neceſſe eſt: quamvis Eccleſiæ ſimpliciter neceſſaria ſint Ordinis & Matrimonii Sacramenta: illud ad Miniſtrorum conſecrationem: iſtud ad hominum, qui Chriſtiani fiant, & in quibus conſervetur hìc militans Eccleſia, propagationem.

Materia, & forma Sacramẽtorum.

6. *Omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum*, conſtat ex Eugenio IV. in Decret. ad Armenos. Sed de partibus internis dumtaxat Sacramentorum impræſentiarum agimus, poſtea de Miniſtro, ejuſque intentione acturi.

Materia proxima,

7. Materiæ nomine non res tantùm, ſed & actus ſenſibiles; in doctrina Sacramento-

rum

rum intelliguntur, ut ablutio, unctio, & in Pœnitentiæ Sacramento contritio, confessio, satisfactio; in Matrimonio, contrahentium consensus verbo, vel nutu expressus: quia in his eadem est ratio significandi, ac in rebus sensibilibus.

PARS I. Art. 1. & remota.

8. Materiæ & formæ Sacramentorum sunt à Christo determinatæ; nihilominus materias, & formas quorumdam Sacramentorum à Christo in genere tantùm determinatas; earum verò determinationem in specie, Apostolorum & Ecclesiæ auctoritati ac prudentiæ commissam, probabilis est plurimorum Theologorum opinio. Ita censent *Petrus* Cantor Parisiensis in Summa de Sacramentis, *Alexander Halensis* 4. P. Summæ. *S. Bonaventura* in 4. Sententiarum; & è Recentioribus Cardinalis *Bellarminus* Lib. *De Ordine & Extrema-Unctione*, Cap. 9. *Petrus Arcudius* agens de modo conciliandi Ecclesiæ Græcæ Ritum in Sacris Ordinibus cum Ritu Ecclesiæ Latinæ, Lib. 6. Cap. 4. *Hallerius* Lib. *De Sacris Ordinationibus*, ubi de materia & forma Ordinum agit, Sectione 11. Cap. 11. Art. 1. §. 21. *Philippus Gamachæus*, Tract. *De Sacramento Ordinis*, Cap. 4. Cardinalis *De Lugo* Disput. 11. *De Sacramentis*, Sectione 5. Num. 85. *Joannes Morinus* Lib. 8. *De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Cap. 17. In qua etiam opinione fuit *Innocentius IV.* in Cap. *Presbyter*, *De Sacramentis non iterandis*.

Materiæ, & formæ Sacramētorũ sunt à Christo determinatæ: non tamen omnes in specie; sed aliquas dumtaxat in genere esse determinatas, probabilis est plurimorum Theologorum opinio.

PARS I. Art. 1.

Hanc plerique Theologi Parisienses doctissimi tuentur, quòd aliàs Ordinationes sacras Græcorum cum Latinorum Ordinationibus conciliare vix possibile ipsis videatur, cùm nec Instrumentorum Traditio, nec hujusmodi traditioni respondentes verborum formulæ à Græcis usurpentur, quorum tamen Ordinationes Romana recipit Ecclesia. Imò nec Ritum antiquum Ecclesiæ Latinæ cum hodierno conciliare facile putant, nisi hoc principium statuatur: siquidem in Diaconorum & Presbyterorum Ordinationibus, hujusmodi instrumentorum, & formarum seu verborum solemnium, quæ nunc pronuntiari solent cùm Ordinandis traduntur, antiqua Sacramentaria, & Rituales Latinorum Libri nullatenus meminerunt, ut probat *Morinus* P. 3. De Sacris Ordinationibus, Exercitatione 7. Cap. 1. & Exercitatione 9. Cap. 1. Censent igitur laudati Theologi, ita institutum esse à Christo Sacramentum Ordinis, ut Ministrorum consecratio fieret aliquibus verbis & symbolis externis, quibus satis significaretur ministerium ad quod ordinabantur: ut autem potiùs hæc quàm illa symbola adhiberentur, in Ecclesiæ arbitrio reliquisse. Unde Concilium Tridentinum Sessione 23. Cap. 3. docet *Sacram Ordinationem verbis & signis exterioribus perfici*: Non autem definit, quænam sint verba & signa; quòd nimirum in genere dumtaxat à Christo instituta sint, ab Eccle-

sia

fia autem in specie determinata. In Sacramento Matrimonii idem perspicuum, & exploratum esse asserunt. A Christo quippe institutum esse contractum legitimum pro materia istius Sacramenti: sed quia contractuum legitima ratio pendet à Legibus Principum, & moribus regionum, Ecclesiæ potestati & arbitrio reliquit determinationem conditionum legitimi contractûs, quibus positis ad Sacramenti dignitatem evehatur. Sic Matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinum rata, etsi illicita, ejusdem S. Concilii auctoritate, & Decreto irrita deinceps declarata sunt.

PARS I. Art. 1.

9. Mutatio substantialis materiæ, aut formæ sacramentalis, tollit veritatem Sacramenti, ipsúmque irritum reddit. Mutatio substantialis materiæ, fit cùm alterius speciei res sensibilis ad conficiendum Sacramentum adhibetur, quàm à Christo præscripta sit, ut si aqua artificialis, aliúsve liquor ad Baptismum; acetum, aut liquor ex uvis non maturis expressus, & panis hordeaceus, aut farinæ massa non cocta ad Eucharistiam conficiendam usurpetur. Mutatio accidentalis materiæ, est alteratio quâ species elementi sensibilis à Christo præscripti non solvitur, ut si sal, vel cinis in aquam injiciatur, vel fermentum immisceatur farinæ ex qua conficitur panis. Unde Baptismus in aqua maris, in lixivio, in aquis mineralibus collatus, validus est. Va-

Mutatio substãtialis materiæ aut formæ sacramentalis tollit veritatem Sacramẽti.

Quæ mutatio materiæ sacramentalis censenda sit substantialis, quæ accidentaria.

PARS I. Art. I. *Quæ sit mutatio substãtialis formæ Sacramẽti.*

lida etiam panis fermentati consecratio.

10. Mutatio substantialis formæ, est ea quâ verborum sensus tollitur. Talis erat mutatio quam invexerat propago quædam Valentinianorum Hæreticorum, baptizans *In nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium Matre, in eo qui descendit in Jesum* (ut refert *S. Irenæus* Lib. I. Cap. 18. & *Eusebius* Lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 11.) Accidentalis quâ verba mutantur, integro sensu remanente; ut si in formâ Sacramenti Eucharistiæ, *Hoc est enim corpus meum*, particula causalis, *enim*, omitteretur: vel pronomen *Ego*, in formâ Baptismi: vel si linguâ vernaculâ, aut extraneâ, verbi sacramentalia proferantur: vel si intra eamdem linguam verba synonima, id est, ejusdem significationis cum iis quibus utitur Ecclesia, usurpentur; verbi gratiâ, si loco hujus verbi, *Baptizo*, dicatur, *Abluo*; aut pro verbo, *Absolvo*, dicatur, *Remitto*, aut *Condono tibi peccata tua*. Si tamen non sit eadem verborum significatio explicitè, & distinctè, atque ex publico & communi usu, substantialis mutatio censenda est: verbi gratiâ, si quis dixerit, *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis*. Istud enim nomen, *Trinitas*, trium divinarum Personarum distinctam invocationem non exprimit, quæ ad perficiendum Baptismum ex institutione Christi necessaria est. Similiter si quis dixerit, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Ge-*

& Geniti, & Procedentis ab utroque, substantialis mutatio censebitur: quia licet Patris & Genitoris, Filii & Geniti, Spiritûs-Sancti, & Procedentis ab utroque nomina synonima sint ex parte rei significatæ, non tamen ex modo intelligendi, & significandi, neque ex publico & communi usu, ut colligitur ex *S. Thoma* I. P. Q. 40. A. 2. & 3. P. Q. 66. A. 5. in Resp. ad 1. argum.

PARS I. Art. 1.

11. Transpositio verborum sacramentalium quandoque mutationem substantialem infert in formam sacramentalem, quandoque accidentariam dumtaxat. Substantialis mutatio est, si transpositio tollat sensum locutionis; accidentaria, si non tollat; qua de re ex communi hominum sensu judicium ferendum est. Exempli gratiâ, si Minister Baptismi dixerit, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti, ego te baptizo*; aut Sacerdos Eucharistiam consecrans dicat, *Hoc corpus meum est*, integra est forma sacramentalis, quia sensus idem manet. Si verò baptizans dixerit: *Patris te, ego baptizo in nomine Filii, & Spiritûs-Sancti*, aut *Filii ego baptizo te, in nomine & Patris, & Spiritûs-Sancti*, violatur substantia formæ, quia sensus propter quem forma verborum, sacramentalium instituta & præscripta est, tollitur: adòque non perficitur Sacramentum.

Quæ verborũ transpositio formam Sacramenti corrumpat.

12. Interruptio verborum mutationem interdum substantialem, aliàs accidentariam dumtaxat in formam Sacramentalem invehit:

Quæ verborum interruptio

PARS I. Art. 1. *form ĩ Sacramenti vi.iet.*

hit: ſubſtantialem quidem, ſi tanta ſit *Ut intercipiatur intentio pronuntiantis*, & verborum ſenſus tollatur; ut ſi quis poſt hæc verba, *Hoc eſt corpus*, Pſalmum recitet, aut ſilendo longam moram interponat, ac deinde proferat nomen, *Meum*, tollitur ſenſus, adeoque irritum eſt Sacramentum. Si verò parva ſit interruptio, *Quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert*, mutatio tantùm accidentaria eſt, integritatem Sacramenti non impediens: ut ſi Sacerdos Euchariſtiam conſecrans, poſtquam dixit, *Hoc eſt*, ſternutaret, vel tuſſiret, móxque ſubjungeret, *Corpus meum*: Vel poſtquam dixit, *Ego te baptizo*, ſilentium imponeret fabulantibus, dicens, Silete, ſtatímque ſubjungeret, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti*.

Quæ verborũ omiſſio irritũ redaat Sacramentũ.

13. Omiſſio verborum ad ſubſtantiam formæ Sacramentalis pertinentium, quæ tunc fieri cenſetur, cùm tollitur debitus verborum ſenſus, ut ſi alicujus è tribus Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis nomen in forma Baptiſmi ſileretur, irritum reddit Sacramentum. Unde *Didymus* Lib. 2. *De Spiritu-Sancto*, ait: *Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis Nominibus prætermittat* (ſcilicet Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti) *ſine perfectione baptizabit*. Similiter ſi perſonam baptizati non exprimeret Miniſter Baptiſmi, pronomen demonſtrativum ſecundæ aut tertiæ Perſonæ, aut nomen

pro-

proprium omittens, dicénsque dumtaxat: *Ego baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritûs-Sancti*, formæ Sacramentalis substantia violaretur. Idem judicium ferendum est de omissione pronominis demonstrativi *hoc*, vel *hic*; aut pronominis *meum*, vel *mei*, in forma consecrationis Eucharistiæ. PARS I. Art. 1.

14. Additio verborum, quæ debitum formæ sacramentalis sensum corrumpunt, tollit veritatem Sacramenti; ut si aliquis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris*: sicut Ariani quidam baptizabant. Vel, *Ego te baptizo in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto*, Sic enim collatum baptisma irritum esse, miraculo comprobatum est, referente *Theodoro Lectore*, Lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ. Si verò ejusmodi additio fiat, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur Sacramenti veritas, sive fiat in principio, vel in medio, vel in fine formæ sacramentalis: ut si aliquis dicat, *Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritûs-Sancti Paracleti*, erit verum Baptisma. Similiter si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti; & Beata Virgo te adjuvet*; erit verum Baptisma. Fortè autem si diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti, & Beatæ Virginis Mariæ*, non esset Baptismus; quia dicitur 1. ad Corinth. 1. *Numquid Paulus pro* *Quæ verborũ additio tollat veritatem sacramenti.*

vo-

vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis? Et quidem si eodem modo intelligeretur in nomine Beatæ Virginis baptizari, sicut in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti, quo Baptismus consecratur; talis sensus esset contrarius fidei, & institutioni Christi, & tolleret veritatem Sacramenti:. si verò sic intelligeretur, non quasi nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in Baptismo, sed ut ejus intercessione prodesset baptizato ad conservandam gratiam baptismalem non tolleretur perfectio Sacramenti (inquit *S.Thomas.*) Cùm itaque hæc verba, *& in nomine Beatæ Virginis*, æquivocationem patiantur, interrogandus esset Minister de intentione suâ, siquidem oratio quæ patitur plures sensus ad unum illorum determinatur ex intentione proferentis. Si autem de intentione Ministri à quo hęc addita sunt, liquidò non constet, dubius est Baptismus, ideòque sub conditione baptizandus est, qui sub hac verborum formulâ tinctus fuit.

Quamvis aliquid addatur formę contra fidem, si tamen eius sensum non variet, irritum Sacramẽtum non facit.

15. Quamvis porrò aliquid addatur contra fidei veritatem, si tamen formam non afficiat, nec in eam refundatur, aut ejus sensum variet, non tollit veritatem Sacramenti: ut si Sacerdos consecrans Eucharistiam, post hæc verba, *Hoc est corpus meum*, preces aliquas adderet hæresim continentes, dicendo verbi gratiâ: *Et illud in cœlis ad dexteram Patris positum adoramus, cujus figuram tantùm in terris nobis præbes*: Vel; Tri-

Tribue Domine, ut quod ore manducari non potest, fide sumamus: Vel si adjungeret formæ hæc verba, *Quod de cælo sumptum est*; aut *Quod ubique est*, non quasi partem formæ sacramentalis esse vellet, sed ut errorem suum indicaret; aut alios in eamdem hæresim pertraheret, vera esset ac rata consecratio, modò intenderet facere quod facit Ecclesia. Alioqui si legitima intentio ipsi deesset, irritum esset Sacramentum. Atque hæc mens est *S. Thomæ* Quæst. 61. A. 1. dicentis: *Si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem alium Ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum; quia non videtur quòd intendat facere id quod facit Ecclesia.*

PARS I. Art. 1.

16. Qui corruptè profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur Sacramentum administrare cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; & ita non videtur perfici Sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore, vel lapsu linguæ, & corruptio tanta sit ut sensus locutionis destruatur, ut si loco istorum verborum, *In nomine Patris*, dicat, *In nomine Matris*; vel pro verbo *Baptizo*, dicat, *Baptizor*, nullum pariter Sacramentum est. Si verò non penitùs auferatur sensus locutionis per hujusmodi corruptelam, perficitur nihilominus Sacramentum: ut si aliquis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu-Sancta*. Quamvis enim hujusmodi verba corruptè

Cùm minister Sacramenti corruptè profert verba, nō ex industria, sed ex ignorātia & rusticitate, & remanet integer locutionis sensus, perficit Sacramentum.

PARS I. Art. 1.

ptè prolata nihil ſignificent ex virtute impoſitionis, accipiuntur tamen ut ſignificantia ex accommodatione uſus: & ideò licet mutetur ſonus ſenſibilis, remanet tamen idem ſenſus. Id conſtat ex Epiſtolâ *Zachariæ* Romani Pontificis ad *Bonifacium* Epiſcopum, quæ refertur Cap. *Retulerunt*, De Conſecrat. Diſt. 4. Nec etiam Sacramentalis formæ ſubſtantiam mutavit alius Presbyter, qui ruſticè hunc in modum baptizavit: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritûs-Sancti mergo*, ut reſpondit *Stephanus II.* Cap. 14.

Materiæ, vel formæ Sacramentorum ſacrilegæ mutationes.

17. Sacramentorum formas & materias quâvis ratione mutare nemini hominum licet. Unde qui ex induſtriâ, vel craſsâ negligentiâ materiam ſic immutarent, ut Sacramentum irritum redderetur, peccarent mortaliter peccato ſacrilegii. Hujuſmodi enim mutatio in maximam Dei Sacramentorum auctoris redundaret injuriam, cujus inſtitutio léxque contemneretur. Gravis etiam ſuſcipienti inferretur injuria, qui Sacramenti fructu prorſus omni privaretur. Lethaliter etiam peccarent, qui quâcumque materiæ, vel formæ mutatione ritus novos, aut errores ab Eccleſia damnatos inducere intenderent. Neque enim Miniſtros Sacramentorum excuſare poteſt juris ignorantia: quia neceſſaria ad miniſterium officiúmque ſuum ritè obeundum ſcire debent. Excuſari tamen poſſet laïcus in neceſſitate baptizans, & ex ignorantiâ formam ſacramentalem

talem corrumpens: non tamen obstetrix jurata, quæ ad obstetricandi munus admitti non debet, nisi ad Baptismum in necessitatis articulo sub præscriptâ verborum formâ conferendum probè sit instituta, ut Ecclesiæ Decretis sancitum est. PARS I. Art. I.

18. Peccaret etiam lethaliter, qui ex industriâ corruptè proferret, aut mutaret verba formæ sacramentalis (quamvis sensus idem maneret, adeóque accidentaria tantùm fieret mutatio) ratione gravis negligentiæ, contemptûs, vel scandali: quod maximè locum haberet, si corruptio illa, vel mutatio esset notabilis: ut si quis sciens volens baptizaret *In nomine Patria, & Filia, & Spiritu-Sancta*: vel in consecratione Calicis omitteret hæc verba, *Novi, & æterni Testamenti, Mysterium fidei*. Si autem mutatio levis sit, neque cum plena consideratione, & deliberatione facta, Minister venialiter tantùm peccabit.

Corruptio formæ ex industria, etiam remanente forma, est grave peccatum.

19. Lethalis peccati reus est, qui materiâ aut formâ dubiâ utitur in Sacramentorum administratione, cùm certam & indubitatam habere potest: quia periculo non conficiendi Sacramentum, adeóque sacrilegii, & & irrisionis rerum divinarum, se exponit. In eóque casu locum habet illa Christianæ Moralis Regula à *S. Augustino* tradita Lib. I. *De Baptismo*, Cap. 3. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quòd certis incerta præponeret.*

Materiâ, vel formâ dubiam adhibere, etiam grave peccatum.

Nec

PARS I. Art. 1.

Nec obstat opinionis probabilitas: quamvis enim speculativè probabile sit quòd materiæ quædam & formæ, de quibus in Scholis disputatur, sufficientes ac legitimæ sint; non tamen probabile est in praxi, ita ut illis uti liceat, quando certæ & indubitatæ adhiberi possunt. Unde *Innocentius XI.* Pontif. Maximus anno Christi 1679. die secundâ Martii, hanc Propositionem damnavit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Propositio damnata.

Qui modum materiæ, & formæ notabilem non servat graviter peccat.

20. Lethale denique peccatum committit, qui modum materiæ & formæ notabilem, & ab Ecclesia universali, vel sua observatum non servat: verbigratiâ, Sacerdos qui ex industriâ non misceret aquam vino in Missa consecrando: & Latinus item Presbyter, qui Eucharistiam in fermentato consecrare præsumeret, aut Græcorum formâ in Baptismi administratione uteretur.

Septenarium Sacramentorum numerũ probant Ecclesiæ consensus, & auctoritas

21. Septenarium Sacramentorum numerum probat summus Ecclesiæ cùm Latinæ tùm Græcæ in eo retinendo consensus, & Protestantium in numero Sacramentorum constituendo discordia, quibusdam unum, aliis duo, aliis tria, nonnullis quatuor, vel quinque admittentibus. Confirmatur Catho-

tholica de septenario Sacramentorum numero veritas ex *Lucii* III. Romani Pontificis Decretali, ex Bulla *Martini V.* in Concilio Constantiensi editâ, ex *Eugenii IV.* Decreto ad Armenos Florentiæ dato, & ex Synodi Tridentinæ Oraculo Sessione 7. Canone 1. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum: Anathema sit.*

PARS I. Art. 1.

22. Sacramenta Novæ Legis non solùm Gratiam sanctificantem conferunt, vel augent, sed etiam Gratiam peculiarem tribuunt unicuique Sacramento propriam, quæ propterea Sacramentalis dicitur. Consentientibus Theologorum Catholicorum suffragiis hæc approbatur Propositio. *Addit autem Gratia Sacramentalis super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem* (inquit *S. Thomas* Quæst. 62. 3.P. A.2.) Conferunt autem illam ex opere operato, ideſt, ex vi actionis Sacramentalis à Christo institutæ; unde eorum efficacia in fidem, aut devotionem suscipientis non refunditur; Sed in virtutem ex passione Christi Sacramentorum auctoris

Quam gratiam Sacramenta conferunt, & quomodo.

Sacramentorum efficacia in fidem, aut

PARS I. Art. 1. *devotione suscipientium non refunditur.*

in illa derivatam, ut liquido etiam probatur ex Baptismo parvulorum, qui actualis fidei atque devotionis per ętatem sunt incapaces; necnon ex illorum Baptismo, qui rationis usu per morbum destituti baptizantur, quo modo amicum suum baptizatum testatur *S. Augustinus* Lib. 4. *Confessionum*, Cap. 4. Idem Lib. 1. *De Adulterinis Conjugiis*, Cap. 27. & 28. Catechumenos in ultimo vitæ discrimine constitutos, quamvis Baptismum petere, vel ad interrogata respondere non possint, baptizandos tamen esse docet, eísque prodesse debere, quòd eorum in fide Christianâ jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. Frustrà autem in tali statu constitutis Baptismus, vel Absolutio sacramentalis conferrentur, si ipsa per se Sacramenta gratiam non producerent, sed omnem vim suam ex fide, & devotione suscipientium derivarent.

Discrimen Sacramentorum veteris, & Novæ Legis.

Atque hoc discrimen est Sacramentorum Novæ Legis à Sacramentis Veteris Legis, quòd illa gratiam ex opere operato conferant, non ista, quæ proptèrea *Infirma, & egena elementa* vocat Apostolus ad *Galatas* 4. Quod ut Dogma fidei afferit Concilium Tridentinum Sessione 7. Canone 8. *Si quis dixerit per ipsa Novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit.*

23. Al-

23. Alter Sacramentorum effectus est character, quem non omnia quidem, sed aliqua dumtaxat Sacramenta animæ imprimunt, velut signum quoddam quod deleri nunquam potest, eique perpetuò adhæret. De quo tria credenda proponit Ecclesia; primum, Per tria Sacramenta, Baptismum scilicet, Confirmationem & Ordinem, characterem imprimi. Secundum, Characterem esse signum quoddam spirituale, & indelebile. Tertium, Sacramenta quæ characterem imprimunt, iterari non posse. Quæ tria definivit Sacra Synodus Tridentina, Sessione 7. Canone 9. post *Eugenium IV.* in Decreto Instructionis Armenorum.

PARS I. Art. I. *Character Sacramentorum effectus.* *Quæ Sacramenta imprimũt Characterem.*

24. Characterem definit S. Thomas, *Signaculum spirituale, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea quæ sunt divini cultûs.* Unde ad genus qualitatis, & speciem potentiæ spiritualis revocatur. Nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia quædam activa; ad recipiendum autem, potentia passiva. Hæc ad Baptismum pertinet: illa ad Confirmationem, & Ordinem.

Definitio Characteris.

25. Qui Sacramenta Characterem imprimentia sine debitis dispositionibus suscipit, sive (ut loquuntur Theologi) cum fictione, Characterem quidem suscipit, sed non Gratiam sanctificantem. Hanc Propositionem adstruit Ecclesiæ auctoritas, quæ Baptismum, Confirmationem, Sacram Or-

Sacramẽtum Characterem imprimẽs fictè susceptum.

PARS I. Art. 1.

dinationem in iis qui hujusmodi Sacramenta sine fide, aut cum peccati mortalis affectu susceperunt, iteranda nusquam censuit, sed Sacramentum, & Characterem per illud impressum ab Sacramenti fructu, id est, gratiâ & caritate, acuratè distinxit. Id constat ex *S. Augustino* Tractatu 6. in Johannem. *Reus es* (inquit) *non quia Sacramentum accepisti, sed quia foris accepisti. Quod accepisti approbo: quia foris accepisti, improbo. Tene ergo quod accepisti: non mutatur, sed agnoscitur. Character est Regis mei: non ero sacrilegus. Corrigo desertorem, non muto Characterem.* Recedente verò fictione, seu accedente Pœnitentiâ, gratia sacramentalis suscitatur, seu potiùs de novo producitur in eo, qui sine debitis dispositionibus Sacramentum suscepit. Ita docet *S. Augustinus* Lib. 1. De Baptismo contra Donatistas Cap. 12. *S. Thomas* 3.P. Q.69. A.10. Vivit enimverò Baptismus, & in eo qui fictus baptizatur; & ratione Characteris, quasi formæ impressæ, aut seminis post se relicti, operatur. Cùm enim Sacramentum Baptismi sit *Opus Dei, & non hominis; non est mortuum in ficto, qui sine caritate baptizatur.* Idémque de Confirmatione & Ordine, Characterem pariter imprimentibus, ferendum est judicium.


Recedente fictione gratiam operatur. Quo pacto.

Christus Sacramentorum auctor.

26. Omnia Sacramenta à Christo instituta sunt. De Baptismo quidem res explorata est, *Matthæi* ultimo, ubi Jesus ait: *Data est*

est mihi omnis potestas in celo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti. De Eucharistiâ, Matthæi 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Itémque *Marci* 14. *Lucæ* 22. 1. *Corinth.* 11. De Pœnitentia, & Ordine, *Joannis* 20. ubi Jesus Discipulis ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum-Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ad Ordinis quoque Institutionem pertinet, quod *Lucæ* 22. Christus Eucharistiam instituens, conficiendi Sacramenti potestatem Apostolis, & in ipsis Sacerdotibus omnibus tradit: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Alia quidem Sacramenta, scilicet Confirmationem, Unctionem-Extremam, & Matrimonium, à Christo immediatè instituta fuisse, Scriptura Sacra disertè non docet; sed docet Ecclesia Traditione erudita, & à Spirtu-Sancto illustrata, in Concilio Tridentino Sess. 7. Canone 1. *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo*

PARS I. Art. 1.



PARS I. Art. 1. *sto Domino nostro instituta ... Anathema sit.*

Certi Sacramentorum Ministri.

27. Certos esse Sacramentorum Ministros, Fidei Propositio est, *Lutheri* errori opposita, qui Christianos omnes esse æqualiter Sacerdotes, sive eamdem in verbo & Sacramento quocumque habere potestatem, pertinaciter asseruit. Hunc errorem proscripsit Ecclesia in Concilio Tridentino congregata, Sessione 7. Canone 10. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; Anathema sit.* Dicitur *in omnibus* Sacramentis, quia laici Ministri sunt Baptismi in casu necessitatis: & contrahentes Matrimonium esse illius Sacramenti Ministros plerique Theologi asserunt.

Sacramentorū Virtus, & efficacia ex ministrorū fide, & probitate non pendet.

28. Sacramentorum virtus & efficacia ex Ministrorum fide & probitate non pendet: adeóque ab Hæreticis, Schismaticis, & impiis hominibus administrata, nihilominus valida sunt, modò materia & forma essentialis, cum debita intentione adhibeantur. Concilium Tridentinum Canone 12. Sessionis 7. ita definivit: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; Anathema sit.* Et Canone 4. de Baptismo: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, cum intentione facien-*

faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; Anathema sit.

PARS I. Art. 1.

29. At, inquies, quomodo Excommunicati personam Ecclesiæ gerere possunt, cùm sint ab ea separati? Respondetur, Illos Ecclesiæ personam gerere, quatenus Sacramenta secundùm ejus intentionem dispensant, quamvis ejus membra non sint. Nam *Potestas ministrandi Sacramenta pertinet ad spiritualem characterem, qui indelebilis est: Et ideo per hoc quòd aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi Sacramentum, sed licentiam utendi hâc potestate. Et ideo Sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo: Et similiter ille qui ab eo accipit Sacramentum: & sic non percipit rem Sacramenti, nisi fortè per ignorantiam excusetur*; (inquit *S. Thomas* 3. P. Quæst. 64. Articulo 9. in Responsione ad tertiam Objectionem.)

Qua ratione excommunicati possunt gerere personam Ecclesiæ.

30. A malis Ministris, quamdiù ab Ecclesia tolerantur, id est, nisi Sententiâ juridicè latâ & promulgatâ excommunicati sint vel suspensi, aut notorii Clericorum percussores, recipere licet Sacramenta. Constat Propositio ex *Martini V.* Romani Pontificis Constitutione in Concilio Constantiensi edita, quæ incipit, *Ad evitanda*, & ex antiquiore *Nicolai I.* Responso ad Consulta Bulgarorum 71. Idem confirmatur auctoritate & ratione *S. Thomæ*, 3. P. Quæst. 64. Art. 6.

Quando licet vel non licet à malis Ministris Sacramenta recipere.

PARS I. Art. 1.

ad secundum. *Qui ad Sacramenta accedit, suscipit Sacramenta à Ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quantum est Minister Ecclesiæ: Et ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in Ministerio, ille qui ab eo suscipit Sacramentum non communicat peccato ejus; sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tamquam Ministrum exhibet.*

Quando licet, vel non licet à malis Ministris Sacramenta petere.

31. Parochianis, urgente necessitate, non solùm recipere, sed & petere Sacramenta licet à Parocho suo, quantumcumque malo, si sit ab Ecclesia toleratus. Licet enim cuique uti jure suo: Qui autem petunt Sacramenta à Parochis suis, aut ab aliis, quibus illorum dispensatio ex officio incumbit, jure suo utuntur. Si tamen noverint illos à peccato non recessuros, & sacrilegium in ipsa Sacramentorum administratione commissuros, & ab aliis legitimâ potestate præditis Sacramenta non minùs commodè recipere possint; lege charitatis tenentur ab iis petere, Parocho prætermisso, ne jure suo cum alterius spiritali discrimine utantur, & peccati occasionem proximo præbeant *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 24. Quæst. 1. Art. 3. Quæstiuncula 5. ad tertium.

32. Sacramenta petere non licet ab improbo Ministro, qui nec Parochus est, nec paratus est ea administrare. Nullum enim jus habes petendi Sacramenta ab ejusmodi Ministro, nec ille voluntatem habet conferendi. Quamobrem petitione tuâ illum ad pec-

peccatum impellis; atque ita præbes offendiculum fratri, pro quo Christus mortuus est. PARS I. Art. 1.

33. A Ministris improbis, & ministrare volentibus, petere ac recipere licet Sacramenta, si necessitas urgeat. Tunc enim sufficiens ac legitima ratio est, cur eorum malâ voluntate ad bonum spiritale nobis necessarium utamur: Quemadmodum pauperi licet pecuniam fœneratitiam petere & accipere à fœneratore, qui commodare ad usuram paratus est: cùm ejus peccato non præbeat occasionem, sed eo dumtaxat ad miseriam suam sublevandam utatur; ut docent Theologi, præeunte *S. Thoma*, *Secunda Secundæ*, Quæstione 78. Articulo 4.

In casu necessitatis licet, etiã à non toleratis: Nisi ob scandalum.

34. In casu extremæ necessitatis, licet petere & suscipere Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta à malis Ministris, quamvis ab Ecclesia non toleratis. De Baptismo testem habemus *S. Augustinum* Libro 1. *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. 11. De Pœnitentia, Concilii Tridentini declarationem habemus, Sessione 14. Cap. 7. Omnibus promiscuè Sacerdotibus licere, Pœnitentes quoslibet, in articulo mortis, à quibuslibet peccatis & censuris absolvere. *Piè admodum* (inquit) *ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis casibus, & censuris absolvere possunt*. Si tamen ex susceptione Sacramen-

torum

PARS I. Art. 1.

torum ab Hæreticis, vel Schiſmaticis grave ſcandalum oriretur, & Catholicis præberetur occaſio non temerè credendi per hujuſmodi ſuſceptionem approbari hæreſim vel ſchiſma; eâque ratione Miniſtris Hæreticis, vel Schiſmaticis concilianda prævideretur auctoritas, & plures ex Catholicis ad eorum partes defecturos; non liceret adulto homini ab ipſis petere aut recipere Sacramenta, Baptiſmum etiam vel Pœnitentiam: Quia Baptiſmi voto, & contritione de peccatis poſſet conſulere ſaluti ſuæ: Nec Sacramenta recipere teneretur cum diſpendio fraternæ ſalutis, & Eccleſiæ damno. At ſi baptizandus eſſet infans in vitæ diſcrimine poſitus, nec alius præter hæreticum hominem Baptiſmi Ritum formámque noſſet, illum offerre hujuſmodi Miniſtro baptizandum oporteret. Nullius enim offenſionis & ſcandali hâc in hypotheſi præberetur occaſio.

35. Extra caſum neceſſitatis, non licet petere & ſuſcipere Sacramenta ab Hæreticis, Schiſmaticis, aut improbis Miniſtris, ab Eccleſia non toleratis. Ita docet *S. Auguſtinus*, loco ſuperiùs indicato.

Quam grave peccatum adminiſtrantium Sacramenta in ſtatu

36. Peccant mortaliter Eccleſiæ Miniſtri, qui Sacramentum aliquod in ſtatu peccati mortalis ſolemni Ritu conficiunt, vel adminiſtrant, niſi verâ Contritione, cum propoſito Sacramentalis Confeſſionis quàm primùm edendæ, peccatum illud expient. Ita docet *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Diſt.

Dist.24. Quæst. 1. Articulo 3. Quæstiuncula 5. *Lex* (inquit) *præcipit ut homo justè ea quæ sunt justa exequatur : Et ideò quicumque homo, quod sibi competit ex Ordine facit indignè, quod justum est injustè exequitur, & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum Officium pertractat, non est dubium quin indignè illud faciat: Unde patet quod mortaliter peccat.* Hinc Rituale Romanum *Pauli V.* Pontificis Maximi jussu editum hanc Regulam præscribit: *Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius, (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis locíque ratio ferat, convenit confiteri.* Sacerdos tamen vel Diaconus in statu peccati mortalis privatim & *In articulo necessitatis baptizando, non peccaret, in casu in quo etiam posset laïcus baptizare; sic enim patet quòd non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus autem est in illis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus*; (inquit) *S. Thomas*, 3. Par. Quæstio 64. Artic. 6. ad 3.

PARS I. Art. 1. *peccati mortalis?*

37. Lethaliter peccat Sacerdos, qui Eucharistiam, sive à se, sive ab altero consecratam administrat in statu peccati mortalis. Agit enim ut publicus Ecclesiæ Mini-

Qui in statu peccati mortalis administrat

PARS I. Art. 1. *Euchari-stiam, le-thaliter peccat.*

nister: & gravem Sacramento, ejusque Auctori infert injuriam.

Diaconi pariter & Subdiaconi Ordinum suorum functiones in peccato mortali solemniter obeuntes.

38. Diaconi etiam & Subdiaconi suorum functiones Ordinum in statu peccati mortalis solemniter obeuntes, lethaliter peccant. Apostolus enim jubet Diaconis, *Ut ministrent nullum crimen habentes*; (1. ad *Timotheum* 3.) Id confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 24. Quæst. 1. A. 3. Quæstiuncula 5. in Responsione ad quartum. *Quandocumque* (inquit) *exhibet se in aliquo actu ut Ecclesiæ Ministrum, mortaliter peccat, & toties mortaliter peccat, quoties hujusmodi actum facit; quia (ut dicit Dionysius* 1. *Cap. Cœlestis Hierarchiæ*) Immundis nec Symbola (*id est Sacramentalia signa*) tangere fas est. *Unde quando tangunt res sacras quasi suo officio utentes*, in statu peccati mortalis, *mortaliter peccant*.

Peccatum Concionatorum in statu peccati mortalis verbum Dei prædicantium.

39. Verbi Dei Ministri sacras Conciones ex officio habentes in statu peccati mortalis, præsertim si crimen sit manifestum, graviter peccant. Graviter enim peccant, qui verbum veritatis debita cum reverentia non tractant: Graviùs, qui sacrum Ministerium contemtui exponunt. Hujus sententiæ vindex est *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 19. Quæst. 1. A. 2. Quæstiunc. 2. ad quartum, & Lectione 1. in Cap. 6. Epistolæ 2. ad Corinthios, Apostoli verba explicans, *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur Ministerium nostrum*.

40. In-

40. Intentio interior & ſincera faciendi quod facit Eccleſia, neceſſaria eſt in Miniſtris Sacramentorum, ut valida ſint,& rata. Hæc Propoſitio dogma fidei eſt, à *Martino V.* Pontifice Maximo in Concilio Conſtantienſi confirmatum. Suſpectos ſcilicet de Hæreſibus à Concilio damnatis homines inter alia interrogari jubet, *An credant quòd malus Sacerdos cum debita materia,& forma,& intentione faciendi quod facit Eccleſia, verè conficiat, verè baptizet, & verè conferat alia Sacramenta?* Idem docet *Eugenius Quartus* in ſuo Decreto poſt Concilium Florentinum, ubi ſeptem Sacramentis nominatim recenſitis, ait: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & perſonâ Miniſtri conferentis Sacramentum cum Intentione faciendi quod facit Eccleſia.* Idem confirmat *Leo X.* hunc inter alios *Lutheri* Articulos duodecimum damnans: *Si Sacerdos non ſeriò, ſed joco abſolveret; ſi tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.* Id ad fidem pertinere declaravit Concilium Tridentinum, Seſſione 7. Canone 11.

PARS I. Art. 1. *Quæ Intentio Miniſtri neceſſaria?*

41. Non tamen neceſſaria eſt intentio producendi effectum Sacramenti. Concilium namque Tridentinum in Miniſtro poſtulat intentionem faciendi quod facit Eccleſia, non autem voluntatem finis propter quem agit Eccleſia, aut effectûs qui per actionem

Intentio producendi effectum Sacramenti non eſt neceſſaria.

PARS I. Art. 1.

nem Sacramentalem producitur, necessariam esse statuit. Præterea, in Ministris Hæreticis, qui Baptismi negant effectus, vel in Paganis, nulla est producendi ejusmodi effectûs intentio: & tamen collatus ab illis omnibus Baptismus ab Ecclesia ratus habetur.

De Intentione Ministri. Non sufficit habitualis.

42. Non sufficit autem Intentio habitualis, neque necessaria est actualis; sed sufficit virtualis. Administratio namque Sacramenti debet esse actus humanus ex deliberatione & judicio rationis procedens: ab intentione porrò habituali, qualis in ebriis aut dormientibus esse potest, non procedit actio deliberata, adeóque non sufficit ut ratum sit Sacramentum. Actualis autem necessaria non est, (quamvis optanda sit, & studiosè curare debeat Sacramenti Minister ut hanc intentionem habeat.) Quantumlibet enim quis attentus sit operi cui vacat, in ejus potestate non est omnino positum ne mens ejus aliis cogitationibus interdum distrahatur. Virtualis autem sufficit ad perfectionem Sacramenti; *Putà, cùm Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio actûs cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum*; (inquit *S. Thomas* 3. Par. Quæstione 64. Articulo 8. in Responsione ad tertiam Objectionem.)

Non est necessaria actualis.

Requiritur & sufficit virtualis.

43. Ha-

43. Habitualem quidem intentionem sufficere, eo loci apud *S. Thomam* legimus: sed vel mendum est Scribarum & Typographorum, qui ex virtuali habitualem fecerunt: vel habitualem pro virtuali posuit Angelicus Doctor, juxta usum sui temporis, quo omnis intentio quæ actualis non erat, à plerisque Theologis habitualis vocabatur; & quia intentio virtualis in modum habitûs perseverat, licèt supponat actum præcedentem.

PARS I. Art. 1. *Explicatur S. Thomas.*

44. Id ut planiùs intelligatur, observandum est, intentionem voluntatis distingui ab intentione mentis: & si res propiùs expendatur, sæpe contingere potest, ut cesset actualis mentis attentio, actuali voluntatis intentione perseverante. Agit enim voluntas ad modum inclinationis: *Amor meus, pondus meum.* Unde cùm voluntas propensione sua fertur ad rem aliquam faciendam, etiamsi mens non attendat, dici potest esse in eo qui agit actualem rei agendæ intentionem. Ita qui ambulat, & cum amico colloquitur, mente advertit ad eas res de quibus instituta est confabulatio, & sæpe de ambulatione non cogitat, cùm tamen ambulare actu velit. Sic etiam in Sacramenti Ministro fieri potest ut cesset attentio mentis, perseverante intentione voluntatis.

Alia voluntatis, alia mentis intentio.

45. Observandum tamen est, intentionem illam absolutam esse oportere, non conditionatam: quia intentio conditionata pro-

Intentio debet esse absoluta non condi-

priè

PARS I. Art. I. *tionata.*

priè dicta, quæ conditionem de futuro apponit, Sacramenti suspendit effectum: siquidem efficax esse non potest, donec adimpleta sit conditio.

Perversa Ministri intentio suscipientibus Sacramenta non nocet.

46. Perversa Intentio Ministri suscipientibus Sacramenta non nocet, cùm illam ignorant, ejúsque peccato non communicant. Doctrina est *S. Thomæ* 3. P. Quæstione 64. Articulo 10. *Perversa Intentio* (inquit) *pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa Intentione Ministri pervertitur id quod agit in Sacramentis, in quantum est opus ejus; non in quantum est opus Christi, cujus est Minister. Et est simile, si Minister alicujus hominis pravâ intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam Dominus rectâ intentione mandaret.*

47. Unde si perditus Sacerdos, & magicis artibus deditus, pactóque execrando diabolo obligatus, seriò quidem baptizaverit infantes sibi oblatos, perfundens aquâ, In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti, & veram ac sinceram voluntatem habuerit exercendæ exterioris illius ceremoniæ quâ baptizans Ecclesia utitur, eámque revera exercuerit per speciem hominis eò illam dirigentis quò Ecclesia dirigit; sed tamen intentionem habuerit, quoties baptizavit, infantes sibi oblatos devovendi diabolo: pueris illis non nocuit sacrilega intentio Ministri: illos enim per Baptismum Deo consecravit

Chri-

Christus, QUI BAPTIZAT; consecravit *Columba*, id est, Ecclesia, quorum nomine Minister baptizavit; neque vim verborum Evangelicorum, quæ integra seriò protulit, frustrare potuit. Idem est de aliis Sacramentis judicium.

PARS I. Art. 1.

48. Quamvis actualis Intentio ad valorem Sacramenti non sit necessaria, sed virtualis sufficiat; tamen graviter peccat Sacramentorum Minister, si studium omne ac diligentiam non adhibeat ne ab intentione actuali distrahatur. Quam ut habeat continuam ac perseverantem, operæ pretium est ut Monita *S. Caroli Borromæi*, in Instructionibus de Sacramentis, exequatur.

Studium pro actuali intentione adhibendum.

49. Ceremoniæ ab Ecclesia receptæ & approbatæ, & in solemni Sacramentorum Administratione adhiberi solitæ, nec contemni, nec à Ministris pro libito omitti; aut in novas alias privatâ autoritate mutari possunt. Sacra Synodus Tridentina Sessione 7. Canone 13.

Ceremoniæ nec omitti nec mutari pro libito possunt.

50. *Ut autem Sacramentis debitus religionis cultus, etiam externus, ab iis tribuatur qui ea suscipiunt: non patientur quemquam ad illa suscipienda accedere, nisi exteriori quoque habitu, vestiúmque modestiâ, debitam illis venerationem præ se ferat.* Curabunt igitur, *Ut viri armis depositis, utque mulieres rectè velato capite accedant; ut omnes vestitu, & toto corporis habitu modesto humilitatem Christianam*

Habitus exterior modestiaque in susceptione Sacramentorum requisita.

PARS I. Art. 2. *præseferant*. Curabunt etiam *Pro loco & tempore, & personarum ordine, ut idem faciant, quicumque dum Sacramentum ministratur, aliquod officium præstant, utpote Patrini, & Paranymphi*. Monebunt id quoque reliquos omnes qui adsunt, *Ut remoto inani colloquio, actúque indecenti; piè ac devote, ut debent, intersint capite aperto, mente etiam ipsi reputantes cœlestia illa dona, quæ Sacramentorum virtute Fidelibus impartiuntur*. Ita *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

D E

SACRAMENTO BAPTISMI.

51. DEfinitur Baptismus in Catechismo Concilii Tridentini, *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Duplex Baptismi materia distinguitur à Theologis; remota, & proxima. Remota, est aqua vera & naturalis; proxima est ablutio. In qualibet aqua quovis modo transmutata, dummodò non solvatur species aquæ, potest fieri Baptismus, non autem si solvatur aquæ species. Quamobrem adhiberi potest ad Baptismum, aqua Maris, aqua pluvia, aqua solaribus radiis calefacta, aqua flu-

Materia remota & proxima.

Quæ aqua materia Baptismi?

fluminis turbida ex terrestrium partium mixtione, aqua per cineres transfusa, sive lixivium, aquæ sulphureorum balneorum, aut aliæ minerales; aqua decoctionis carnium, piscium, vel herbarum, si facta non sit tanta resolutio corporum lixatorum in aquâ, ut liquor plus habeat de aliena substantia, quàm de aquâ. At aquæ ex vite, vel ex rosis, aliisve corporibus per Artem Chymicam expressæ, non sunt materia Baptismi, uti nec cervisia, vinum, liquores alii.

PARS I. Art. 2.

52. Nulla necessitas aut ratio efficere potest ut validus ac ratus sit Baptismus in alia materia quàm in aqua simplici collatus; quia materia hæc essentialis est, à Christo præscripta.

Aqua naturalis est materia essentialiter requisita.

53. Ad valorem Baptismi perinde est an Ablutio fiat immersione, effusione aquæ, vel aspersione. Assumitur enim aqua in Sacramento Baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum: Ablutio autem fieri potest per aquam, non solùm immersione, sed etiam aspersione vel effusione. Hac in re unusquisque Ecclesiæ suæ Ritum sequi debet, nec ab eo discedere absque peccato potest, nisi necessitas cogat. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ; vel propter debilitatem Ministri, qui sustentare non valet baptizandum; vel propter debilitatem baptizandi, cui fortè mortis periculum ex immersione

Quæ ablutio requiratur, & sufficiat?

Ecclesiæ suæ morem ac disciplinã in administratione Baptismi quisque sequi debet.

PARS I. Art. 2.

imminet, quamobrem his in casibus omitti potest immersio, quamvis Ecclesiæ usu frequentata, & Ritualibus Libris præscripta, & effusione, vel aspersione Baptismus administrari: Modò tamen aqua tangat immediatè corpus, & eâ quantitate, ut quis moraliter censeatur ablutus; & caput, quod sensuum omnium principium est & radix, aquâ perfundatur, aut certè scapulæ, vel pectus, si grave nocumentum ex capitis ablutione timeretur. Quanquam & alterius cujusvis partis perfusio sufficere videatur *S. Thomæ*, cùm infans ex utero matris nondum egressus, secundùm partem aliquam, putà brachium aut pedem foras prodit, & mortis periculum imminet: Quæ tamen opinio non erat ab omnibus recepta, ut ipse testatur 3. P. Q. 68. A. 11. ad 4. *Expectanda est*, inquit, *totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat: Si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente: Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quòd propter dubium, quacunque aliâ parte corporis ablutâ, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. Et id certè tutius omnino est, & in praxi sequendum, secundùm Instructiones *S. Caroli Borromæi*, De Baptismi administratione: Idem in Ritua-

An qualibet alia parte corporis aqua perfusa, prater caput, puer sit ritè baptizatus?

li Romano præſcriptum eſt. PARS I. Art. 2.

54. Perfecta & abſoluta Baptiſmi forma hęc eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti*. Ita enim à Domino & Salvatore noſtro traditum eſt, cùm Apoſtolis præcepit Matthæi 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*. Quod Traditio, teſtéſque Traditionis Patres univerſi confirmant. *Forma Baptiſmi.*

55 Irritus eſſet Baptiſmus, ſi quis baptizaret *In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis*, tribus Perſonis expreſsè non invocatis. Item ſi quis copulativâ conjunctione in diſjunctivam mutatâ, diceret: *Ego te baptizo In nomine Patris, vel Filii*. Item ſi quis baptizaret *In nomine Genitoris & Geniti, & Spirati*, ſeu *ab utroque Procedentis*. *Sicut* enim *Aqua ſumitur ad Baptiſmum, quia ejus uſus eſt communior ad abluendum, ita ad ſignificandum tres Perſonas in forma Baptiſmi aſſumuntur illa nomina, quibus communiùs conſueverunt nominari Perſonæ* (inquit *S. Thomas* in Reſponſione ad ſeptimum argumentum,) *Nec in aliis Nominibus perficitur Sacramentum*. *Formæ irritæ.*

56. Irritus pariter eſſet Baptiſmus in Chriſti ſolius nomine collatus. Ut enim ait *Didymus* Lib. 11. De Spiritu-Sancto: *Licèt quis poſſit exiſtere ſaxei (ut ita dicam) cordis & penitus mentis alienæ, qui ita bapti-* *An in ſolo nomine Chriſti.*

PARS I. Art. 2.

zare conetur, ut unum de præceptis Nominibus prætermittat, tamen sine perfectione baptizabit. Et *Pelagius* Papa in Rescripto ad *Gaudentium* Episcopum (ut refertur Dist. 4. *De Consecratione*, Cap. *Si revera*) hæc habet: *Si hi qui in locis Dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in Nomine Domini baptizatos fuisse confitentur; sine cujuscunque dubitationis ambiguo, eos ad Fidem Catholicam venientes, in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis*.

Objectio. *Responsio.*

57. At (inquies) legimus Actuum 2. 38. Cap. 10. 48. Cap. 19. 5. quosdam *In nomine tantùm Jesu Christi baptizatos*. Respondetur, Apostolos dici baptizasse tantùm in Nomine Domini Jesu, id est, Baptismo à Christo instituto, & ab illo vim & efficaciam omnem habente: sic enim vox ista, Nomen, usurpatur in Scripturis, Actuum 4. 7. *In qua virtute, aut in quo Nomine fecistis hoc vos?* v. 10. *In Nomine Domini Jesu Christi quem vos crucifixistis*. Luc. 24. 27. *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in Nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes*. Ita *S. Augustinus* lib. 2. contra *Maximinum Arianorum Episcopum* Cap. 27. & *S. Thomas* 3. P. Q. 3. A. 6.

Apostoli in Christi solius nomine non baptizarunt.

Actio Ministri in forma Baptismi

58. Non solùm tres Personæ Trinitatis in forma Baptismi propriis nominibus exprimendæ sunt, sed & actio Ministri, dicendo, *Ego te baptizo*: Cùm enim ablutio hominis

va-

varios ob fines fieri possit, necesse est ut Baptismi forma exprimatur ad quid fiat. Id autem satis non explicant hæc verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*; cùm in sancto hujusmodi Nomine omnia facere debeamus, ut docet Apostolus ad Colossenses 3. Ideóque actus baptizandi necessariò exprimendus est. At vox illa, *Ego*, non est ita necessaria, ut sine illa Sacramenti ratio non constet, cùm ejus vis contineatur in verbo *Baptizo*: Imò verò in Ecclesia Græca variata dicendi ratione prætermitti consuevit; propterea quòd nullam fieri oportere Ministri mentionem judicarunt ad vitandum antiquum illorum errorem, qui digniorem ac meliorem esse Baptismum à sanctioribus Ministris collatum censebant, dicentes: *Ego sum Pauli, ego verò Cephæ*: Ex quo factum est ut in Baptismo hâc forma passim utantur: *Baptizatur servus Christi, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*: A quibus tamen perfectè Sacramentum ministrari declaravit *Eugenius IV.* in Decreto ad Armenos. At si non exprimatur actus Baptismi vel modo nostro, vel Græcorum, non perficitur Sacramentum.

PARS I. Art. 2. *necessariò exprimenda.*

59. Simul ab eo qui baptizat, non ante, aut post ablutionem, verba Sacramenti, quæ formam continent; sed eodem tempore quo ablutio ipsa peragitur, pronuntianda sunt. Et sic si convenirent duo, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, &

Verba eodem simul tempore proferẽda sũt à Ministro, quo ablutionẽ

PARS I. Art. 2. *peragit.*

unus carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum. Possunt autem, si necessitas exigit, plures simul baptizari; quia nullus eorum reciperet nisi unum Baptismum: sed tunc dicendum esset, *Ego baptizo vos*; nec esset mutatio formæ, quia *Vos* nihil est aliud quàm *Te, & te*. At si plures unum baptizarent, dicendo, *Nos te baptizamus*, irritum fore Sacramentum videtur. His enim verbis significatur plures eâ intentione convenire ut unum Baptisma conferant: quod quidem videtur esse contra rationem Ministerii: homo enim non baptizat nisi ut Minister Christi, & vicem ejus gerens: unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum Ministrum qui Christum repræsentet: propter quod Apostolus ait ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*. Et ideo contraria intentio videtur excludere Baptismi Sacramentum. Si verò uterque diceret, *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum conferret. Quod contingere posset orta inter Ministros contentione, ex qua uterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, illum qui prior verba proferret, collaturum Baptismi Sacramentum: alium verò nihil effecturum: & si verba proferre aggrediatur, obnoxium fore pœnis rebap-

An plures ab uno possint simul baptizari?

An plures unum baptizare?

baptizantium. Si autem ſimul & eodem tempore ambo verba proferant, & hominem immergant, aut aſpergant, puniendi erunt ob modum præpoſterum, & illicitum baptizandi, non ob iterationem Baptiſmi: & uterque, quantùm in ſe eſt, baptizaret: nec traderent aliud & aliud Sacramentum, ſed Chriſtus qui eſt unus, interiùs baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret. *Ita S. Thomas* 3. P. Q. 66. A. 5. ad 4. & Quæſt. 67. A. 6. PARS I. Art. 2.

60. Baptizare ſe ipſum nemo poteſt: tum quia Baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio; diſtinctio autem eſſe debet inter perſonam generantem & genitam: tum quia mutaretur ſubſtantia formæ, dicendo, *Ego baptizo me*. *Nemo poteſt ſeipſũ baptizare.*

61. Pronomen, *Ego*, quamvis abſque peccato prætermitti non poſſit, ad ſubſtantiam formæ non pertinet, uti nec verbum, *Amen*. *Quæ verborum omiſſiones, mutationes, aut additiones Baptiſmum irritum reddant?*

62. Pronomen *Te*, ita neceſſarium eſt, ut qui tantùm diceret, *Baptizo*, nihil conficeret. Si tamen loco illius pronominis, *Ego*, Miniſter dicat, *Nos baptizamus*, aut loco *Te*, dicat, *Baptizo vos*, ad dignitatem perſonæ exprimendam; ratus erit Baptiſmus, cùm ſenſus non mutetur. Idem eſto judicium, ſi verbum activum in paſſivum mutetur; ut ſi dixerit, *Baptizaris à me*. Sic tamen immutari verba non poſſunt abſque gravi peccato, quamvis mutatio ſit accidentaria. *Pronomen Te neceſſariò exprimendũ.*

63. La-

PARS I. Art. 2.

Ecclesiæ suæ ritum quisque sequi tenetur.

63. Latinus formam Græcorum studiosè adhibens, *Baptizatur N. servus Christi in nomine Patris & Filii, & Spiritus-Sancti*: lethalis peccati reus est: at Baptismus validus est & ratus. Ecclesiæ suæ Ritum quisque sequi tenetur: sed ratum est Sacramentum, si formæ substantia servetur.

Quid de mutante verbum Baptizo *in* Abluo, Lavo, &c?

64. Si quis loco illius verbi, *Baptizo*, dixerit, *Abluo*, *lavo, immergo, aquâ tingo*; validus est Baptismus, modò Sacramentalem ablutionem intendat quam instituit Christus, & Ecclesia usurpat: alioqui si communem ablutionem dumtaxat intenderet ad corporis sordes abstergendas, ad sanitatem, ad refrigerationem, nihil conficeret Minister. Graviter tamen peccat, si verbum Evangelicum, *Baptizo*, mutare aggrediatur.

Baptismus collatus In nominibus *Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti sicut & absq; præpositione* In *invalidus est.*

65. Si loco, harum vocum *In nomine*, dicat, *In nominibus*, nullus est Baptismus, quia his verbis, *In nomine*, significatur unitas essentiæ, majestatis, potestatis, operationis in tribus Personis Sanctissimæ Trinitatis, quæ divisa significatur his verbis, *In nominibus*. Si quis præpositionem, *In*, prætermitteret, nihil conficeret.

Baptismi institutio.

66. Christus tunc Baptismum instituit, cùm à Joanne in Jordane baptizatus est. Cum enim Sacramenta vim conferendi gratiam ex institutione sua habeant: tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando virtutem accipit producendi suum effectum: hanc au-

autem virtutem accepit Baptiſmus, quando Chriſtus eſt baptizatus: unde tunc verè Baptiſmus inſtitutus fuit, cùm ipſe à *Joanne* baptizatus, ſanctificandi virtutem Aquæ tribuit, ejus tamen obligatio non cœpit niſi poſt Mortem & Reſurrectionem Chriſti, ac ſufficientem Legis Evangelicæ promulgationem. Nam in Paſſione Chriſti conſummata ſunt & finem habuerunt Veteris Legis Sacramenta, quæ umbræ erant & figuræ Sacramentorum Novæ Legis, quæ ipſis ſucceſſere. Et per Baptiſmum conformatur homo Paſſioni & Reſurrectioni Chriſti, in quantum moritur peccato, & incipit novam juſtitiæ vitam. Quamobrem oportuit Chriſtum priùs pati & reſurgere, quàm hominibus indiceretur neceſſitas configurandi ſe morti & Reſurrectioni ejus. Unde poſt Reſurrectionem Apoſtolis præcepit ut Legem Baptiſmi promulgarent, ac exequerentur: *Euntes* (inquit) *docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti*.

Triplex baptiſmus: Vnũ tamen baptiſmi Sacramentũ.

67. Triplicem vulgò Baptiſmum diſtinguunt Theologi: Baptiſmum Aquæ, Baptiſmum flaminis ſeu deſiderii, & Baptiſmum ſanguinis. Baptiſmum aquæ ſuperiùs definivimus. Baptiſmus flaminis, eſt vera cordis contritio includens votum Baptiſmi. Baptiſmus ſanguinis eſt Martyrium pro Chriſto toleratum, antecedens Baptiſmum aquæ & vicem ejus ſupplens.

Hæc

PARS I. Art. 2.

Hæc autem duo postrema Baptismata (inquit Sanctus Thomas) includuntur in Baptismo aquæ, qui efficaciam habet & ex Passione Christi, & ex Spiritu-Sancto: Unde hæc divisio non tollit unitatem Baptismatis. Conveniunt autem hæc duo cum Baptismo aquæ, non in ratione signi, sed in effectu Baptismatis, remissione scilicet originalis peccati, & spiritali regeneratione: & ideo non sunt Sacramenta.

Baptismi necessitas.

68. Omnibus hominibus Baptismi Lex à Domino præscripta est, non solùm iis qui adulta sunt ætate, sed etiam infantibus; ita ut nisi per Baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam, & interitum à parentibus, sive illi Fideles, sive illi infideles sint, procreentur. Propositio ista dogma fidei est, quod probatur ex illis Christi verbis Johannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

Baptismus flaminis supplet Baptismũ aquæ.

69. Nihilominus, Baptismum Aquæ in adultæ ætatis hominibus supplet Baptismus flaminis, seu perfecta cordis conversio cum voto Baptismi, quando illos à susceptione Sacramenti necessitas excludit. Promittit enim verò Deus salutem pœnitentibus, credentibus, Deum invocantibus. Psalmo 50. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*: Ezechielis 18, 21. 22. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis*

quæ

quæ operatus est... omnium iniquitatum PARS I. Art. 2.
ejus, quas operatus est, non recordabor.
Isaiæ 28. Joëlis 12. Epist. Ad Romanos 10. 11. 13. *Omnis qui credit in illum, non confundetur... Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Præterea, *Cornelium*, & alios, Spiritum-Sanctum accepisse antequam baptizarentur, *Actuum* 10. legimus. Votum itaque Baptismi perfectæ conversioni conjunctum justificare hominem potest, & Baptismi vicem supplere.

Objectio. Objicitur, Legem à Christo de Baptismo latam, exceptionem non pati: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum Dei*.

Responsio. Respondetur, Nullam exceptionem à nobis afferri ab hac lege probè intellectâ. Neminem enim hominem in Regnum Cęlorum introire posse asserimus sine Baptismo in re vel in voto. Hunc autem esse legis sensum ex Scriptura Sacra, Traditione, & Ecclesiæ interpretatione probamus. Et certè *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*; (ut dicitur 1. *Regum* 16.) Qui autem desiderat per Baptismum regenerari ex Aqua & Spiritu-Sancto, corde quidem regeneratus est, licèt non corpore, sicut & Apostolus ait ad Romanos 11. quòd *Circumcisio cordis est in Spiritu, non in littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*.

Baptismus San- 70. Martyrium quoque vicem Baptismi supplere, certissimum est. Id colligitur ex

PARS I. Art. 2. guinis.

verbis Christi Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Et Matth. 16. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Joannis 15. *Majorem hîc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*.

Minister Baptismi ordinarius, & solemnitatis Episcopus, & Parochus.

71. Sacerdos est proprius & ordinarius Minister Baptismi. Primi & secundi ordinis Sacerdotes, Episcopi nimirum & Presbyteri Populi Christiani regimini, & Parochialium Ecclesiarum administrationi præfecti, quos S. Thomas *Minores Principes Ecclesiæ* vocat, & 72. Discipulorum Successores, Sacerdotis nomine hîc exprimuntur ac designantur; quibus datum est ut jure suo, non extraordinariâ aliquâ potestate, baptizandi munus exerceant.

Infantes extra Ecclesiã parochialem non baptizandi, excepto articulo necessitatis.

72. Quamvis autem Baptismus ubicumque & à quocunque verbis evangelicis consecratus validus sit & ratus, neque necesse sit ad essentiam Sacramenti in publico Ecclesiæ cœtu baptizare, & intra domesticos parietes baptizari possit infans in mortis periculo constitutus: Sacris tamen Canonibus sancitum est, & Ecclesiæ Disciplinâ præscriptum atque usurpatum, ne extra Parochialem Ecclesiam solemni Ritu baptizandi offerantur infantes, excepto necessitatis articulo. Ita Concilium Coloniense 2. anno 1649. Cap. 15. neminem ab ea lege excipiens præter Regum & Principum filios, *Quibus va-*

valeat secundùm Concilium Viennense deferri. Vide Clementinam unicam *De Baptismo.*

73. Diaconis jure suo, & sine Episcopi aut Parochi concessione, absque urgente necessitate nunquàm tribuendâ, Baptismum solemni Ritu administrare non licet. Cùm enim Diaconi, ut eorum nomen sonat, Sacerdotum Ministri sint, ad illos non pertinet Sacramentum aliquod jure suo, & quasi ex proprio officio administrare, sed ministerium adhibere Sacerdotibus in Sacramentorum Administratione, adeòque in ipso Baptismo.

Diaconi absque licentia solemniter Baptizare non possunt.

74. Omnes & singuli, etiam de Populo, sive mares, sive feminæ, quamcumque illi sectam profiteantur, cogente necessitate, sine solemnibus ceremoniis baptizare possunt. Id cùm multa veterum Patrum & Conciliorum Decreta confirmarunt (inquit Concilii Tridentini Catechismus) tum verò à Sacra Synodo Tridentina *Anathema* in eos sancitum est, qui dicere audeant, *Baptismum, qui etiam datur ab Hereticis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum*

Minister extraordinarius, & necessitatis, omnis homo.

75. Peccant Laïci, sive viri, sive mulieres, Baptismum extra casum necessitatis administrantes: Imò & Clerici quicumque sive Minores, sive Majores, præter proprium Parochum, vel Sacerdotem cui hanc ille provinciam demandaverit. Et illud quidem peccatum ex genere suo mortale est:

Laicis extra casum necessitatis Baptismū administrare non licet.

Tum

PARS I. Art. 2.

Tum quia *Usurpatio est alieni muneris*, ut loquitur *S. Augustinus* Lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani*, Cap. 13. Tum quia præceptum Ecclesiæ in re gravi violatur: Tum quia peccatur contra reverentiam Sacramento debitam.

Non licet pariter alteri quam proprio Parocho offerre Baptizādos.

76. Peccant graviter ob easdem rationes, qui pueros alteri quàm proprio Parocho, vel Sacerdoti cui hanc ille provinciam commiserit, baptizandos offerunt, & multò magis si Laïco, mulieri, Hæretico, aut non baptizato, extra casum necessitatis. Ita *S. Thomas* 3. P. Quæst. 67. Art. 3. ad Primum, Art. 4. ad tertium, & Art. 5. in corpore.

Quis ordo à fidelibus in Baptismo conferēdo servādus.

77. Hic ordo à Fidelibus in Baptismo conferendo, cùm necessitas cogit, omnino servandus est; ut mulier, si viri adsint; Laïcus item præsente Clerico; tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi Administrationem sibi non sumant. Ita *S. Thomas* Art. 4. Concilii Trident. Catechismus, & *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Baptismi.

Quid hac in parte possit Obstetrix.

78. *Obstetricibus autem, quæ baptizare consueverunt, formámque Baptismi tenent, baptizare quidem necessitate urgente permittitur, etiam præsente Laïco, qui hujus Sacramenti conficiendi planè ignarus rudisque sit.* Ita *S. Carolus*, & Catechismus Concilii.

Quid Parentes.

79. *Parentes autem omnino caveant, ne liberos suos baptizent absque manifesta necessitate, cùm scilicet alii quoquo modo apti*

non

non adsunt, & periculi urget necessitas: Quod ipse etiam monebit, proüt usu aliquando venerit. Ita *S. Carolus Borromæus* in *Instructionibus Baptismi*. PARS I. Art. 2.

80. *Baptizandi formulam Curatus non solùm ex Catechismi Romani præcepto generatim, sed etiam privatim, ac præcipuè obstetricibus, in Ecclesia tamen, planè ostendat ac tradat, quam etiam an illæ rectè teneant, aliquando eodem loco accuratè videat, ac diligenter quærat*. Ita Synodus Aquensis anno 1585. *Quæ attentio Curati.*

81. Præter Sacramenti Ministros, Susceptores etiam sive Patrini ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine ad Baptismum convenienter adhibentur. *De susceptoribus, sive Patrinis.*

82. Susceptorum sive Patrinorum partes sunt, si id parentum opera minùs præstare possit, puerum qui Christo per Baptismum gignitur, cùm primùm rationis usum habere cœperit, tam Baptismi suscepti, quàm professæ in Baptismo fidei admonere, simúlque providere, ut ejusdem fidei elementis, veríque Dei cognitione & cultu Catholicè instituatur, & moribus Christianis informetur. Ante omnia autem Symbolum Fidei, Orationem Dominicam & Decalogum filiolos suos docere debent. Hâc autem potissimùm lege sunt obstricti, cùm necessitas imminet; sicut eo tempore & loco, in quo baptizati inter Infideles nutriuntur, vel ex parentibus Hæreticis, aut ad Religio- *Susceptorum, sive Patrinorũ officia.*

PARS I. Art. 2.

nem Catholicam recèns conversis, & eam ficto forsan animo professis, nati sunt. *Sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos*, & ex parentibus probatæ fidei sunt geniti, *satis possunt ab hac cura excusari Patrini; præsumendo quòd à suis parentibus diligenter instruantur: Si tamen quocunque modo sentirent contrarium, tenerentur secundùm suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere*. Ita *S. Thomas* 3. P. Q. 67. Art. 8.

Spiritualis cognatio ratione baptismi, inter quos oriatur.

83. Spiritualis cognatio Matrimonium contrahendum impediens, & dirimens contractum, oritur inter Susceptores sive Patrinos, ac baptizatum ipsum, & illius Patrem ac Matrem, necnon inter baptizantem & baptizàtum, baptizatíque Patrem ac Matrem. Unde Ecclesia providere volens ne inter plures hujusmodi affinitates contraherentur, quæ impedirent quò minùs legitimo Matrimonii vinculo hominum inter homines societas latiùs diffunderetur, statuit ne plures baptizatum de sacro Fonte suscipiant, sed unus tantùm, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una. Id constat ex Cap. *Veniens*, Extra, *De Cognatione spirituali*; & ex Concilio Tridentino Sessione 24. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. 2.

Unus Patrinus vel una Matrina sufficit; duo

84. Plures sunt istius Decreti partes: Primò, unum Patrinum, vel unam Matrinam sufficere declarat ad baptizandum è sacro Fonte suscipiendum. Secundò, duos admit-

admitti posse, quorum unus masculus sit, altera fœmina, quæ consuetudo obtinuit. Tertiò, plures admitti vetat. Quartò, spiritualem Cognationem contrahi inter Patrinos & Matrinas, & baptizati Patrem ac Matrem: Ex quâ fit ut nec Patrinus filiolæ suæ, vel ejus Matri; nec Matrina filiolo suo aut ejus Patri nubere possit. Contrahitur eadem spiritualis Cognatio inter baptizantem & baptizatum, ac baptizati Patrem & Matrem: Ita ut si Laïcus quispiam, cogente etiam necessitate puellam baptizaret, nec illam, nec illius Matrem Conjugem unquam habere possit. Et si inter hujusmodi Personas commercium aliquod carnale intercedat; præter fornicationis malitiam, peccatum illud singularem deformitatem ac gravitatem spiritualis incestûs habebit, in Confessione Sacramentali necessariò exprimendam. Quintò, declarat Concilium, spiritualem illam Cognationem contrahi dumtaxat ab uno vel una, vel ab uno & una, qui ad baptizatum de sacro Fonte suscipiendum designati & admissi, ipsum obtulerint, pro eo responderint, & tetigerint, cùm baptizatur. Quod Pontificio Diplomate Beati Pontificis *Pii V.* quod incipit, *Cùm illius vicem*, anno 1566. confirmatum est. Nihil autem refert ad istam Cognationem contrahendam, sive domi sine ceremoniis, sive in Ecclesia solemni Ritu Baptismus administretur, modò Patrini designati sint, & baptizandum

PARS I. Art. 2. *admitti possunt, nō plures.*

PARS I. Art. 2.

offerant ac teneant, ejusque curam suscipiant. Unde Laïcus qui puellam domi in articulo necessitatis baptizavit, nec ipsi, nec ejus Matri nubere potest, ut respondet *S. Antoninus*, P.3. Tit.1. Cap.15. Si verò non ut Patrini, sed ut homines necessitati servientes, teneant baptizandum, nullam cognationem contrahunt. Idem esto judicium de illis, qui puero jam domi propter mortis periculum baptizato Patrini designantur, qui solemnibus Ceremoniis supplendis assistant, ac nomen etiam imponant. *Spiritualis enim Cognatio non contrahitur nisi per aliquod Sacramentum*, inquit *S. Thomas*, Quæst.56. Supplementi, Art. 2. Eadem ratio est & de Procuratore, qui alterius nomine baptizandum è sacro Fonte suscipit: Spiritualem enim Cognationem ille non contrahit, sed is cujus agit nomine, & cujus habet Mandata. Sextò declarat Concilium, alios à designatis Patrinis, qui baptizandum tenuerint vel tetigerint, nullam Cognationem contrahere, omnibúsque Constitutionibus in contrarium derogat, inter alias Capiti *Quamvis, De Cognatione spirituali*, in Sexto. Declarat septimò Concilium, Cognationem spiritualem pariter contrahi in Sacramento Confirmationis inter Confirmantem & Confirmatum, illiúsque Patrem ac Matrem, & Susceptorem. Declarat denique hujus spiritualis Cognationis impedimenta inter alias Personas esse omnino sublata.

lata. Quæ igitur olim intercedebat spiritualis Cognatio inter Patrem baptizati, & uxorem Patrini, vel inter duorum Compatrum filios, per quorum alterum ad Compaternitatem perventum esset, secundùm Caput *Ita*, §. *Est inter*, Causâ 30. Quæst. 3. & Cap. *Post susceptum*, ibidem; secundùm Caput *Martinus*, & Cap. *Tua nos*, Extra, *De Cognatione spirituali*, & Cap. *Nedum*, necnon Cap. *Quamvis*, eodem Titulo, in Sexto, Tridentini Concilii Decreto sublata est.

Qui ad suscipiendum admitti non debent. Pater, & Mater.

85. Pater & Mater baptizati Patrinorum officio in illius Baptismo fungi non debent, nisi cogat necessitas. Sicut enim alia est generatio spiritualis à carnali, ita etiam debet esse alia disciplina, secundùm illud *S. Pauli* ad Hebræos 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reverebamur eos, non multò magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus*? Et ideo alius esse debet Pater spiritualis à carnali, nisi necessitas contrarium exigat. Qui filium suum ex sacro Fonte susceperit, vel ipsum baptizaverit, extra casum necessitatis, nisi excuset ignorantia, spiritualem contraxit cum uxore Cognationem; ex quâ fit ut conjugale debitum ab ipsa petere non possit: Idémque esto judicium de uxore quæ filium ex Baptismo susceperit, vel salutari Lavacro lustraverit. Debitum tamen reddere tenetur, quia ex unius culpa non debet alter commodum aliquod reportare. Ita *S. Tho-*

PARS I. Art. 2.

mas, Quæst. 56. Supplementi, Art. 1.

Vir & Vxor, excommunicati, interdicti, publici criminis rei &c.

86. „ Ad suscipiendum ex Sacro Fonte „ puerum non sunt admittendi simul vir & „ uxor, nec excommunicati, interdicti, „ publici criminis rei, inaméſve, putà con„ cubinarii, usurarii, ebriosi, qui cum ini„ micis reconciliari nolunt, &c. Qui Pas„ chalis Confessionis, & Communionis of„ ficio perfuncti non fuerint: Nec pueri na„ tu minores quatuordecim annis, aut puel„ læ duodecim; nec qui sanâ mente non „ sunt; nec præterea illi qui Symbolum Fi„ dei, Orationem Dominicam, Salutatio„ nem Angelicam; rudimentáque Fidei „ Christianæ ignoraverint: De quibus in„ terrogare eos debet Parochus, si ea de re dubitet. „ Ita *S. Carolus Borromæus* in Concilio Provinciali Mediolanensi.

Qui nondum Confirmationis Sacramentum susceperunt.

87. *Admitti etiam non debent Patrini, qui nondum Confirmationis Sacramentum susceperint.* Ita *S. Carolus* in Instructionibus Baptismi.

Peregrini, Hospites ignoti.

88. *Eam etiam rationem cohortando Parochus habebit, ut ne peregrini, hospites ignoti, & ii denique Compatres adhibeantur, quorum domicilium cùm longè absit, verisimile non est consuetudinem inter baptizatum eósque ita futuram, ut suscepti muneris functionem in eo instruendo præstare possint.* Ita *S.Carolus*. Multò minùs admittendi sunt Hæretici, aut Schismatici, ut statuit Concilium Moguntinum relatum Cap.

In

In Baptiſmate Diſt. 4. *De Conſecratione*. PARS I. Art. 2.

89. Ad pueros è Sacro Baptiſmi Fonte ſuſcipiendos admitti non debent Monachi, aliive Regulares, aut Moniales; ut habetur Cap. *Non licèt*, Diſt. 4. *De Conſecratione*. *Monachi, & Moniales.*

90. Quivis homo capax eſt Baptiſmi, ſive adultus, ſive puer, ſive vir, ſive mulier. Hæc Propoſitio evidens eſt ex Oraculo Chriſti, Matth. ultimo. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti.* *De ſuſcipientibus Baptiſmũ. Quivis homo eſt capax Baptiſmi.*

91. Infans in utero Matris adhuc exiſtens baptizari non poteſt. Regenerari enim & renaſci nemo poteſt, niſi primò naſcatur. Cùm itaque Baptiſmus ſit ſpiritualis regeneratio, baptizari nemo poteſt priùs quàm ex utero naſcatur. Principium iſtud eſt *S. Auguſtini* Epiſtolâ 187. aliàs 57. ad *Dardanum*. *Non parvulus in utero Matris.*

92. Præterea, Corpus baptizandi aquâ perfundi neceſſe eſt, cùm Baptiſmus ſit ablutio quædam: Corpus autem Infantis antequàm naſcatur ex utero, non poteſt aquâ perfundi, niſi fortè dicatur ablutionem baptiſmatis, quâ corpus matris lavatur, ad filium in utero exiſtentem pervenire: ſed id verè dici non poteſt; tum quia anima pueri, ad cujus ſanctificationem ordinatur Baptiſmus, diſtincta eſt ab anima matris; tum quia corpus pueri animati jam eſt formatum, adeóque à corpore matris diſtinctum: & ideo Baptiſmus quo mater baptizatur, non redun-

PARS I. Art. 2.

dundat in prolem in utero matris existentem. Unde *S. Augustinus* ait Libro 6. Contra *Julianum*, Cap. 5. *Si ad matris corpus id quod in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus pars imputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cùm eum gestaret in utero: nunc verò cùm ipse etiam baptizetur, non utique ad maternum corpus, cùm esset in utero pertinebat.* Quamobrem nullo modo infantes in maternis uteris existentes baptizari possunt. Ita ratiocinatur *S. Thomas* 3. P. Q. 68. Art. 11. Idem confirmatur ex Canone *Qui in maternis*, sumpto ex S. Isidoro Hispalensi Lib. 1. Sententiarum c. 24. ex Canone *Si ad matris*, & Canone *Si qua mulier*, Dist. 4. *De Consecratione*.

Quid, cùm timetur de partu.

93. Expectanda est igitur totalis egressio pueri ex utero, ut baptizetur, nisi mors immineat: si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente, & non est postea rebaptizandus si perfectè nasci contigerit. Idemque faciendum est, quæcumque alia pars egrediatur; periculo imminente, & sub conditione re baptizandus, si natus vixerit. *S. Thomas* loco cit. & *S. Carolus* in Instructionibus.

Quid moriente Matre in partu.

94. *Si quando autem in partu mulier obierit, hoc fieri admonebit Parochus, ut uterus aperiatur, indéque fœtus eductus, si vivit, quamprimùm baptizetur. Id verò ma-*

magna cautione fiat, ut & is vivus ex utero extrahatur, & tunc in primis cùm mater verè mortua est, ne pro salute filii mater occidatur. Ita *S. Thomas* Quæstione & Articulo supra laudatis, in Responsione ad tertium.

PARS I. Art. 2.

Infantes mortui baptizari non debēt.

95. *Infantes qui mortui nascuntur, baptizari non debent, etiamsi in iis ad pia quædam loca à simplicibus aut superstitiosis mulierculis delatis motus aliquis aut calor ab extrinseco ortus, aliudve signum æquivocum vitæ appareat. Si tamen evidens signum vitæ ipsos ad vitam rediisse probaret, baptizandi essent*. Ita *Philippus* Lingonensis Episcopus in Synodo Anni Millesimi quadringentesimi quinquagesimi quinti.

Quid de Monstris?

96. Circa Monstrorum Baptismum cautio maxima est adhibenda. De monstrorum humanorum Baptismo *S. Carolus* ita decernit in Instructionibus Baptismi: *Si quando monstrum humanum Baptismo offertur, videndum est antequam baptizetur, an una persona sit, an verò duæ: tum masculúsne sit, an fœmina, Sique re perspectâ dubium est an sint duo, utpote quia duo capita non habet, nec pectora bene distincta; unus intentione certâ, neque vagâ, simpliciter baptizetur: alter vero, seu alii sub conditione:* Si non es baptizatus, &c. *Si vero quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam distincta in Monstro apparent, homines duos esse perspicuum est, singuli simpliciter baptizen-*

PARS I. Art. 2.

zentur. Quòd si mortis periculum in mora erit, numero plurali baptizentur: Ego vos baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti. *Sin autem una persona est, utpote unum tantum caput habens, tanquam unus baptizetur, etiamsi alia membra plura geminatáve habeat. At verò Monstrum quod hominis speciem non præ se fert, non baptizetur, nisi primùm Archiepiscopus vel Episcopus consulatur: De cujus etiam consilio agetur, quod supra de Monstro humano dictum est, si tempus dabitur.* Si autem dubitetur an sit homo, baptizari debet sub conditione, dicendo: *Si tu es homo, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti.*

De Pueris Infideliū. Non possunt baptizari invitis parentibus.

97. Pueri Judæorum, & aliorum Infidelium, invitis parentibus baptizari non debent: quamvis collatus ipsis Baptismus sit ratus ac validus. Hanc Propositionem probat *S. Thomas Secunda Secundæ*, Quæst. 10. Art. 12. & 3. P. Quæst. 68. Art. 19. Primò ex Ecclesiæ consuetudine in omnibus sequenda, quæ nunquam id probavit: secundò, quia id justitiæ naturali repugnaret, cùm puer quandiu usum rationis non habet, sit sub cura parentum, cui subtrahi non potest sine violatione juris naturalis: aliunde si parentibus Infidelibus relinquerentur baptizati, fides in periculum veniret.

Objectio.

98. At (inquies) Qui potestate sua abutitur, eâ jure privari potest: & quilibet prohibe-

bere poteſt ne injuria & vis manifeſta infe- ratur innocenti: parentes porrò nolentes baptizari filios ſuos, abutuntur poteſtate ſuâ in illorum perniciem, multò magis quàm ſi ipſos occiderent: licet itaque ipſos ſub- trahere parentibus, & illis invitis baptizare. PARS I. Art. 2.

99. Reſpondetur, Eum qui jure ſuo ac poteſtate abutitur, eo privari poſſe ab illis quibus ſubeſt: parentes autem infideles qui filios ſuos baptizari nolunt, abutuntur qui- dem jure ſuo contra legem Fidei & Religio- nis in quâ nemini homini adhuc ſubduntur, à quo emendari & plecti poſſint: non abu- tuntur tamen jure ſuo contra ordinem juſti- tiæ naturalis aut politicæ, ſicut abuteren- tur parentes qui filios ſuos occidere vellent. Quamobrem poſſent illi auctoritate publicâ ſubtrahi parentibus, ut eorum ſaluti conſu- leretur: imò & quilibet ipſis in extremo pe- riculo conſtitutis poſſet ſuccurrere, cùm vi- tæ damnum reſarciri non poſſit: ſed tamen ipſis eripi, vel eorum curæ ſubtrahi non poſ- ſunt ut baptizentur: quia nec in extremo ſalutis periculo conſtituti cenſentur propter ſolam Baptiſmi dilationem, niſi mors immi- neat; & accedere ipſi poſſunt ad Baptiſmum, cùm ad ætatem adultam pervenerint. *Reſponſio.*

100. Confirmatur ex S. *Thomæ* Reſpon- ſione ad primum: *A morte* (inquit) *cor- porali non eſt aliquis eripiendus contra ordi- nem juris civilis; puta, ſi aliquis à ſuo Ju- dice condemnetur ad mortem, nullus debet* *Confirma- tur.*

eum

PARS I. Art. 2.

eum violenter à morte eripere: unde nec aliquis debet irrumpere ordinem juris naturæ, quo filius est sub cura Patris, ut eum liberet à periculo mortis æternæ.

Exceptio. 101. Nihilominus filii infidelium, qui aliquando fidem susceperunt, sed ab ea defecerunt, invitis parentibus possunt baptizari. Cùm enim ex parentibus Christiànis, ideóque Ecclesiæ subjectis nascantur, ipsi pariter Ecclesiæ subjecti sunt: cúmque parentes fidem ac legem Christianam in Baptismo professi, ad sacrum & solemne pactum servandum cogi possint, filios etiam illorum baptizare licet, quantumvis parentes repugnent.

Exceptio altera. 102. Pueri quoque Infidelium, qui sunt Christianorum servi, non solùm servitute civili, sicut Judæi sunt servi Christianorum Principum, quorum in ditionibus tolerantur; sed servitute pœnali, sive mancipia, possunt invitis parentibus baptizari. Cùm enim servitus jure gentiũ sit introducta, jam non sub parentum cura & regimine, sed sub Domini potestate existunt, qui ut ipsos vendere, donare, & quò voluerit mittere potest; ita & Baptismum inconsultis & invitis parentibus illis procurare.

Exceptio 3. 103. Puerum in extremo vitæ periculo constitutum, & de cujus temporali salute desperatum est, invitis parentibus baptizare licet: tum quia de illius æterna salute pariter desperatum est, nisi baptizetur; tum quia

mors

mors ipsum parentibus eripit potiùs quàm Minister Baptismi. Pars I. Art. 2.

104. Alterutro parentum consentiente, puer baptizari potest, quantumvis repugnet alter. Cùm enim hujusmodi consensus ab eo datus sit qui jus habet, cedátque in favorem Religionis, & spiritalem utilitatem pueri, eo absque hæsitatione utendum est. Ita Concilium Toletanum 3. sub *Recaredo Rege*, Canone 14. Toletanum 4. sub *Sisenando Rege*, Canone 63. *Gregorius IX.* Argentinensi Episcopo respondens, (ut Cap. *ex Litteris*, Extra, *De Conversione Infidelium*, refertur) de puero quadrienni, quem Pater ex Judaismo ad Christum conversus, sibi assignari in judicio postulavit, ad Fidem Catholicam perducendum, quantumvis uxor in Judaica perfidia pertinax repugnaret. *Exceptio* 4.

105. Pueri à parentibus Infidelibus sive jure, sive injuriâ separati, & tanta locorum intercapedine dissiti, ut parentes eos recipere non possint, nec iis providere, possunt illis inconsultis baptizari, pro illorum arbitrio qui ipsos in clientelam, & curam suam receperunt. *Exceptio* 5.

106. Pueri quoque Infidelium, ut primùm rationis usum attigerunt, invitis parentibus baptizari possunt. Tunc enim *Quantùm ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse: & ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut & Matrimonium* *Exceptio* 6.

con-

PARS I. Art. 2.

contrahere : & ideo tales licitè moneri possunt & induci ad Baptismum suscipiendum: (inquit *S. Thomas* 3.P. Quæst.68. Art. 10.)

Amentes & furiosi.

107. Amentes & furiosi à nativitate aut à pueritiâ perpetuò his morbis laborantes, baptizari possunt sicut infantes : qui verò amentiâ, vel furore ex intervallis laborant, non sunt baptizandi, nisi Baptismum ante amentiam vel furorem, aut in lucidis intervallis postulaverint. Ita docet *Innocentius III.* Cap. *Majores*, Extra, *De Baptismo & ejus effectu*. Ita etiam *S. Thomas* 3. P.Q.68. Art. 12. Qui autem lethargico sopore sunt correpti; *Non sunt baptizandi nisi periculum mortis immineat, si* tamen *priùs in eis voluntas apparuit suscipiendi Baptismum*: Sicut *S. Augustinus* Libro 6. *Confessionum*, Cap. 4. narrat de Amico suo, qui *Baptizatus est nesciens*, propter periculum mortis. Idem docet Concilii Tridentini Catechismus.

Energumeni, Catechumeni.

108. Energumeni, & Catechumeni baptizandi sunt urgente necessitate, aut datâ opportunitate. Ita statuit Concilium Arausicanum I. Canone 15.

Baptizandorum adultorum necessarius consensus.

109. Ad Baptismum adultorum necessarius est baptizandorum consensus, seu intentio suscipiendi Baptismum, quæ saltem præcesserit, & per actum contrarium non fuerit revocata. Baptizandum enim interrogat Sacerdos, *Vis baptizari?* Et respondet, *Volo.* Et pueris quidem valet, cùm alii pro eis respondent, quia ipsi respondere non possunt:

At

At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet (inquit *S. Augustinus* Libro 4. *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. 24.) Si quis tamen minis, terroribus, plagis compulsus, Baptismum postulet, quamvis secundùm quid nolens dicatur, non ideo absolutè invitus est, sed absolutam habet voluntatem, quamvis minis & terroribus excitatam. Ac de hujusmodi homine *S. Augustinus* intelligendus est, Tractatu 25. in Joannem: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad Altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens*. Quamquam de Eucharistia potiùs, quàm de Baptismo, locus iste fortassis explicandus sit; alia autem ratio est Eucharistiæ, quæ in re permanente consistit; hanc enim recipere potest absolutè nolens, quamvis non prosit nisi volenti, &, ut par est, disposito: alia ratio Baptismi, & aliorum Sacramentorum, quæ consistunt in usu, seu applicatione ad recipientem: hæc enim humano modo recipi non possunt, nisi consentiat is qui recipit. Confirmatur ratione *S. Thomæ*, 3. Par. Q. 68. Art. 7. Per Baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ novitatem; secundùm illud ad Romanos 6. *Consepulti sumus Christo perBaptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Et ideo sicut ad hoc

nt

PARS I. Art: 2.

ut homo moriatur veteri vitæ, requiritur, secundùm *S. Augustinum*, in habente usum liberi arbitrii voluntas quâ eum veteris vitæ pœniteat; ita requiritur voluntas quæ intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio Sacramenti: & ideo ex parte baptizati requiritur voluntas seu intentio suscipiendi Sacramentum. Quæ si defuerit adultæ ætatis homini, rebaptizandus est.

Alienum est ab Ecclesiæ disciplinâ ut ad Baptismû suscipiendû infideles cogantur.

110. Quamvis autem ratus sit ac validus Infidelium Baptismus, qui minis, terroribus, ac pœnis compulsi, Baptismum postularunt & tandem consentientes receperunt, illique ad fidem servandam & Christianè vivendum cogi possint: alienum tamen est ab Ecclesiæ ingenio & disciplinâ, ut sic ad Baptismum suscipiendum compellantur. Prædicatione, & suasionibus, non minis & terroribus homines ad Christianam Religionem adduci Christus voluit. Unde *Tertullianus* ait: *Non est Religionis cogere Religionem*. Et *S: Gregorius*, Epistola 3. Libri 2. *Pastores*, inquit, *facti sumus*, *non percussores*, *Et egregius Prædicator dicit*: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. *Nova verò atque inaudita est ista Prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*. Extra, *De Judæis*, Cap. *Sicut Judæi*, cujus hæc sunt verba: *Statuimus ut nullus invitos vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat*. Favet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst, 10, Art. 8.

111. Fi-

111. Fides ad consequendam Baptismi gratiam maximè necessaria est adultis. Probatur ex Christi verbis, *Marci* ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* PARS I. Art. 2. *Necessaria Fides.*

112. Ad gratiam per Baptismum obtinendam, necessaria adultis est Pœnitentia, seu dolor sincerus de peccatis antea commissis, peccandi voluntatem excludens. Id docet Apostolorum Princeps, cùm magnæ illi hominum multitudini, qui, ut ait Scriptura, compuncti corde, ab eo, & à reliquis Apostolis, quid sibi faciendum esset quæsierant, ita respondit Actuum 11. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Peccatoribus voluntatem peccandi & propositum perseverandi in peccato habentibus, Sacramentum Baptismi non esse conferendum probat *S. Thomas* 3. P. Quæst. 68. Art. 4. multiplici ratione: Et in Responsione ad secundum ait, quòd Spiritualis „ Medicus, scilicet Christus, operatur dupli„ citer: Uno modo interiùs per se ipsum; & „ sic præparat volūtatem hominis, ut bonum „ velit, & malum odio habeat: alio modo ope„ ratur per Ministros, exteriùs adhibēdo Sa„ cramenta; & sic operatur perficiendo exte„ riùs id quod est interiùs inchoatum: & ideo „ Sacramentum Baptismi non est exhibendū „ nisi ei in quo interioris cōversionis aliquod „ signū apparet; sicut nec medicina corpora„ lis adhibetur infirmo, nisi in eo aliquis mo- *Pœnitentia.*

PARS I. Art. 2. „ tus vitalis naturæ appareat. „ Deinde Concil. Trident. Sessione 6. cap. 6. explicans modum præparationis ad justificationem, in adultis necessariæ, docet necesse esse ut *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*; *ac propterea moveantur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agere oportet*: Proponántque *suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Inanis itaque Baptismus, si justitiæ & salutis gratiam spectamus, in eo futurus est, qui *Secundùm carnem ambulare, non secundùm spiritum*, cogitat: etsi, quod ad Sacramentum pertinet, perfectam ejus rationem sine ulla dubitatione consequitur, si modò, cùm ritè baptizatur, in animo habeat id accipere, quòd à Sancta Ecclesia administratur. Ad Baptismum non esse admittendos adultos priùsquàm vitam mutaverint, & peccatis renuntiaverint; aut priusquàm edocti fuerint quid ad bonam vitam moresque pertineat; *S. Augustinus* disertè docet Libro *de Fide & Operibus* Cap. 6.

Effectus Baptismi. 113. Primus ac præcipuus effectus Baptismi, est cujuscumque peccati, sive à primis parentibus origine contracti, sive à nobis commissi, plena & perfecta remissio. Id à Prophetis prænuntiatum est; eò enim spectat illud Ezechielis oraculum Cap. 34. 25. 28. *Effundam super vos aquam mundam, & mun-*

mundamini ab omnibus iniquitatibus vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos, Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri. Quod de Baptismo & remissione omnium peccatorum per admirabilem illius virtutem datâ explicant *S. Cyprianus* Epistola 56. *S. Hieronymus* & *Theodoretus* in Commentariis. Idem prænuntiavit *Zacharias*; Cap. 13. 1. *In die illa erit Fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ*. Item Michæas Cap. 7. 19. *Revertetur, & miserebitur nostri: depones iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Idem probant Novi Testamenti oracula: ait enim Apostolorum Princeps Act. 11. *Baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatotum*. Et *Ananias* ad *Saulum* Act. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua*. Et ipse *S. Paulus* Ad Romanos 6. 1. ad *Corinthios* 6. post longam graviorum peccatorum enumerationem, subjicit: *Et hac aliquando fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*. Quibus verbis luculenter & invictè probatur, non solùm radi, vel tegi, seu non imputari peccata hominibus baptizatis, sed verè, plenè, ac perfectè remitti, deleri, condonari. Id Ecclesia in Symbolo profitetur: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*.

PARS I. Art. 2.

114. Obji-

PARS I. Art 2. *Hæreticorum objectionibus respondetur. Concupiscentia in baptizatis non est peccatum.*

114. Objiciunt Hæretici concupiscentiam manere in hominibus baptizatis : At concupiscentia peccatum est, secundùm Apostolum Cap. 7. Epistolæ ad Romanos.

115. Respondetur, In baptizatis quidem manere concupiscentiam, sed eam veré peccati rationem non habere : Peccatum autem ab Apostolo vocari, quia ex peccato relicta est, & ad peccatum inclinat. Ita Synodus Tridentina Sessione 5. Canone 5. Quod autem concupiscentia non sit verè peccatum, nisi pravis ejus motibus consentiatur, probant hæc Apostoli verba ad Romanos 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Quod præceptum tunc impletur, quando concupiscentiæ ad peccatum sollicitanti consensus non præbetur. Item illa ad *Romanos* 8. ubi cùm de involuntariis concupiscentiæ motibus Capite præcedenti disseruisset, ita colligit : *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant*, id est, qui Christo sunt insiti per Baptismum, & in eo regenerati, quamvis sentiant pugnam carnis perduellis adversùs spiritum, ab omni prorsus peccato mundi sunt, nullique pœnæ obnoxii, quæ ab aditu regni cœlorum illos remoretur, quamdiu secundùm carnem non ambulant, id est, quamdiu motibus concupiscentiæ adversùs rationem insurgentibus non consentiunt. Unde subjungit : *Si spi-*

ritu

ritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam spiritu facta carnis mortificare, est carnis motibus & desideriis ad illicita provocantibus non consentire; sed resistere *Manet autem in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia.* Manet [inquam] ut materia exercendæ virtutis. In cujus rei figura dictum est *Judicum III.* Capite: *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & haberent consuetudinem præliandi. S. Augustinus* Lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiscentia* Cap. 25. PARS I. Art. 2.

116. In Baptismo pœnę omnes peccatis debitæ à Deo benignè condonantur. Omnibus enim in Christum credentibus persuasum esse debet, quod à *S. Paulo* scriptum est: In Baptismo Christo nos commori [Ad Romanos 6.] *Si mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam vivemus cum eo.* *Omnis pœnæ condonatio.*

117. Quamquam verò in Baptismo pœnæ peccatorum condonentur; ab eo tamen pœnarum genere, quæ civilibus Judiciis ob grave aliquod scelus luendæ sunt, nemo liberatur. *In pœnis* scilicet *quæ judicio humano inferuntur, non solùm attenditur quâ pœnâ sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus adhuc quoad homines, quos justum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Piè tamen talibus Princeps posset pœnam indulgere,* inquit *S. Thomas* Quæst. 69. A. 2. in Responsione ad 3. *Non tamen Civilis.*

PARS I. Art. 2.

Regeneratio & Virtutum infusio.

118. Alter effectus Baptismi est regeneratio seu renovatio, per Gratiam sanctificantem, virtutum infusarum ac donorum comitatu instructam. Quare cùm Apostolus ad *Titum* scribens Cap. 3. ait: *Salvos nos fecit per Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs-Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum*: His verbis, *effudit in nos abundè*, significat Spiritum-Sanctum in Baptismo dari, non solùm ad remissionem peccatorum, sed etiam ad copiam virtutum, ut explicat Concilii Tridentini Catechismus.

Character

Pœnæ rebaptizantium, & rebaptizatorum.

119. Baptismus imprimit Characterem, ex quo fit ut iterari absque sacrilegio non possit. Hinc pœnam Irregularitatis cùm in rebaptizantes, tum in rebaptizatos sacri Canones decernunt. Cap. *Qui bis*, Dist. 4. *De Consecratione*. Cap. *Licet*, Extra, *De Baptismo, & ejus effectu*, quod est *Innocentii III.* in Concilio Generali Lateranensi, contra Græcos Schismaticos, qui baptizatos à Latinis aliquando rebaptizare ausi fuerant, excommunicationis & depositionis ab officio & beneficio pœna decernitur: *Si quis autem tale quid præsumserit, Excommunicationis mucrone percussus, ab omni Officio & Beneficio Ecclesiastico deponatur.*

De iis quorum Baptismus incertus est.

120. *Non iteratur Baptismus, cùm baptizantur illi, quorum Baptisma incertum est.* Ea semper fuit Ecclesiæ doctrina & usus, ut constat ex Concilio Carthaginensi,

quod

quod quintum vocant, cujus Canon 52. est in Codice Ecclesiæ Africanæ. PARS I. Art. 2.

121. *De illo qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumtio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.* Ita respondet *Innocentius III.* Cap. *Veniens*, Extra, *De Presbytero non baptizato*.

De Christianis Parentibus natus præsumitur baptizatus.

122. Quamvis eos de quorum Baptismo dubitatur, baptizari voluerint veteres Patres & Synodi, etiam sine apposita conditione, ut constat ex laudatis Concilii Carthaginensis 5. *S. Leonis*, & *Gregorii III.* testimoniis; & id diu in usu fuerit; postea tamen consultius visum est illos, quorum Baptismus incertus aut dubius erat, sub conditione baptizare: quam disciplinam primus invexisse nonnullis videtur *Alexander III.* ut habetur Cap. *De quibus*, Extra, *De Baptismo, & ejus effectu*. Sed hujus formulæ conditionalis usum antiquiorem esse constat ex Libro 6. Capitularium, Cap. 184.

Sub conditione baptizandi, quorū Baptismus incertus, aut dubius est.

123. Presbyter non baptizatus, baptizari debet, ac deinde ordinari, si velit cùm nulla fuerit non baptizati Ordinatio, ut qui nullum jus alia Sacramenta suscipiendi haberet. Si de ejus Baptismate meritò dubitetur, sub conditione baptizandus est, atque simili conditione ordinandus. Si sit Episco-

De Presbytero non baptizato.

 pus,

PARS I. Art. 3.

pus, pariter ordinandi sunt sub conditione omnes quos ordinavit; ut habetur Cap. *Si quis*, & Cap. *Veniens*, Extra, *De Presbytero non baptizato*, quod est Innocentii III.

Ceremoniæ supplendæ in is qui domi urgente necessitate baptizati sunt.

124. Quamvis ceremoniæ, sive quæ Baptismum præcedunt, sive quæ comitantur, sive quæ subsequuntur, non sint ad substantiam Sacramenti necessariæ, adeóque sine illis possit homo Baptismi effectum consequi, non tamen prætermittendæ sunt, nisi urgente necessitate. *Et tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in Baptismo. Nec frustra supplentur post Baptismum, quia sicut impeditur effectus Baptismi antequam percipiatur; ita potest impediri postquam fuerit perceptus* (inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 71. Art. 3.)

ARTICULUS TERTIUS

DE

SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Definitio Confirmationis.

125. *Confirmatio est Sacramentum novæ Legis, quo Fideles, ad Christi fidem palam & intrepidè profitendam, Spiritus-Sancti plenitudine roborantur.*

Confirmationis materia.

126. Impositio manuum cum unctione Chrismatis conjuncta, est Materia Confirmationis. Chrisma, quod sacrum unguentum

tum est ex oleo & balsamo confectum, conveniens est Confirmationis materia. Oleum autem olivarum ad confectionem Chrismatis adhibere necesse est (inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 72. Art. 2. ad 3.) Neque sufficit oleum nucum, amygdalorum, aut aliud simile. PARS I. Art. 3.

127. An verò balsamum sit necessarium necessitate Sacramenti, ita ut Confirmatio cum oleo solo collata irrita sit; an præcepti dumtaxat necessitate quemadmodum admixtio aquæ vino in Sacramento Eucharistiæ, sub judice lis est, Theologis in varias sententias abeuntibus. *Qua ratione sit necessariū Balsamū?*

128. Chrisma benedictum seu consecratum ab Episcopo esse debet, ut sit Confirmationis materia. Ita *Eugenius IV.* in Decreto De Instructione Armenorum. Hinc à Concilio Tridentino *Sacrum Chrisma* vocatur. *Quod ex prisco Ecclesiæ More Feria 5. in Cœna Domini consecrandum est. Et quotannis renovandum, & vetus comburendum.* *Chrismatis consecratio.*

129. Pro Chrismate, aut Balsamo ad illud conficiendum, aliquid à Presbyteris Diœcesanis exigere, sacri Canones prohibent Episcopis, & ceteris Ecclesiæ Ministris; scilicet Concilii Cabilonensis 2. Canon 16. Aquisgranensis 2. Canon 5. Meldensis 45. Toletani 11. Canon 8. Barcinonensis Canon 2. Et *Innocentius III.* Cap. *In tantum*, Extra, *De Simonia*. *Nihil prò Chrismate exigendū.*

130. Chri-

PARS I. Art. 3.

Cur unctio fiat in fronte.

130\. Chrismatis inunctio fit in fronte confirmandi, quæ verecundiæ sedes est, ne Christi nomen confiteri erubescat, vel timeat, & præcipuè Crucem ejus, quæ *Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia*, secundùm Apostolum: propterea signo Crucis signatur, ut miles signo Christi Ducis. Has ritus istius rationes afferunt *Innocentius III.* Extra, *De Sacra Unctione, Eugenius IV.* in Decreto, & *S. Thomas* 3. P. Q. 71. A. 9.

Forma.

131\. Forma Sacramenti Confirmationis est Oratio Manuum impositioni adjuncta, & solemnia verba Chrismatis inunctioni respondentia. Prima pars Propositionis probatur ex Actuum 7. *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum-Sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-Sanctum.* Pars altera Propositionis probatur ex *Eugenii IV.* Decreto, ubi hanc formam Confirmationis esse docet: *Signo te, signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis; In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*, ..

Minister.

132\. Sacramenti Confirmationis Minister ordinarius est solus Episcopus, extraordinarius verò Presbyter à plerisque Theologis probabiliter asseritur, aliis reclamantibus. Probatur ex Actis Apostolorum, Cap. 8. ubi legimus, cùm Samaria verbum Dei accepisset, *Petrum, & Joannem* ad eos missos esse, qui *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum-Sanctum; nondum enim in*

quem-

quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in Nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-Sanctum. Quo ex loco, nec non ex Capite 19. constat, penes Apostolos, quorum Successores sunt Episcopi, & non penes alios Ministros Baptismi, fuisse administrandæ Confirmationis potestatem. PARS I. Art. 3.

133. Sacramentum Confirmationis gratiam conferre, & quidem habitualem & sanctificantem, extra controversiam est apud omnes qui illud Novæ Legis Sacramentum esse credunt, id est, apud omnes Catholicos. Gratia singularis & propria hujus Sacramenti est gratia consummationis, gratia perficiens, gratia augmenti & roboris, & Spiritûs-Sancti septem donis cumulata, gratia denique quâ perfecti Christiani sumus. *Effectus. S.Th. 3.p. q.72. a.7. ad 2. Gratia singularis, & propria Sacramẽti Confirmationis.*

134. Confirmationis Sacramentum Characterem imprimit, ideóque iterari non potest. Character autem Confirmationis supponit characterem Baptismi. Ita enim se habet Confirmatio ad Baptismum, sicut augmentum ad generationem: porrò manifestum est neminem posse in ætatem perfectam promoveri, nisi primò fuerit natus: & similiter nisi fuerit aliquis baptizatus, non potest Sacramentum Confirmationis accipere. Unde *Si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil acciperet, sed oporteret iteratò ipsum confirmari post Baptismum*; inquit *S. Thomas*, 3. P. Q. 72. Art. 6. *Character.*

135. Sa-

PARS I. Art. 3. *De necessitate Cōfirmationis.*

135. Sacramentum Confirmationis non est necessarium homini Christiano necessitate medii: Verumtamen in re vel in voto est adultis necessarium necessitate Præcepti Divini, & Ecclesiastici. *S. Thomas* 3.P. Q. 72. A. 8. in corp. & ad 4. Unde lethaliter peccant & in manifestum discrimen salutis se conjiciunt Christiani, qui Confirmationis Sacramentum suscipere contemnunt; vel negligunt. Contemni autem *censetur, quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit aut despicit suscipere.* Ita Concilium Senonense 1524. & *S. Carolus* in Instructionibus.

Ecclesiasticū Præceptum quando obliget.

136. Ecclesiasticum Preceptum de Confirmatione suscipienda, obligat opportunitate datâ, cùm scilicet Episcopus ad illius Administrationem paratus adiri potest, quamvis non sine labore. Quamobrem Sacra Facultas Parisiensis anno 1631. hanc Propositionem ab Anglis quibusdam seu Hibernis Theologis assertam censorio stigmate inussit: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cùm commodè haberi potest; vel (ut alii dicunt) commodissimè, quando sine ullo vel minimo prorsus incommodo.* Theologorum Parisiensium Censura his verbis concepta est: *Ista Propositio est scandalosa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemtum, maligno animo proposita, & in errorem potest inducere.*

Obligatio

137. *Parentes tenentur adducere pueros con-*

confirmandos ad Episcopum, cùm idoneam ætatem attigerunt, & Episcopus Sacramentum istud administrat: alioquin gravis peccati rei sunt. *S. Carolus* in Instructionibus. PARS I. Art. 3. *Parentũ.*

138. Omnis ætas Confirmationi est idonea, sicut & Baptismo: post cujus susceptionem continenter administrabatur ex antiqua Ecclesiæ Disciplina, ubi præsens erat Episcopus, ut ex priorum sæculorum Patribus & Conciliis compertum est. Prisca Disciplina statim administrandi pueris Sacramentum Confirmationis post Baptismum, in Ecclesia Latina rectè mutata est, & rationis usus expectatus. Ut scilicet majori cum reverentia suscipiatur: ut illud suscipiendo meritum apud Deum sibi comparent: ut Fidem per se ipsos profiteri possint: ut denique se Confirmatos meminerint, periculúmque removeatur omne hoc Sacramentum iterandi. *De ætate confirmãdorum.* *Prisca Disciplina.*

139. Secundùm hodiernam Disciplinam pueris ante septennium non est conferendum ordinariè Confirmationis Sacramentum. Ita Concilii Tridentini Catechismus: *Si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè convenit*. Potest tamen Episcopus justis de causis pueros septennio minores confirmare, ut declarat Concilium Mediolanense 5. sub S. *Carolo*. In aliis Instructionibus Italico idiomate conscriptis monet ut *Nemo nisi duodecim annos* *Hodierna praxis.*

natus

PARS I. Art. 3.

natus illud Sacramentum poſtulet, niſi expreſſam ab Archiepiſcopo licentiam ad id habeat.

Infirmi, & in periculo Vitæ conſtituti.

140. *Infirmis & in vitæ periculo conſtitutis, qui confirmati non fuerint, Sacramentum iſtud piè poſtulantibus, ab Epiſcopo adminiſtrandum eſt.* Ita Concilium Pariſienſe 6. Lib. 1. Cap. 33.

De diſpoſitionibus confirmãdorum.

141. Cùm Sacramentum iſtud ad perfectionem, incrementum, & conſummationem Gratiæ Baptiſmalis inſtitutum ſit, neceſſe eſt ut ſint in ſtatu gratiæ qui illud ſuſcipiunt. Quamobrem ſi graviorum peccatorum rei ſunt, oportet ut Sacramentali Confeſſione & Pœnitentia illa expient, ſi Confeſſarii copia ſuppetat; vel, ſi Confeſſarius deſit, maximo peccatorum dolore, ſeu perfecta contritione afficiantur, cum propoſito quàm primùm confitendi: alioqui Spiritum-Sanctum & gratiam ſanctificantem, dónáque ejuſdem Spiritûs-Sancti non recipient, ſed nudum characterem. Secundò, neceſſaria eſt Symboli profeſſio ab iis qui adultâ ſunt ætate. Tertiò, jejunos eſſe maximè convenit, ſi horis matutinis conferatur, ſecundùm antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem. Has diſpoſitiones præſcribunt *Herardus* Turonenſis Archiepiſcopus, Cap. 75. Canon, *Ut jejuni*, Diſt. 5. *De Conſecratione*.

Spiritualis cognatio.

142. In Confirmatione ſpiritualis cognatio contrahitur inter Confirmantem & Confirmatum, illiúſque Patrem & Matrem,

& Pa-

& Patrinum aut Matrinam (Ex Cap. *Nedum* Tit. *De Cognitione spirituali*, in Sexto, & ex Concilio Tridentino Sessione 24. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. 2.

PARS I. Art. 3.

Quis Patrinus deligendus.

143. *Quam ob rem Patrinus is deligatur, qui non solum Doctrinæ Christianæ instituta præceptaque teneat; sed etiam qui Vitæ piæ exemplo ita se instituit, ut magister, verèque Patrinus, ac Dux aliis esse possit ad bene agendum progrediendumque in via Domini.* (*Ita S. Carolus* in Instructionibus.)

Cur signũ Crucis in fronte?

144. Signum Crucis in fronte imprimitur, ut eo Ritu significetur, *Christianum hominem, non verecundiâ, quæ in fronte maximè elucet; neque metu, nec periculo perterreri unquam debere, quin palam & liberè Jesum Christum ignominiosè pro peccatis nostris Cruci affixum, & omnem ejus doctrinam confiteatur.* Hoc etiam signo, in quo Christus Dominus triumphavit, indicatur, eum qui confirmatur, *In numerum fortissimorum ejus Militum adscribi*, inquit *S. Carolus* in Instructionibus. Episcopus confirmatum leviter in maxilla cædit, *Ut sciat homo Christianus, se jam Militem esse, cujus pugna & victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis: deinde se in Christiana Militia constitutum esse, in qua non hujus vitæ jucunditates, & commoda quærat, sed incommoda potiùs, atque adeo mala patienter ferat: ac præterea intelligat offi-*

Quid alapæ levis inflictio significet.

Christiana Militia.

PARS I. Art. 4.

officii sui esse in acie stare, teláque unde veniant observare; ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opésque lædantur, anima tamen nullo pacto offendatur. ita hanc Ceremoniam explicat *S. Carolus* in Instructionibus.

ARTICULUS QUARTUS.

DE

SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Eucharistiæ defitio.

145. *EUcharistia est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, ad spiritualem Fidelium alimoniam à Christo institutum.*

§. I.

De Materia Eucharistiæ.

Materia Eucharistiæ est panis triticeus & vinum de vite.

146. MAteria ex qua Eucharistia consecratur, solus est panis triticeus, & vinum de vite. Ratio est, quia Christum pane triticeo usum minimè dubium est, qui & se ipsum grano frumenti comparavit, *Joannis 2.* Usum etiam vino de vite constat, qui cùm Discipulis Calicem dedisset, ait: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Id-

que

que etiam ex Traditione & perpetuo Ecclesiæ usu constat. Id confirmat *S. Thomas* 3. P. Q. 73. A. 3. *Ad usum*, inquit, *Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communiùs apud homines in talem usum venit. Inter alios autem panes communiùs homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur esse introducti in hujus panis defectum. Et ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc Sacramentum instituisse; qui etiam panis magis confortat hominem, & ita convenientiùs significat effectum hujus Sacramenti*. Istius igitur Sacramenti materia est solus panis triticeus. Unde etiam præceptum à Domino fuerat *Levitici* 14. ut Panes Propositionis, qui hoc Sacramentum significabant, ex simila conficerentur. Solum etiam vinum ex fructu vitis expressum materia est hujus Sacramenti, ob easdem rationes. Primò scilicet propter institutionem Christi. Secundò, quòd illud tantùm propriè vinum sit & dicatur; aliis verò liquoribus ob quamdam cum ipso similitudinem id nominis minùs propriè tribuatur. *Eugenius IV*. In Decreto pro Armenis: *Tertium est*, inquit, *Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite*.

PARS I. Art. 4. §. 1.

147. Tam ex pane fermentato quàm ex azymo consecrari potest Eucharistia. Orientalis Ecclesiæ Ritus panem fermentatum adhibentis innoxius est. Ritus Ecclesiæ Occidentalis azymum consecrantis convenien-

Tam ex pane fermentato, quam ex azymo cõsecrari po-

 rior

PARS I. Art. 4. §. 1. *est Eucharistiæ.*

tior est, & in Christi Domini exemplo fundatus. Prima Pars Propositionis inde probatur, quòd panis triticeus sit apta consecrationi Eucharistiæ materia: panis autem triticei substantiam non destruit fermentum. Nec ea de re in Ecclesia Catholica fuit unquam dubitatum, quamvis in ea quædam esset consuetudinum ac rituum diversitas. Secunda pars Propositionis probatur autoritate Ecclesiæ, quæ Ritum, & consuetudinem Græcorum fermentatum panem consecrantium semper approbavit. Pars tertia Propositionis facilè probatur, scilicet Ecclesiæ Latinæ consuetudinem, Azymum Panem ad consecrationem Eucharistiæ adhibentis, melioribus rationibus niti. Primò enim Christi nititur exemplo, qui hoc Sacramentum instituit primo die Azymorum, quo nihil fermenti domi habere Judæis licebat. Matthæi 26. 17. *Prima autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis tibi paremus comedere Pascha?* &c. Marci 14. 12. *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quò vis eamus & paremus tibi ut manduces Pascha?* &c. Lucæ 22. 7. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.* Ratio altera sumitur à significatione: quòd panis sit propriè Sacramentum Corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quàm

Orientalis Ecclesiæ ritus innoxius. Occidentalis convenientior.

Di-

Divinitatis ipsius. Fermentum autem peccatum & corruptionem plerumque significat, non solùm in Veteri Lege, quæ propterea fermentum ab oblationibus suis excludebat, verùm etiam apud Apostolum 1. ad *Corinthios* 5, & alibi. Convenit ergo magis Sacramento Corporis Christi panis azymus, quàm fermentatus. Tertia ratio sumitur ab usu istius Sacramenti: Panis enim Azymus magis convenit sinceritati Fidelium significandæ, quæ ad dignam Eucharistiæ manducationem est necessaria, secundùm illud 1. ad Corinthios 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

PARS I. Art. 4. §. 1.

Aqua vino admiscenda.

148. Aqua vino consecrando admiscenda est necessitate Præcepti Ecclesiastici, non necessitate Sacramenti.

Una species absque altera validè sed illicitè consecratur.

149. Si panis absque vino consecraretur, aut è contrario, valida esset consecratio. Statim enim post consecrationem verum Christi Corpus est sub specie panis, & verus ejus Sanguis sub vini specie, vi verborum, ut docet Concilium Tridentinum Sessione 13, Cap. 3. Verba si quidem consecratoria, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*: id efficiunt quod significant. Unde consecrato pane, Christi Domini nostri Corpus adorandum Ecclesia proponit, illúdque à Fidelibus adoratur ante vini consecrationem. Tamen Christi institutioni ac præcepto repugnat ut

PARS I. Art. 4. §. 1.

Eucharistiæ Sacramentum in una tantùm specie consecretur. Christus enim speciem utramque consecravit, & his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolis, eorúmque in Sacerdotio successoribus præcepit, ut sub panis & vini symbolis incruentum Sacrificium pariter offerret. Itaq; unam speciem sine altera consecrare nunquã licet: nequidem Summi Pontificis dispensatione. Summus enim Pontifex immutare non potest quod à Christo institutum est, & in jure divino dispensare, ut constat ex Cap. *Sunt quidam*, 6. Causâ 25. Q. 1.

Quantitas materiæ consecrandæ non est determinata.

150. Panis & vini consecrandi quantitas non est ex institutione Christi determinata, id est, nulla est tam magna quæ consecrari non possit, potestate Ministri, & verborum sacramentalium efficaciâ spectatis. Rationem affert *S. Thomas*, 3. P. Q. 74. A. 2. *In omnibus* (inquit) *habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem. Finis autem hujus Sacramenti est usus Fidelium: unde oportet quòd quantitas materiæ hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad usum Fidelium, non eorum tantùm qui nunc occurrunt; alioquin Sacerdos paucos Parochianos habens non posset multas hostias consecrare. Materia igitur hujus Sacramenti determinatur per comparationem ad usum Fidelium absolutè. Numerus autem Fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici quòd quantitas materiæ hujus Sacramenti*

men-

menti sit determinata. Quamvis igitur Sacerdos panem omnem qui venalis prostat in foro, & vinum omne quod est in cellario, consecrans, sacrilegii reus esset, & potestate sibi à Christo datâ abuteretur: illud tamen omne consecraret, quod ipsi ante oculos versaretur & moraliter præsens esset, atque consecrare intenderet. *Potestas enim Ministrorum Ecclesiæ* (inquit S. Thomas) *ad duo ordinatur. Primò quidem ad effectum proprium; secundò ad finem effectûs*: qui etsi malus sit ex prava intentione sacrilegi Ministri, verba tamen sacramentalia super congruam materiam prolata cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, suum producunt effectum. *Unde si Sacerdos intendat consecrare Corpus Christi propter aliquem malum finem (putà ut irrideat, vel veneficia faciat) propter intentionem mali finis peccat; nihilominùs tamen propter potestatem sibi datam perficit Sacramentum*.

PARS I. Art. 4. §. 1.

Materia consecranda debet esse præsẽs.

151. Materiam consecrandam præsentem esse Sacerdoti necesse est, non solùm præsentiâ physica; sed morali; id est, quæ à Sacerdote consecrante cognoscatur; & quâ more & usu humano, prudentísque viri judicio res ita posita est, ut pronomine demonstrativo possit designari. Ita *S. Thomas* in 4. Sententiarum Dist. 11. Q. 2. A. 2. Quæstiuncula 3. ad 1. *Ipsa forma*, inquit, *pronomine demonstrativo utens, ostendit quòd materia consecranda debet esse coram Sacerdote: unde Sacerdos existens in domo sua, non posset*

Varii casus resolvuntur.

 con-

consecrare panem qui est in Altari: neque etiam panem & vinum à tergo posita, aut trans parietem; quia res sic positæ non censentur homini præsentes secundùm commune & morale judicium. Valida autem esset consecratio panis in pixide clausa, & vini in calice cooperto; quia talia censentur præsentia: designantes enim plenum vino dolium, dicimus, Hoc est vinum. Tenetur tamen Sacerdos præceptô Ecclesiæ, in Rubricis Missalis Romani expresso, pixidem in qua sunt hostiæ, & calicem in quo est vinum, discooperire, antequàm verba consecrationis proferat. Ut autem moraliter censeatur præsens materia, non est necesse ut actu sensu percipiatur, vel ad eam sonus vocis pertingat: sed satis est ut sit sensibili modo præsens, eámque præsentem esse cognoscat Sacerdos, & consecrare velit. Unde Sacerdos cæcus hostias quas testimonio fide digno in Altari coram se positas sciret, proculdubio consecraret, modò voluntatem haberet consecrandi.

Materia consecranda debet esse determinata intentione Ministri.

152. Materia consecrationis debet esse particularis & determinata intentione Ministri. Si quidem actiones circa determinatum aliquod subjectum, non circa vagum quid & confusum exercentur: idque in præsenti materia postulat vis pronominis demonstrativi *Hoc*, & *Hic*. Unde si quis Sacerdos dimidiam duntaxat Hostiæ partem consecrare vellet, nec eam ullo modo designaret; aut si habens coram se undecim ho-

Casus.

stias,

ſtias, intenderet conſecrare ſolùm decem, non determinans quas decem intendit: in his caſibus non conſecraret. Secùs ſi putans quidem eſſe decem; tamen omnes voluit conſecrare quas coram ſe habebat. Nam tunc omnes erunt conſecratæ. Quamobrem quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere debet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet. Ita vulgò Theologi, & Rubricæ Miſſalis, Tit. *De defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus*. PARS I. Art. 4. §. 1.

153. *Si qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt (ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo) ex tali frumento panis confectus, poteſt eſſe materia hujus Sacramenti*. Ita docet *S. Th.* 3.P.Q.74.A.3.ad 2. Quia ſolis accidentibus, nõ ſpecie differunt à tritico. Siliginis ambigua ſignificatio eſt; Latinis Scriptoribus eſt ſelecta farinæ medulla ex ſiligine frumenti genere, de quo Plinius Lib. 17. Cap. 7. & S. Iſidorus Lib. 17. Cap. 2. *Siligo genus tritici à ſelecto dictum*. At poſtremi ævi Autoribus uſurpatur pro ſecali, vulgò *Segle*. Primum duntaxat ſiliginis genus idoneam eſſe Euchariſtiæ materiam, ſecundùm mentem *S. Thomæ*: non poſtremum illud, quod grani genus eſt tritico inferius, Theologi non ignobiles cenſent; inter alios *Silvius* Commentario in 3. P. Panem hordeaceum ineptam eſſe Euchariſtiæ conſecrationi materiam, nemo Theologorum diffitetur. De ſpel-

Frumenta ex tritico orta ſunt congrua materia.

Quid de Siligine?

Hordeo?

PARS I. Art. 4. §. 1. *Spelta & farre?*

spelta & farre paulò major difficultas est. Ex iis confici posse Eucharistiam *Petrus à Palude*, & alii quidam affirmant, inter alios *Estius* in 4. Sentent. Dist. 8. §. 6. dubitant alii, ut *Durandus* & *Major*: negat *S. Thomas*, quem plerique alii sequuntur. *Similitudo* enim *figuræ in talibus, magis videtur significare propinquitatem quàm identitatem speciei; sicut ex similitudine figuræ manifestatur quòd canis & lupus sunt propinquæ speciei, non autem ejusdem. Unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis qui sit debita materia hujus Sacramenti*. S. Thomæ opinionem confirmat *Honorii III.* Romani Pontificis Responsum, de quo *Cæsarius* Lib. 9. Cap. 65. *Requisitus Papa Honorius III. per litteras cujusdam Abbatis nostri, an hostiæ ex spelta confici possent, respondit, Speltam magis pertinere ad hordeum quàm ad triticum*. Idem esto de farre judicium, quod *S. Hieronymus* in Cap. 4. *Ezechielis*, à spelta non distinguit. *Plinius* tamen Lib. 18. Cap. 8. & 21. *Varro* Lib. 1. *De Re Rustica*, & *Columella* Lib. 2. Cap. 6. speltam à farre, & utrumque à tritico distinguunt. Dubium saltem manet an panis siligineus, prout vulgò sumitur, *du pain de segle*, aut ex spelta vel farre confectus, sit apta Eucharistiæ materia: quamobrem hujusmodi panem consecrare illicitum est, cùm materiâ dubiâ uti non liceat.

Ex magna

154. Adulterini frumenti modica permix-

mixtio non mutat speciem tritici quicûm permiscetur: *Et ideò si sit modica admixtio alterius frumenti, ad multò majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti. Si verò sit magna permixtio, (putà ex æquo vel quasi); talis permixtio speciem mutat. Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti*. Verba sunt *Sancti Thomæ* 3. Par. Quæst. 74. Artic. 3. ad 3.

PARS I. Art. 4. §. 1.

adulterini frumenti permixtione fit materia indebita, non ex modica.

155. Ex pane penitus corrupto consecrari Eucharistia non potest. Ita porrò corruptum esse ut non maneat panis natura, indicant solutio continuitatis, saporis, coloris, aliorum accidentium mutatio. Si verò corrumpi incipiat, rata quidem erit consecratio; sed graviter peccabit consecrans propter irreverentiam erga tantum Sacramentum. Et quia amylum est ex tritico corrupto, non videtur quòd panis ex eo confectus possit fieri Corpus Christi. Responsio est *S. Thomæ* loco supra laudato ad 4.

Panis penitus corruptus cōsecrari nequit.

156. Si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor ab aqua vera, & elementari, non posset ex hujusmodi materia confici Sacramentum. Non enim esset verus panis. Ad panis enim substantiam constituendam omninò necessaria est aqua, secundùm illud *S. Cypriani* Epistolâ 68. *Nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fue-*

Panis cum aqua rosacea confectus non est materia hujus Sacramēti.

PARS I. Art. 4. §. 1.

fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum. Sic respondet *S. Thomas* Articulo 7. Quæstionis ejusdem, ad 3. Glossa Capitis *Sic in sanctificando*, Dist. 2. *De Consecratione*, ex his *S. Cypriani* verbis conflati sic habet: *Quid si ex melle vel alio liquore fuerit farina aspersa? Nunquid transubstantiatur ille panis in Corpus Christi? Non*. Secundùm Rubricas Missalis Romani, & Instructiones *S. Caroli*, panis ex aqua rosacea, vel aliis ab aqua naturali liquoribus confectus, dubia materia est. Unde *Astensis* & *Cajetani* sententia, asserentium hujusmodi panem aptam esse Eucharistiæ materiam, minùs probabilis est, ac proinde in praxi non sequenda; quia in Sacramentorum consecratione & administratione non licet sequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliore & tutiore, ut declaravit *Innocentius XI*. Pontifex Maximus Decreto edito die secunda Martii 1679.

Græci in fermentato, Latini in azymo consecrare debent.

157. Græci Sacerdotes cùm in Patria sua, tum in Monasteriis, & Ecclesiis, quæ sunt Græcis in Ecclesia Latina destinatæ in quibus Ritus Græcorum servantur, pane fermentato ad Eucharistiæ consecrationem uti debent: Latini verò cùm in suis regionibus, tùm in Ecclesiis quas habent in Græcia, pane azymo. Ecclesiæ enim suæ Ritum servare utrique debent, ut à *Leone IX*. & à Florentino Concilio declaratum est.

Sacerdos

158. Ecclesiæ Latinæ Sacerdos iter agens

per

per Græciam, aut Sacerdos Græcus per Occidentem, Ritum Ecclesiæ suæ retinere potest, & ille azymo, hic fermentato pane ad consecrandam Eucharistiam uti, modò absit scandali periculum. Id ut caveatur, Episcopum adire debet, ab eoque licentiam postulare Sacris operandi secundùm Ecclesiæ suæ ritum ac morem; obtentámque licentiam Parocho, aut Ecclesiæ, in quâ vult Sacrum facere, Præposito exponere. Ritum tamen Ecclesiæ in qua versatur tutâ conscientiâ sequi potest, secundùm Regulam *S. Ambrosii*, à *S. Augustino* Epistolâ 58. olim 118. laudatam: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato: cùm hîc sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* *Ego verò*, inquit S. Augustinus, *de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo acceperim.*

PARS Art. 4. §. 1. sive Græcus, sive Latinus iter agens Ecclesiæ suæ ritum retinere, aut illius in qua versatur sequi potest.

159. Panes consecrandi, ad usum Sacrificii & Communionis studiosè parari debent, ac esse integri, nitidi, & modicæ quantitatis, secundùm Ecclesiæ consuetudinem. Concilium Mediolanense 4. vetat *Ne Hostias pro sacra Eucharistia conficienda Laicus homo, aut fœmina faciat.*

Panes consecrandi studiosè parandi.

160. *Sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum; ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescente, sicut & de pane qui est in*

Ex aceto non potest confici Sanguis.

via

PARS I. Art. 4. §. 1.

est in via ad corruptionem; *licèt peccet conficiens*. Ita *S. Thomas* 3. P. Q. 74. A. 5. ad 2. Sic intelligendus est *Innocentius III.* Lib. 4. *De sacro Altaris Mysterio*, Cap. 31. scribens, Vinum acidum, quod appellatur acetum, posse esse materiam hujus Sacramenti. De vino, inquam, acescente, non de vero aceto est intelligendus. Sic etiam explicanda, vel omnino rejicienda est Glossa Canonis *Sic in sanctificando*, Dist. 2. *de Consecratione*. *Ex agresta* non potest consecrari Sanguis Christi: ex *musto* potest. *Non tamen debent uvæ integræ huic Sacramento misceri*; *quia jam esset ibi aliquid præter vinum*. *Probibetur etiam ne mustum statim expressum de uva in Calice offeratur*; *quia hoc est indecens propter impuritatem musti*. *Potest tamen in necessitate fieri*. Ita *S. Thomas*, ibidem ad 3. laudátque Canonem, *Cum omne*, Dist. 2. *De Consecratione*, Julio I. Pontifici adscriptum.

Nec in agresta. In musto potest, si est necessitas.

De vino congelato.

161. De Vino congelato, an sit aptum consecrationi, variæ sunt Autorum sententiæ. Si diu sit congelatum, ita ut vi frigoris virtus simul & species vini perierit, fatentur omnes non esse materiam idoneam Eucharistiæ. At si sit recens congelatio, utpote facta in calice paulò ante consecrationem, aptum consecrationi judicant *Silvester Prieras* in Summa, & *Dominicus Soto*, quòd vini virtutem ac speciem retineat. Negant alii, quòd vinum congelatum non sit pota-

bile,

bile, ideòque tam ineptum censent consecrationi, quàm aquam congelatam Baptismo. Alii materiam dubiam esse censent, ut *Bartholomæus Fumus* in Summa, *Estius* in 4. Sententiarum Dist. 8. §. 9. *Sylvius* in 3. P. Q. 74 A. 5. & alii, quorum sententia probabilior est, & omnino sequenda. Si autem vinum congeletur in Calice ante vel post consecrationem, involvendus est Calix pannis calefactis: si id non proficiat, ponendus est in aqua fervente prope Altare (dummodo aqua in Calicem non intret) donec liquefiat. Ita Præscribunt Rubricæ Missalis Romani, Tit. *De defectibus in Missa occurrentibus*.

PARS I. Art. 4. §. 1.

Aquæ mixtio.

162. Quia mixtio aquæ cum vino non est de necessitate Sacramenti, non refert quantùm ad substantiam & integritatem Sacramenti, quæcumque aqua vino misceatur, sive naturalis, sive artificialis, ut rosacea. Quamvis quantùm ad convenientiam Sacramenti, peccet graviter qui aliam aquam miscet præter naturalem, & elementarem. Ratio est, quia de latere Christi pendentis in Cruce aqua vera profluxit (non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt) ad ostendendum quòd Corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis; sicut per sanguinem inde manantem ostendebatur esse compositum ex quatuor humoribus, ut docet *Innocentius III.* Cap. *In quadam*, Extra, *De Celebratione Missarum*. Ita & *S. Tho-*

PARS I. Art. 4. §. 1. *Modica aqua miscenda.*

S. Thomas 3. Part. Quæst. 64. Art. 7. ad 3.

163. Permodicum aquæ vino admiscendum est. Quamvis enim non tanta fuerit apud Antiquos cura ut permodicum aquæ vino admisceretur, ut constat ex Concilio Triburiensi, Canone 19. decernente, *Ut duæ partes sint vini, tertia aquæ*; semper tamen in Ecclesia observatum est, ut plus vini quàm aquæ in Calicem infunderetur. Unde *Honorius III.* Cap. *Perniciosus*, Extra, *De Celebratione Missarum*, ad Archiepiscopum quemdam scribit; *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus: Videlicèt quòd in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quàm de vino; cùm secundùm rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino quàm de aqua ponendum. Ideòque Fraternitati tuæ mandamus, quatenus id non facias, nec in tua Provincia fieri patiaris*. Verùm excitatâ in Scholis Theologorum quæstione de conversione immediatâ vel mediatâ aquæ in Sanguinem Christi, postquam *Innocentius III.* Cap. *Cùm Marthæ*, Extra, *De Celebratione Missarum*, §. *Quæsivisti*, declaravit probabiliorem esse opinionem asserentium, aquam cùm vino transubstantiari in Sanguinem, *Cùm in vinum transeat mixta vino*, majori studio cautum est, ne plus aquæ vino misceatur, quàm facilè possit ante Consecrationem in vinum transmutari. Sic autem habet Innocentius III. *Verùm inter opiniones*

nes

nes prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in Sanguinem transmutari: ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti. Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, juxta quod alibi legitur: Beati qui seminatis super omnes aquas: *ideo vino aqua unitur, ut Shristo populus adunetur: per hoc enim quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo, tam insolubili nexu conjungimur, ut qui est unum cum Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per admirabilem unionem; ac per hoc, ipso communiter mediante, unum cum Patre efficimur*. Eugenius IV. in Decreto pro Armenis statuit ut *Aqua modicissima misceatur*. Antonius Augustinus in Synodalibus Constitutionibus Tarraconensis Ecclesiæ refert Constitutionem *B. Pii V.* Pontificis Maximi ad illius Civitatis Archiepiscopum datam, quâ nonnullos arguit, qui non guttam tantummodo aquæ, sicut fieri debet, Calici infundebant; sed plus aquæ quàm vini, quod omnino corrigi & emendari præcepit. Hunc autem excessum præcaventes quædam Ecclesiæ, aquam vino miscendam parvo cochleari excipere solebant, & ex eo in Calicem fundere: quem morem etiamnum servant Carthusiani. Denique *S. Thomas* Innocentii III. Decretalem secutus 3. P. Q. 74. A. 8. probabiliorem opinionem censet, quæ asserit, *Aquam converti in vinum, & vinum in Sanguinem*: *Hoc autem*, inquit, *fieri*

Aqua prius in vinum quam in Sanguinem convertitur.

PARS I. Art. 4. §. 1.

fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quòd converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipuè si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici Cacramentum. Si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem hujus Sacramenti; sed oportet aquam vino apponi circa ipsam Sacramenti Celebrationem (inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 74. A. 8. ad 3.)

Quando miscenda.

Quid faciendum quando percipitur vinum aut aquā deesse in Calice?

164. *Si Sacerdos ante Consecrationem Sanguinis, & post Consecrationem Corporis Christi, percipiat aut vinum, aut aquam non esse in Calice, debet statim apponere, & consecrare: si verò post Consecrationis verba cognoverit quod aqua desit; debet nihilominùs procedere, quia impositio aquæ non est de necessitate Sacramenti. Debet tamen puniri ille ex cujus negligentia hoc contingit*, Ita *S. Thomas* 3. Part. Quæst. 83. Art. 6. ad 4.

Aquam vino iam consecrato miscere non licet apud Latinos.

165. *Nullo modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte*; (inquit *S. Thomas* ibidem) misceri quidem non debet secundùm Ecclesiæ Latinæ Ritum, & graviter peccaret Latinus Sacerdos qui misceret: & corruptio Sacramenti sequeretur, si magna infunderetur aquæ copia, quâ vini species solveretur: quod ex coloris & saporis mutatione facilè cognosci posset. Atque

ita

ita intelligendus est *S. Thomas*. At misceri debet à Sacerdote Græco secundùm Ecclesiæ suæ Ritum celebrante. PARS I. Art. 4. §. 1.

166. Si Sacerdos ante Consecrationem advertat Hostiam esse corruptam, aut non esse ex pane triticeo, ipsâ statim rejectâ sumat aliam; & à Canone incipiens, Missam prosequatur. Si verò id advertat post consecrationem, imò etiam post illius Hostiæ, & ante Sanguinis sumtionem, nihilominus aliam accipiat, & incipiat à Consecratione, scilicet ab illis verbis Canonis, *Qui pridiè quàm pateretur*. Si verò id compertum duntaxat habuerit post sumtionem Sanguinis, novam Hostiam accipere debet, & vinum cum aqua in Calicem infundere, & factâ Oblatione, cætera prosequi, incipiendo ab his verbis, *Qui pridie quàm pateretur*, ne Sacrificium remaneat imperfectum, & ut debitus ordo servetur. Similiter si Sacerdos ante Consecrationem Sanguinis, & post Consecrationem Corporis advertat aut vinum aut aquam non esse in Calice, debet statim apponere & consecrare. Si verò post verba Consecrationis percipiat vinum non esse in Calice, aut nimiâ aquæ mixtione corruptum, & Christi Domini nostri Corpus necdum sumserit, debet aquâ aut vino corrupto, seu alio liquore, si fuerit in Calice, in piscinam effusis, aut in aliquo vase sepositis, vinum cum aqua iterum infundere, & Canonem resumere à verbis Consecrationis Sanguinis.

Quid facto opus ubi ante vel post Consecrationem advertit deesse panem?

Aut Vinum?

PARS I. Art. 4. §. 1.

Si verò post sumtionem Corporis id cognoverit, aliam Hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum Sanguine: quia si sola verba Consecrationis Sanguinis proferret, non servaretur debitus ordo consecrandi: *Perfecta* autem *videri non possunt Sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur*; ut ait Concilium Toletanum 7. Canone 2. Si verò inciperet à Consecratione Sanguinis, & Canonem prosequeretur, id conveniens non esset, nisi adesset Hostia consecrata; cùm in Canone multa occurrant dicenda & facienda non solum circa Sanguinem, sed etiam circa Corpus. Tandem Hostiam consecratam, & Sauguinem iterum sumere debet, etiamsi priùs sumserit aquam quæ erat in Calice: quia præceptum de perfectione vel de perceptione hujus Sacramenti à Sacerdote celebrante, aut altero, qui vices ejus suppleat, si ipsum gravi infirmitate aut morte à perficiendo Sacro impediri contingeret, majoris est momenti, quàm præceptum ut sumatur à jejunis: illa siquidem divini juris est; istud verò juris tantùm Ecclesiastici. Ita *S. Thomas* 3. P. Q. 83. Art. 6. ad 4. & Rubricæ Missalis Romani. Si tamen frequens adsit populus, & scandalum timeatur; propter illud vitandum, factâ secretò Oblatione, & prolatâ duntaxat formâ Consecrationis Sanguinis ab illis verbis, *Simili modo*, Sacerdos statim sumet Sanguinem, & Sacrum perficiet, ut iisdem Rubricis præscriptum est.

167. *Si*

167. Si musca vel aranea in Calicem ante Consecrationem ceciderit, aut etiam venenum immissum cognoverit Sacerdos, effuso vino, & abluto Calice, aliud vinum infundere debet consecrandum. Si verò aliquid horum post Consecrationem acciderit, debet animal cautè capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablu tio cum cineribus in piscinam mitti. Si autem venenum immissum cognoverit, nec sumere debet, nec alteri dare, ne Calix vitæ vertatur in mortem; sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum Reliquiis conservare. Et ne Sac rificium remaneat imperfectum, aliud vinum infundere debet in Calicem, & incipiendo à Consecratione Sanguinis, seu ab illis verbis, *Simili modo*, Sacrificium perficere. Ita *S. Thomas* 3. P. Q. 83. A. 6. ad 3. Quod autem ait de Calice in quem venenum immissum esset, pariter dicendum est de Calice fulmine tacto: nam quæ fulmine tacta sunt, venenata censentur. Casum istum anno M, DC, I, accidisse, & ita responsum fuisse à Doctoribus, refert *Gavantus* in Rubricis P. 3. Tit. 10.

PARS I. Art. 4. §. 1. *Quid si musca, vel aranea in Calicem ceciderit, vel venenum immissum fuerit.*

168. Si qui defectus accidant circa materiam consecrandam, etiam absque voluntate Sacerdotis aut Ministrorum; solâ ignorantiâ vel negligentiâ; nihilominus pœnitentiam hujus errati agere debent. Id constat ex *S. Bernardo* Epistolâ 69. ad *Guidonem* Abbatem *Trium-Fontium*, qui Ministran-

Defectus etiam ex ignorantia expiari debent.

PARS I. Art. 4. §. 1.

tium incuriâ in Consecratione Calicis erraverat ob vini defectum. Sic etiam Sacerdotibus, quorum negligentiâ Sacra Hostia in terram ceciderit, aut Christi Sanguis super Altare effusus, aut Sacramentum à muribus aliísque animalibus comestum, aut putrefactum; aut vomitu etiam ex infirmitate ejectum; multi pœnitentiæ dies antiquis Canonibus indicuntur, quibus jejunare, & à Communione abstinere debent. De his legi possunt Cap. *Si per negligentiam* 27. & Cap. *Si quis*, 28. *De Consecratione*, Dist. 2. & *S. Thomas* Q. 83. A. 6. ad 7.

§. II.

De Forma Eucharistiæ.

Forma Eucharistiæ.

169. FOrma Consecrationis panis sunt hæc verba, *Hoc est Corpus meum*. Forma verò Consecrationis vini sunt ista: *Hic est Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Nec aliæ preces, ad Consecrationem Eucharistiæ sunt necessariæ, ut Græci recentiores contendunt. Hæc Propositio Sanctorum Evangelistarum *Matthæi* Cap. 26. *Marci* Cap. 14. *Lucæ* Cap. 22. & Apostoli *Pauli* 1. ad Corinthios Cap. 11. consentientibus testimoniis probatur.

170. Quam-

Hæc Verba Accipite, &c. & Bibite, &c. *non sunt de essentia formæ.*

170. Quamvis hæc verba Corporis Christi consecrationi præposuerit Evangelista: *Accipite & manducate*: hæc item consecrationi Sanguinis: *Bibite ex hoc omnes*: ad Sacramentum tamen conficiendum omnino necessaria non sunt, quia usum tantummodo Sacramenti, non materiæ consecrationem significant. Usus autem Eucharistiæ ad illius essentiam non pertinet quatenus Sacramentum est: aliter enim fieret, ut, si hoc Sacramentum nemini esset administrandum, confici non posset, nec deberet; cùm tamen dubitare non liceat, quin Sacerdos, prolatis ex more atque instituto Sanctæ Ecclesiæ verbis Domini, aptam panis materiam verè consecret, quamvis deinde contingat ut nulli unquàm Sacra Eucharistia administretur. Gravissimè tamen peccaret Sacerdos, qui verba illa prætermitteret. Ita Concilii Tridentini Catechismus.

Uti nec particula Enim.

171. Idem ferendum est judicium de conjunctione, *Enim*, quæ licèt ad Corporis & Sanguinis consecrationem non sit necessaria, sed formæ continuationem cum verbis præcedentibus duntaxat indicet, formæ tamen hujus Sacramenti inseritur *Secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ à beato Petro Apostolo derivatam* (inquit S. Thomas 3. P. Q. 78. A. 2. ad 6.)

Quæ verba de essentia formæ Calicis.

172. Non solùm hæc verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*; sed & sequentia, *Novi & æterni Testamenti mysterium fidei, qui pro* vo-

PARS I. Art. 4. §. 2.

vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, (his exceptis, quæ in Græcorum, & Mozarabum Liturgiis non habentur, nec ab illis proferuntur, cùm rata tamen sit Eucharistiæ consecratio ab illis facta, *Et æterni.... Mysterium Fidei....*) pertinent ad *substantiam formæ* (inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 78. A. 3.) Nam & Liturgiæ omnes, præter illam quæ *S. Petro* falsò adscribitur, illa verba habent: & sine illis non exprimitur Sacrificii ritus, in quo mystica effusio sanguinis per *gladium verborum*, ut S. Cyrillus appellat, necessaria est: sicut Sacrificium vetus nunquàm sine sanguinis effusione per victimæ materialis occisionem peragebatur. De mente quidem *S. Thomæ* inter ejus Discipulos ac Interpretes litigatur. *Cajetanus* & *Dominicus Soto* censent, S. Thomam dixisse, omnia hæc verba esse *de substantia formæ*, non quòd sine his verbis non sit forma, sed quòd omissis illis non sit perfecta: sicut digiti possunt dici de substantia, quamvis non sint de essentia corporis, quia pertinent ad ejus integritatem & perfectionem. Unde, inquiunt, S. Thomas, cùm præmisisset, omnia hæc verba *pertinere ad integritatem ejusdem locutionis*: subjungit: *sed per prima verba, cùm dicitur*: HIC est Calix Sanguinis mei, *significatur ipsa conversio vini in Sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis Panis; per verba autem sequentia de-*

Explicatur S. Thomas.

si-

ſignatur virtus Sanguinis effuſi in Paſſione, quæ operatur in hoc Sacramento. E contrario verò *Petrus Paludanus* & *Capreolus* in 4. Sententiarum Diſt. 9. *S. Antoninus* 3. P. Summæ Tit. 13. Cap. 6. §. 2. *Silveſter Prieras*, & alii, ſic intelligi de ſubſtantia formæ omnia illa verba volunt, quæ in conſecratione Sanguinis proferuntur ſecundùm Eccleſiæ Latinæ Ritum, ut ſine illis forma non ſit. Ex *Cajetani* Commentario ea quæ opinionis iſtius impugnationem ſpectabant, juſſit expungi *Pius Quintus* Pontifex Sanctiſſimus. Opinionem contrariam, ſcilicet iſta tantùm verba, *Hic eſt Sanguis meus*, ad eſſentiam formæ pertinere, cenſent *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Suarez*, *Eſtius*, *Silvius*, & alii. Sed ut ut ſe habeat ſpeculativa iſtarum opinionum probabilitas, graviſſimè peccaret Sacerdos, qui prolatis verbis illis, *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei*, vel unum ex ſequentibus prætermitteret uſque ad illa, *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Si verò prætermitteret iſta, *Qui pro vobis effundetur*, dubium eſt an conſecraret, propter varias Theologorum ea de re opiniones, & præſertim *S. Thomæ* in negantem ſententiam inclinantis in Cap. 11. Epiſtolæ 1. ad *Corinthios* Lectione 6. Unde hoc in caſu repetenda ſub conditione viderentur omnia conſecrationis verba, prout in Canone Miſſæ habentur. Speciem tamen ſuper quam prolata eſſent hæc verba,

PARS I. Art. 4. §. 2.

Quæ in praxi probabilior & tutior.

PARS I. Art. 4. §. 2.

Hic est Sanguis meus, religiosa cum veneratione pariter sumendam à Sacerdote arbitrarer: quia majus periculum est in contemtu & abjectione speciei consecratæ, quàm in veneratione non consecratæ, quæ tamen bona fide consecrata existimatur. In hoc autem casu dubium esset an vinum esset consecratum, ob diffidentes Theologorum ea de re sententias. Ita censet *S. Bonaventura* in 4. Sententiarum, Dist. 8. Q. 3.

Prætermisso verbo Est, peragitur nihilominus Consecratio.

173. Si verbum, *est*, prætermitteretur, dicendo, *Hoc Corpus meum: hic Sanguis meus*, &c. Sacrilegii quidem reus esset Sacerdos illud omittens: sed tamen perageretur consecratio: quia verbum, *est*, subintelligitur, eadémque vis est propositionis illo tacito ac expresso. Familiare est enim non solùm Latinis, sed etiam Hebræis & Syris, illud in enuntiatione subticere. Unde nec liquet Christum Hebraicè aut Syriacè loquentem addidisse; præsertim cùm nec in Græco sit expressum *Lucæ* 22. in consecratione Calicis. Ita *Silvius* in 3. P. Q. 78. A. 2. Quæsito 2.

Quid de sequentibus formulis? Istud est Corpus meum. Illud est Corpus meum.

174. Si quis loco pronominis, *Hoc*, diceret, *Istud est Corpus meum*: graviter quidem peccaret, sed rata esset consecratio: non verò si diceret, *Illud est Corpus meum*: quia, *Istud*, demonstrat rem præsentem, non autem, *Illud*. Si diceret, *Hic est Corpus meum*, sumendo, *Hic*, ut adverbium, nulla fieret consecratio: quia non significaretur

mu-

mutatio ſubſtantialis. Si autem ignorantiâ Grammaticæ, aut lapſu linguæ, diceret, *Hic eſt Corpus meum*, vocem iſtam uſurpando ut pronomen; vel, *Hoc eſt Calix Sanguinis mei*: ratam fore conſecrationem videtur: quia etiamſi eſſet incongrua locutio, juxta communem tamen morem loquendi idem eſſet ſenſus: quemadmodùm ſi diceret eâdem Grammaticæ imperitiâ, ſed bonâ fide & rectâ intentione: *Hoc eſt Corpus meus*. Si pronomini, *Hoc*, adderetur aliquid ſenſum non mutans, verbi gratiâ ſi diceretur: *Hic cibus eſt Corpus meum*: *Hæc res eſt Corpus meum*: *Hoc contentum ſub his ſpeciebus eſt Corpus meum*: rata eſſet conſecratio. Graviter nihilominus peccaret Sacerdos, qui Chriſti verbis aliquid addere præſumeret. Si quis diceret, *Ecce Corpus meum*: probabiliùs videtur non conſecraturum; quia mutationem ſubſtantialem hæc verba non ſignificant, adeóque nec illam operantur: aut certè dubia foret conſecratio, ut ait *Silvius* loco ſupra laudato, Quæſito 1.

PARS I. Art. 4. §. 2. *Hic eſt Corpus meum. Hic eſt Corpus meum. Hoc eſt Calix Sãguinis mei. Hoc eſt Corpus meus. Hic cibus eſt Corpus meum. Hæc res eſt Corpus meum. Hoc contentum ſub his ſpeciebus eſt Corpus meum. Ecce Corpus meum*

175. Si Sacerdos demonſtrato pane diceret, *Hoc eſt Caro mea*, veriſimile eſt quòd Sacramentum non conficeret. Quia Caro & Corpus non æquivalent, cùm Corpus aliquid ampliùs ſignificet quàm Caro. Si quis verò diceret: *Hoc eſt Corpus Chriſti*; non conſecraret: tum quia Chriſtus his verbis panem non conſecravit, aut ab Apoſtolis & eorum Succeſſoribus conſecrari inſtituit: tum quia

Hoc eſt Caro mea. Hoc eſt Corpus Chriſti.

PARS I. Art. 4. §. 2.

quia modus loquendi longè diversus est. Ex Christi enim persona hæc verba non proferuntur, sicut illa; *Hoc est Corpus meum.* Ita Silvius loco supra laudato, Quæsito 3.

Fiat hoc Corpus meum.

176. Si diceret Sacerdos, *Fiat hoc Corpus meum*, non consecraret, quia Christi Domini verbis non uteretur; neque idem esset sensus: non enim significaretur admirabilis conversio substantiæ panis in substantiam Corporis Christi facta vi verborum, nullâ interpositâ morâ.

Sacerdos oblitus eorum quæ dixit, an teneatur repetere?

177. Si Sacerdos non meminerit se verba Consecrationis pronuntiasse, propterea perturbari non debet, sed Sacrum prosequi & perficere. Qui enim multa dicit, non recordatur semper omnium quæ dixit, maximè cùm ita attendit ad illa quæ dixit, ut ea se dicere minimè cogitet. Si Sacerdoti probabiliter constet, se aliqua omisisse, quæ non sunt de necessitate Sacramenti, ulteriùs procedere debet, non ea repetere, quæ fortè prætermisit: Ordo enim Sacrificii absque necessitate non est immutandus. Si verò certus sit se omisisse formam Consecrationis, aut aliquod verborum formæ essentialium, vel de quibus dubium est an essentialia sint, Consecratio repetenda est, & reliqua prosequenda, ne mutetur Ordo Sacrificii: Ita *S. Thomas* 3. P. Q. 83. A. 6. ad 5.

§. III.

§. III.

De necessitate Eucharistiæ.

178. EUcharistia non est ad salutem necessaria necessitate medii: ita ut sine Eucharistiæ Sacramento actu suscepto vitam æternam consequi nemo possit. Dogma namque fidei est, hominem statim post Baptismum è vita exeuntem, vel ad Deum sincerè conversum, vitam æternam consequi, dicente Christo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Idem probatur ex Ecclesiæ sententiâ, quæ cùm olim pueris Eucharistiam statim post Baptismum administraret, hujusmodi mutare disciplinam & consuetudinem convenientius judicavit, cùm tamen Fidei ipsius *Regula* sit *immobilis, & irreformabilis*, ut loquitur *Tertullianus*.

Non est necessariũ necessitate medii ut actu recipiatur.

Euchari- stia pueris olim ad- ministra- ta.

179. Res sive effectus Sacramenti Eucharistiæ, qui est conjunctio cum Christo, & insitio Corpori ejus mystico, seu votum saltem implicitum suscipiendi hoc Sacramentum, est necessaria ad salutem. Sic intelligenda sunt *S. Augustini* testimonia, quibus Eucharistiam parvulis necessariam esse ad salutem asserere videtur, Lib. 1. *De Peccatorum meritis & Remissione*, Cap. 20. quia per Baptismum Corpori Mystico Christi Domini inseruntur, & fiunt membra ejus,

Necessarium est Votũ ejus saltem implicitũ.

atque

PARS I. Art. 4. §. 3.

atque ad Sacramentum Euchariſtiæ jus habent, illius per Baptiſmum candidati, *Quò nemo niſi rite baptizatus accedit*. Verùm tantùm abeſt ut Sacramentum ipſum Euchariſtiæ actu ſuſceptum cenſeat eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, ut è contrariò ibidem aſſerat, parvulos ſuſcepto Baptiſmate ex hac vita migrantes æternam ſalutem conſequi.

Diluitur objectio.

180. Nec obſtat quod objici ſolet, Chriſtum eodem modo loqui de neceſſitate Euchariſtiæ, & de neceſſitate Baptiſmi: Reſponſio enim in promptu eſt, priorem ſententiam, quæ Baptiſmum ſpectat, nullam in parvulis exceptionem pati, excepto Martyrii caſu, quod & in ipſis vicem Baptiſmatis ſupplet; quia nullum aliud medium eſt à Chriſto inſtitutum, quo peccati originalis remiſſionem, & gratiam ſanctificantem conſequi poſſint, Deíque filii & heredes fieri: at præter Euchariſtiam, aliud medium eſt, quo hæc ipſis beneficia procurantur, ſcilicet Baptiſmus. Quamobrem Euchariſtia non eſt ipſis ad ſalutem æquo jure neceſſaria. Id verò non gratis confictum, ſed Scripturæ Sacræ teſtimonio, Traditionis ſuffragio, Eccleſiæ Catholicæ judicio firmatum eſt. Deinde hæc verba, *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, disjunctivè ſunt intelligenda, vel de manducatione corporali, vel de manducatione ſpirituali; de

man-

manducatione in re, vel in voto; de ipsius Sacramenti perceptione, vel de participatione effectûs, quem producere in iis qui dignè illud recipiunt, solitum est. PARS I. Art. 4. §. 3.

181. Eucharistia necessaria est adultis necessitate Præcepti, cùm Divini, tùm Ecclesiastici. Prima pars Propositionis inde probatur, quòd Christus istud Sacramentum instituens, illius quoque sumtionem præceperit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: Iis enim verbis non solam præcepit consecrationem & oblationem Eucharistiæ Apostolis & eorum Successoribus, verùm etiam omnibus Fidelibus usum ejus seu sumtionem præceptam esse voluit, ut ex verbis Apostoli sequentibus perspicuum est: *Quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* *Quomodo adultis necessaria?*

182. Confirmatur ex Concilio Tridentino, Sessione 13. Cap. 2. *Salvator noster,* inquit, *discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; & in illius sumtione colere nos sui memoriam præcepit, suàmque annuntiare Mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat.* *Concil. Trid.*

183. Confirmatur secundò ex S. Thoma 3. P. Q. 80. A. 11. *Duplex*, inquit, *est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet* *S. Thom.*

PARS I. Art. 2. §. 3.

licet spiritualis, & sacramentalis. Manifestum est autem quòd omnes tenentur saltem spiritualiter manducare; quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum. Et ideò sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est quòd homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. *Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum.* Et primis quidem temporibus, quando fervente adhuc Religione, Christiani sponte sua satis frequentabant hoc Sacramentum, legem ferendam non judicavit Ecclesia, quâ certum tempus percipiendæ Eucharistiæ eis præscriberetur. Verùm postquàm tepescere cœpit devotio Fidelium, statuit ut saltem ter quotannis Christiani omnes adultæ ætatis Eucharistiam sumerent, iis nimirum diebus, quibus præcipua nostræ Religionis Mysteria solemni ritu recoluntur, id est, Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis Domini; ut constat ex Cap. *Etsi non frequentiùs*, quod *S. Fabiano* Romano Pontifici tribuitur, Dist. 3. *De Consecratione*.

Quando?

Prisca Ecclesiæ Disciplina sensim remissa.

184. In Cœna Domini, qua die hoc Sacramentum à Christo institutum est, percipi so-

In Cœna Domini.

pi solitam ab omnibus Fidelibus Communionem, in Ecclesia saltem Gallicana, constat ex Concilio Cabilonensi Canone 47.

PARS I. Art: 4. §. 3.

Dominicis diebus.

185. Singulis Dominicis præceptam fuisse Sacram Communionem in Ecclesia Gallicana, nono Sæculo, constat ex Concilio Aquisgranensi 2. anno 836. Canone 22.

Ecclesiæ præceptũ de Communione Paschali.

186. Tandem frigescente in dies magis ac magis Fidelium pietate, Ecclesia in Concilio Oecumenico Lateranensi 4. sub *Innocentio III.* congregata statuit ut adulti omnes semel saltem in anno, videlicet Dominicæ Passionis ac Resurrectionis tempore, Eucharistiam in ejusdem Passionis memoriam sumerent. Sic enim habetur Canone 21. *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti .... Suscipiens reverenter ad minùs in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum; nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.* Quæ lex Ecclesiæ prorsus consentanea est illi Mosaïcæ: *Si quis non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.* Ista divini præcepti quoad tempus determinatio confirmata est à sacra Synodo Tridentina Sessione 13.

PARS I. Art. 4. §. 2.

Hic est Sanguis meus, religiosa cum veneratione pariter sumendam à Sacerdote arbitrarer: quia majus periculum est in contemtu & abjectione speciei consecratæ, quàm in veneratione non consecratæ, quæ tamen bona fide consecrata existimatur. In hoc autem casu dubium esset an vinum esset consecratum, ob dissidentes Theologorum ea de re sententias. Ita censet *S. Bonaventura* in 4. Sententiarum, Dist. 8. Q. 3.

Prætermisso verbo Est, *peragitur nihilominus Consecratio.*

173. Si verbum, *est*, prætermitteretur, dicendo, *Hoc Corpus meum*: *hic Sanguis meus*, &c. Sacrilegii quidem reus esset Sacerdos illud omittens: sed tamen peragere-tur consecratio: quia verbum, *est*, subintelligitur, eadémque vis est propositionis illo tacito ac expresso. Familiare est enim non solùm Latinis, sed etiam Hebræis & Syris, illud in enuntiatione subticere. Unde nec liquet Christum Hebraicè aut Syriacè loquentem addidisse; præsertim cùm nec in Græco sit expressum *Lucæ* 22. in consecratione Calicis. Ita *Silvius* in 3. P. Q. 78. A. 2. Quæsito 2.

Quid de sequensibus formulis? Istud est Corpus meum. Illud est Corpus meum.

174. Si quis loco pronominis, *Hoc*, diceret, *Istud est Corpus meum*: graviter quidem peccaret, sed rata esset consecratio: non verò si diceret, *Illud est Corpus meum*: quia, *Istud*, demonstrat rem præsentem, non autem, *Illud*. Si diceret, *Hic est Corpus meum*, sumendo, *Hic*, ut adverbium, nulla fieret consecratio: quia non significaretur

mu-

mutatio substantialis. Si autem ignorantiâ Grammaticæ, aut lapsu linguæ, diceret, *Hic est Corpus meum*, vocem istam usurpando ut pronomen; vel, *Hoc est Calix Sanguinis mei*: ratam fore consecrationem videtur: quia etiamsi esset incongrua locutio, juxta communem tamen morem loquendi idem esset sensus: quemadmodùm si diceret eâdem Grammaticæ imperitiâ, sed bonâ fide & rectâ intentione: *Hoc est Corpus meus*. Si pronomini, *Hoc*, adderetur aliquid sensum non mutans, verbi gratiâ si diceretur: *Hic cibus est Corpus meum*: *Hæc res est Corpus meum*: *Hoc contentum sub his speciebus est Corpus meum*: rata esset consecratio. Graviter nihilominus peccaret Sacerdos, qui Christi verbis aliquid addere præsumeret. Si quis diceret, *Ecce Corpus meum*: probabiliùs videtur non consecraturum; quia mutationem substantialem hæc verba non significant, adeóque nec illam operantur: aut certè dubia foret consecratio, ut ait *Silvius* loco supra laudato, Quæsito 1.

Art. 4. §. 2. Hic est Corpus meum. Hic est Corpus meum. Hoc est Calix Sãguinis mei. Hoc est Corpus meus. Hic cibus est Corpus meum. Hæc res est Corpus meum. Hoc contentum sub his speciebus est Corpus meum. Ecce Corpus meum

175. Si Sacerdos demonstrato pane diceret, *Hoc est Caro mea*, verisimile est quòd Sacramentum non conficeret. Quia Caro & Corpus non æquivalent, cùm Corpus aliquid ampliùs significet quàm Caro. Si quis verò diceret: *Hoc est Corpus Christi*; non consecraret: tum quia Christus his verbis panem non consecravit, aut ab Apostolis & eorum Successoribus consecrari instituit: tum quia

Hoc est Caro mea.

Hoc est Corpus Christi.

PARS I. Art. 4. § 2.

quia modus loquendi longè diversus est. Ex Christi enim persona hæc verba non proferuntur, sicut illa; *Hoc est Corpus meum*. Ita Silvius loco supra laudato, Quæsito 3.

Fiat hoc Corpus meum.

176. Si diceret Sacerdos, *Fiat hoc Corpus meum*, non consecraret, quia Christi Domini verbis non uteretur; neque idem esset sensus: non enim significaretur admirabilis conversio substantiæ panis in substantiam Corporis Christi facta vi verborum, nullâ interpositâ morâ.

Sacerdos oblitus eorum quæ dixit, an teneatur repetere?

177. Si Sacerdos non meminerit se verba Consecrationis pronuntiasse, propterea perturbari non debet, sed Sacrum prosequi & perficere. Qui enim multa dicit, non recordatur semper omnium quæ dixit, maximè cùm ita attendit ad illa quæ dixit, ut ea se dicere minimè cogitet. Si Sacerdoti probabiliter constet, se aliqua omisisse, quæ non sunt de necessitate Sacramenti, ulteriùs procedere debet, non ea repetere, quæ fortè prætermisit: Ordo enim Sacrificii absque necessitate non est immutandus. Si verò certus sit se omisisse formam Consecrationis, aut aliquod verborum formæ essentialium, vel de quibus dubium est an essentialia sint, Consecratio repetenda est, & reliqua prosequenda, ne mutetur Ordo Sacrificii: Ita *S. Thomas* 3. P. Q. 83. A. 6. ad 5.

§. III.

§. III.

De necessitate Eucharistiæ.

178. Eucharistia non est ad salutem necessaria necessitate medii: ita ut sine Eucharistiæ Sacramento actu suscepto vitam æternam consequi nemo possit. Dogma namque fidei est, hominem statim post Baptismum è vita exeuntem, vel ad Deum sincerè conversum, vitam æternam consequi, dicente Christo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Idem probatur ex Ecclesiæ sententia, quæ cùm olim pueris Eucharistiam statim post Baptismum administraret, hujusmodi mutare disciplinam & consuetudinem convenientius judicavit, cùm tamen Fidei ipsius *Regula* sit *immobilis, & irreformabilis*, ut loquitur *Tertullianus*.

Non est necessariũ necessitate medii ut actu recipiatur.

Eucharistia pueris olim administrata.

179. Res sive effectus Sacramenti Eucharistiæ, qui est conjunctio cum Christo, & insitio Corpori ejus mystico, seu votum saltem implicitum suscipiendi hoc Sacramentum, est necessaria ad salutem. Sic intelligenda sunt *S. Augustini* testimonia, quibus Eucharistiam parvulis necessariam esse ad salutem asserere videtur, Lib. 1. *De Peccatorum meritis & Remissione*, Cap. 20. quia per Baptismum Corpori Mystico Christi Domini inseruntur, & fiunt membra ejus, atque

Necessarium est Votũ ejus saltem implicitũ.

PARS I. Art. 4. §. 3.

atque ad Sacramentum Euchariſtiæ jus habent, illius per Baptiſmum candidati, *Quò nemo niſi rite baptizatus accedit*. Verùm tantùm abeſt ut Sacramentum ipſum Euchariſtiæ actu ſuſceptum cenſeat eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, ut è contrario ibidem afferat, parvulos ſuſcepto Baptiſmate ex hac vita migrantes æternam ſalutem conſequi.

Diluitur objectio.

180. Nec obſtat quod objici ſolet, Chriſtum eodem modo loqui de neceſſitate Euchariſtiæ, & de neceſſitate Baptiſmi: Reſponſio enim in promptu eſt, priorem ſententiam, quæ Baptiſmum ſpectat, nullam in parvulis exceptionem pati, excepto Martyrii caſu, quod & in ipſis vicem Baptiſmatis ſupplet; quia nullum aliud medium eſt à Chriſto inſtitutum, quo peccati originalis remiſſionem, & gratiam ſanctificantem conſequi poſſint, Deíque filii & heredes fieri: at præter Euchariſtiam, aliud medium eſt, quo hæc ipſis beneficia procurantur, ſcilicet Baptiſmus. Quamobrem Euchariſtia non eſt ipſis ad ſalutem æquo jure neceſſaria. Id verò non gratis confictum, ſed Scripturæ Sacræ teſtimonio, Traditionis ſuffragio, Eccleſiæ Catholicæ judicio firmatum eſt. Deinde hæc verba, *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, disjunctivè ſunt intelligenda, vel de manducatione corporali, vel de manducatione ſpirituali; de

man-

manducatione in re, vel in voto; de ipsius Sacramenti perceptione, vel de participatione effectûs, quem producere in iis qui dignè illud recipiunt, solitum est. PARS I. Art. 4. §. 3.

181. Eucharistia necessaria est adultis necessitate Præcepti, cùm Divini, tùm Ecclesiastici. Prima pars Propositionis inde probatur, quòd Christus istud Sacramentum instituens, illius quoque sumtionem præceperit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: Iis enim verbis non solam pręcepit consecrationem & oblationem Eucharistiæ Apostolis & eorum Successoribus, verùm etiam omnibus Fidelibus usum ejus seu sumtionem præceptam esse voluit, ut ex verbis Apostoli sequentibus perspicuum est: *Quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* *Quomodo adultis necessaria?*

182. Confirmatur ex Concilio Tridentino, Sessione 13. Cap. 2. *Salvator noster*, inquit, *discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; & in illius sumtione colere nos sui memoriam præcepit, suàmque annuntiare Mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat.* *Concil. Trid.*

183. Confirmatur secundò ex *S. Thoma* 3. P. Q. 80. A. 11. *Duplex*, inquit, *est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet* *S. Thom.*

PARS I. Art. 2. §. 3.

licet spiritualis, & sacramentalis. Manifestum est autem quòd omnes tenentur saltem spiritualiter manducare; quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum. Et ideò sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est quòd homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. *Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi preceptum.* Et primis quidem temporibus, quando fervente adhuc Religione, Christiani sponte sua satis frequentabant hoc Sacramentum, legem ferendam non judicavit Ecclesia, quâ certum tempus percipiendæ Eucharistiæ eis præscriberetur. Verùm postquàm tepescere cœpit devotio Fidelium, statuit ut saltem ter quotannis Christiani omnes adultæ ætatis Eucharistiam sumerent, iis nimirum diebus, quibus præcipua nostræ Religionis Mysteria solemni ritu recoluntur, id est, Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis Domini; ut constat ex Cap. *Etsi non frequentiùs*, quod *S. Fabiano* Romano Pontifici tribuitur, Dist. 3. *De Consecratione*.

Quando?

Prisca Ecclesiæ Disciplina sensim remissa.

In Cœna Domini.

184. In Cœna Domini, qua die hoc Sacramentum à Christo institutum est, perci-

pi so-

pi solitam ab omnibus Fidelibus Communionem, in Ecclesia saltem Gallicana, constat ex Concilio Cabilonensi Canone 47. PARS I. Art. 4. §. 3.

185. Singulis Dominicis præceptam fuisse Sacram Communionem in Ecclesia Gallicana, nono Sæculo, constat ex Concilio Aquisgranensi 2. anno 836. Canone 22. *Dominicis diebus.*

186. Tandem frigescente in dies magis ac magis Fidelium pietate, Ecclesia in Concilio Oecumenico Lateranensi 4. sub *Innocentio III.* congregata statuit ut adulti omnes semel saltem in anno, videlicet Dominicæ Passionis ac Resurrectionis tempore, Eucharistiam in ejusdem Passionis memoriam sumerent. Sic enim habetur Canone 21. *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti .... Suscipiens reverenter ad minùs in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum; nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.* Quæ lex Ecclesiæ prorsus consentanea est illi Mosaïcæ: *Si quis non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.* Ista divini præcepti quoad tempus determinatio confirmata est à sacra Synodo Tridentina Sessione 13. *Ecclesiæ præceptũ de Communione Paschali.*

ne 13.

Pats I. Art. 4. §. 3. ne 13. Canone 9. cujus hæc sunt verba: *Si quis negaverit, omnes & singulos Fideles utriusque sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ; Anathema sit.*

187. Præter hoc autem Ecclesiæ præceptum, est perpetua Ecclesiæ ejusdem consuetudo alterius præcepti vim obtinens, ut infirmi antequàm ex hac vita discedant, hoc Sacramentum tanquàm Viaticum sibi administrari curent. Unde magna cautione semper provisum est ne quis absque hoc saluberrimo Viatico è vita migraret, ut constat ex Concilii Nicœni Canone 13. ex Concilii Carthaginensis 4. Canone 70. ex Vasensis Canone 2. ex *S. Joanne Chrysostomo* Lib. 6. De Sacerdotio, *S. Hironymo* ad Cap. 15. S. Matthæi, aliísque Veterum testimoniis.

Communio infirmorum.

188. Itaque Divinum & Ecclesiasticum Præceptum de Eucharistiæ sumtione, parvulos non spectat: qui præcepti per ætatem sunt incapaces, & qui se ipsos ante Communionem probare non possunt, secundùm præceptum divinum ab Apostolo promulgatum 1. ad Corinthios 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*: nullóque devotionis sensu erga hoc Sacramentum possunt affici; neque Christum in eo præsentem adorare, cujus Carnem nemo sumere debet, nisi priùs adoraverit.

Præceptũ de Eucharistię sumtione, parvulos non spectat.

189. Ac

189. At Mortale peccatum committit, quicumq; Fidelis Euchariſtiam tempore Paſchatis non ſumit: atque Excommunicatione plecti debet; Chriſtianàque ſepulturâ privari, niſi præceptum illud Eccleſiæ impleverit. Ita quippe ſtatuit Canon *Omnis utriuſque ſexûs*, & Concilium Tridentinum. Tempus autem Paſchali Communioni præfinitum eſt quindena intercurrens à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſivè. PARS I. Art. 4. §. 3. *Obligat adultos tempore Paſchali.* *Quid tẽpus Paſchale?*

190. Præceptum Communis Paſchalis extra propriam Parochiam non impletur. Eàque à proprio Sacerdote, vel ab eo cui vices ſuas commiſerit, ſuſcipienda eſt. Ita ſtatuit Canon *Omnis utriuſque ſexûs*. *Non impletur extra propriam Parochiam.*

191. Paſchalis Communio de conſilio proprii Sacerdotis, ob rationabilem cauſam, ad tempus differri poteſt. Ita ſtatuit Concilium Lateranenſe, Canone *Omnis utriuſque ſexûs*. Sanè ſicut immundi à faciendo Phaſe cum reliquo cœtu filiorum Iſraël excluſi ſunt, & in ſecundum menſem dilati (*Num.* 9.) Ita ſi qui, ut par eſt, parati non ſunt ad Euchariſtiam ſuſcipiendam: utpote quia in proximis peccandi occaſionibus, vel in affectu peccati adhuc verſantur, vel quorum dubia converſio eſt propter inveteratum peccati lethalis, publici maximè, & cum aliorum ſandalo commiſſi habitum, ac frequentes in eadem crimina relapſus; vel anno ſolido à Confeſſione Sacramentali ab- *An differri poſſit Communio Paſchalis, & cuius conſilio?*

H ſtinue-

PARS I. Art. 4. §. 3.

ſtinuerunt, & poſtremis Paſchalis quindenæ diebus ſe ſiſtunt Sacerdoti, nullâ aut exiguâ præparatione, eorum Communio ad tempus differenda eſt, ſecundùm prudens judicium Proprii Sacerdotis; penes quem, & non penes alium (ſalvo Epiſcopi jure) poteſtas eſt Communionis Paſchalis tempus prorogandi. Unde ſi quis alteri à Parocho, de illius, aut Epiſcopi licentiâ peccata confeſſus fuerit, ipſique Abſolutionis beneficium diſtulerit Confeſſarius, aut illius Communionem ultra quindenam Paſchalem differendam judicaverit, debet nihilominus Pœnitens proprium Parochum adire, ipſique exponere conſcientiæ ſuæ ſtatum; aut certè Sacerdotis, apud quem peccata depoſuit, judicium, ut illius conſilio & licentiâ Paſchalem Communionem ad tempus differat. Alioqui Parochus jure ſuo utetur, & pœnas Conſtitutionis, *Omnis utriuſque ſexûs*, ipſum incurriſſe declarabit. Quamobrem conſultius erit, ſi Confeſſarii hujuſmodi homines ad proprium Sacerdotem remittant.

An anticipari?

192. Quemadmodum autem de proprii Sacerdotis conſilio ob rationabilem cauſam differri poteſt Communio Paſchalis, ita anticipari poteſt & debet, ſi quis prævideat ſe & in Paſchate, & multis poſt Paſcha menſibus impotentem futurum ad Euchariſtiam ſumendam propter impedimentum extrinſecum. Eccleſia enim ſic jubet Communionem in Paſchate, ut velit *ad minus* tunc fieri, &

ri, & non ultra differri: si autem differretur ad plures menses post Pascha, non fieret *ad minus semel in anno*. Sicut si cui injunctum esset solvere centum nummos ad minus semel in anno, idque in Paschate; is si prævideret se solvendo non futurum in Paschate, solutionem anticipare deberet, si posset.

PARS I. Art. 4. §. 3.

193. Qui apud Privilegiatos, sive in Ecclesiis Regularium Eucharistiam sumserit in Hebdomada Sancta, debet nihilominus intra quindenam Paschalem semel in Ecclesia Parochiali sumere, ut satisfaciat præcepto Communionis Paschalis. Ita respondit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

Communio Paschalis in propria Parocha.

194. Qui Præcepto Communionis Paschalis satisfecit, Eucharistiam in propria Parochia sumendo, die ipso Paschatis Eucharistiam sumere non potest in Ecclesiis Regularium, aut quorumvis Privilegiatorum sive Exemptorum. Leo enim *Decimus* Pontifex Maximus concedens ut Privilegiati Euchastiam quovis anni die ministrare possint, excipit diem Paschatis. Privilegia autem quæ Juri communi derogant, restringi debent, non ampliari. Idem confirmat Responsum Congregationis Cardinalium, datum die 23. Januarii 1586. Eámque sententiam *Navarrus*, *Azorius*, & *Sylvius* probabiliorem censent.

In ipso Paschatis Die extra propriam Parochiã, etiam pro sola devotione communicare non licet.

195. Qui Communionem Paschalem prætermisit, tenetur ad satisfaciendum Ec-

Qui Communione

PARS I. Art. 4. §. 3. *prætermisit in Paschate tenetur equidem pro illo anno cõmunicare.*

clesiæ præcepto pro illo anno communicare. Ita censent *Joannes Major*, *Petrus à Palude*, *Navarrus* & *Sylvius*. Duplex affertur hujus obligationis ratio. Primò, quia non conceditur terminus annuus ut tunc cesset obligatio, sed ut adimpletio præcepti ulteriùs differri non possit: sicut in contractibus, quando statuitur tempus ultra quod non possit differri solutio; si tunc non fiat, debitum non extinguitur, sed perseverat. Secundò, quia Communio est id quod Ecclesia præcipuè præcipere intendit: temporis autem determinatio est aliquid secundarium. Cùm ergo possit adhuc impleri Ecclesiæ præceptum secundùm substantiam, & quantùm ad id quod in eo præcipuum est, obligatio perseverat. At (inquiunt alii magni etiam nominis Theologi, *S. Antoninus*, *Sylvester Prieras*, *Dominicus Soto*, *Toletus*;) Dum aliquid prçcipitur cum determinatione temporis, eo elapso cessat obligatio, ut patet in Missa Festi, Jejunio Vigiliæ, &c. Id verum esse respondent alii, cùm opus quod præcipitur annexum est tempori, & quasi pensum & onus diei præcipitur, ita ut ratio obligationis sit talis dies, qualia sunt auditio Missæ in die Festo, Jejunium in Quadragesima, Quatuor Temporibus, statísque Vigiliis, & Breviarii recitatio. At Confessio & Communio annua non præcipiuntur ut annexæ tempori, utque certæ diei pensa & onera; nec ratio obligationis earum est Paschale tem-

tempus, sed jus divinum, cui ut satisfiat, Ecclesia Paschatis tempus ita determinavit, ut obligationem faciendi satis divino illi juri ac præcepto de cœlesti cibo animabus nostris procurando, quo spiritualis vita sustentetur, propterea non remiserit. Atque hæc longè probabilior & tutior videtur sententia, quamvis magna nomina contrariam opinionem defendant.

Sacræ Communionis per modum Viatici præceptū.

196. Mortale peccatum incurrit, quisquis gravi morbo correptus, & in mortis periculo constitutus, Eucharistiæ Viaticum recipere renuit, aut negligit. Ecclesiæ scilicet præceptum in re gravi violare non metuit. Ejusdem peccati rei sunt illi ad quos infirmi cura pertinet, præcipuéque Medicus, si ipsum ea de re monere, utque isto Christiani hominis officio defüngatur, urgere negligant. Ad Parochum autem spectat Viaticum ministrare, vel ad alium de ejus facultate. Si porrò Regularis Sacerdos id facere præsumat, non habitâ super hoc Parochialis Presbyteri licentia speciali, Excommunicationem Sanctæ Sedi Apostolicæ reservatam ipsô factô incurrit. *Clement.* 1. *Religiosi*. Tit. *De Privilegiis & excessibus Privilegiatorum*; nisi fortè ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali eam habuerit facultatem.

Ecclesiæ præceptū non impletur in-

197. Præcepto Communionis annuæ non fit satis per sacrilegam Domini manducationem. Præceptum enim Ecclesiæ est determi-

PARS I. Art. 4. §. 3. *digna Cõmunione.*

terminatio divini præcepti ad certum tempus, adeóque illud non implet, qui divinum de sumptione Eucharistiæ præceptum violant, Corpus Domini non dijudicantes, secundùm illud Apostoli 1. ad Corinthios 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Præterea, Concilium Oecumenicum Lateranense 4. Canone, *Omnis utriusque sexûs*, præcipit omnibus & singulis Fidelibus, ut *Suscipiant reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum.* At suscipi quâ par est reverentiâ nemo dixerit per Communionem sacrilegam.

Propositio damnata.

198. Denique inter Propositiones, quas *Innocentius Undecimus* Pontifex Maximus damnavit *Ut minimùm tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas*, Decreto edito die Jovis 2. Martii 1679. quinquagesima quinta his verbis expressa est: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Quæ doctrina Cleri Gallicani judicio in generali conventu anni 1700. *temeraria est, scandalosa, erronea, impietati & sacrilegio favens, & præceptis Ecclesiæ illudens.* Quamobrem qui Eucharistiam in statu & affectu peccati mortalis recepit in Paschate, pœnitentiam agere & confiteri quamprimùm debet cùm immane illud sacrilegium, tum reliqua peccata Sacerdoti,

doti, & Christi Corpus cum debita reverentia & pietate suscipere, ut præcepto Communionis Paschalis satisfaciat. Idem esto judicium de illo qui Viaticum in statu aut affectu peccati mortalis recepisset: iterum enim actâ sacrilegii pœnitentiâ sacram Communionem percipere deberet, cùm ad Ecclesiæ præceptum implendum, tum ad resarciendam injuriam & vim illatam Corpori Domini.

Objectio diluitur.

199. Frustra verò quis objiciat, Ecclesiam actus internos præcipere non posse. Esto enim ipsos præcipere non possit directè, ut nec de iis in exteriori foro judicare; indirectè tamen ipsos præcipere potest, quatenus externi religiosè fieri non possunt, nisi cum internis sint conjuncti. Prætereà, non ex vi Præcepti Ecclesiastici, sed ex vi Præcepti Divini tenemur ad orandum cum attentione, reverentiâ, & religione debitis; ad sumendam Eucharistiam purâ & integrâ conscientiâ, quoties ipsam sumimus: ne de illorum simus numero, de quibus Deus per Prophetam ait: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*: ne simus hypocritæ, quibus *Va* toties imprecatus est Christus; ne *Veri adoratores* non simus, qui *Deum adorant in spiritu & veritate*: ne indignè manducando & non dijudicando Corpus Domini, judicium nobis manducemus & bibamus; animæque nostræ mortem consciscamus Panem vitæ sumendo, &

PARS I. Art. 4. §. 4.

recipiendo Sacramentum quod Christus instituit ut æternùm vivamus: ne denique falsò profiteamur sumendo Corpus Christi, nos ad Corpus Christi mysticum pertinere, & esse membra illius Spiritu vegetata.

§. IV.

De Effectibus Eucharistiæ.

Eucharistia non confert primam gratiam per se.

200. SAcramentum Eucharistiæ non confert primam gratiam, adeóque nec remissionem peccatorum mortalium per se operatur. Quemadmodum enim mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest; ita etiam animæ, quæ Spiritu non vivit, sacra Mysteria non prodesse constat: ac propterea panis & vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, sed in vita conservandæ causâ, instituta esse (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

Sed per accidens.

201. Eucharistiæ igitur Sacramentum remissionem peccati non operatur in eo qui ipsum percipit cum peccati mortalis conscientiâ. *Potest tamen operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto; sicut cùm quis primò justificatur à peccato.* (Prima enim gratia nemini tribuitur, nisi Eucharistiam desiderio & voto percipiat.) *Alio modo etiam perceptum*

tum ab eo qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam & affectum non habet. Fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus; ſed devotè & reverenter accedens, conſequetur per hoc Sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati; inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 79. A. 3.) Hoc ſenſu Eccleſia in Poſtcommunione pro vivis & defunctis orat: *Præſta ut hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam, ſit ablutio ſcelerum*, &c.

PARS I. Art. 4. §. 4.

Effectus Euchariſtiæ peccatorum venialium condonatio, quibus non adhæret cõmunicatium affectus.

202. Per Euchariſtiam peccata venialia condonantur. Iſtud enim Sacramentum ſumitur ſub ſpecie alimenti: porrò alimentum naturale corpori neceſſarium eſt ad reſtaurandum id quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit. Unde quicquid etiam ardore cupiditatis indies amittit anima, dum levi aliqua in re parum offendit, totum Euchariſtia, eas ipſas veniales culpas, quæ minuunt fervorem caritatis, abſtergens, reſtituit. Unde *S. Ambroſius* Lib. 4. Cap. 4. *De Sacramentis*, Cap. 6. *Si quotieſcumque effunditur Sanguis, in remiſſionem peccatorum funditur; debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* „ Res autem ſive effectus hujus Sa„ cramenti, ut *S. Thomas* loquitur, eſt ca„ ritas, non ſolùm quantùm ad habitum, „ ſed etiam quantùm ad actum, qui excita-

tur

PARS I. Art. 4. §. 4.

tur in hoc Sacramento: quo fit ut per illud venialia peccata solvantur. Ita S. Doctor Q. 79. 3. P. A. 4. Cujus doctrinam suam fecit Concilii Tridentini Catechismus. *Verùm hæc de iis peccatis intelligenda* esse monet, *quorum sensu & delectatione animus non permovetur.*

203. Meritò itaque *Innocentius III.* Lib. 4. *De Missa*, Cap. 44. De Eucharistia ait: *Venialia delet, & cavet mortalia.* Meritò Concilium Tridentinum hoc Sacramentum vocat *Antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Idem profitetur Ecclesia Græca, quæ in suis Euchologiis hunc Ritum præscribit Eucharistiam administrandi: *Sumis Serve Dei N. pretiosum & sanctum Corpus & Sanguinem Domini & Salvatoris nostri Jesu-Christi in remissionem peccatorum, & vitam æternam.*

Effectus Eucharistiæ quatenus Sacramentū est, & quatenus Sacrificium.

204. Eucharistia sumentibus prodest, non solùm quatenus est Sacramentum, sed etiam ut Sacrificium: non sumentibus verò, ut Sacrificium duntaxat, spiritualem utilitatem affert. Prima pars Propositionis liquet: Sacrificium enim Eucharistiæ pro omnibus sumentibus offertur. Unde dicitur in Canone Missæ: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus & Sanguinem sumserimus, omni benedictione cœlesti, & gratiâ repleamur.* Pars altera Propositionis patet ex aliis verbis ejusdem

Cano-

Canonis: *Memento, Domine, famulorum, famularúmque tuarum... Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ.* Utrumque porrò proficiendi modum Christus expressit *Matth.* 26. & *Luc.* 22. dicens: *Qui pro vobis* (scilicet sumentibus) *& pro multis* (scilicet aliis) *effundetur in remissionem peccatorum.* Non æquè tamen omnibus prodest. *Sicut enim Passio Christi prodest quidem omnibus quantùm ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ & gloriæ; sed effectum non habet nisi in illis qui Passioni Christi conjunguntur per fidem & caritatem: ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ Passionis, non habet effectum nisi in illis qui conjunguntur huic Sacramento per fidem & caritatem.* Unde *S. Augustinus* ait: *Quis offerat Corpus Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi?* Et in Canone Missæ non oratur pro his qui sunt extra Ecclesiam. Illis autem, pro quibus offertur, *Prodest plus vel minùs, secundùm modum devotionis eorum* (inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 79. A. 7.)

PARS I. Art. 4. §. 4.

205. Eucharistiam pro aliis sumere, devotio recens, nec autoritate, nec ratione fulta. Id enim priscis Patribus, & Vitæ Spiritualis Magistris incognitum. Præterea, Christus hoc Sacramentum instituit per modum

Devotio recens, nec probata.

dum

PARS I. Art. 4. §. 4.

dum cibi & potûs: cibus autem & potus alteri non prodest à sumente. Quis enim alterum rogat ut pro se manducet & bibat? Tertiò, *Sumtio pertinet ad rationem Sacramenti, sed Oblatio pertinet ad rationem Sacrificii: & ideo ex hoc quòd aliquis sumit Corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod juvamentum*; inquit *S. Thomas* Quæstione & Articulo mox laudatis, in Responsione ad 3. Objectionem. Nec dici potest, Communionem ab uno factam alteri prodesse per modum satisfactionis: quia hoc Sacramentum *Non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum & ad membra ejus, sicut & nutrimentum unitur nutrito*; ut loquitur *S. Thomas* Articulo 5. ejusdem Quæstionis.

206. Fatendum est tamen; cùm hujus Sacramenti virtute gratia & caritas in iis, qui Corpus Domini dignè manducant, augeatur, preces ipso Communionis die factas, aliáque opera satisfactoria, ut jejunia, eleemosynas, &c. præcipuam quamdam vim habere ex Communione præcedente impetrandi divina beneficia, & satisfaciendi cùm pro ipsis, tum pro aliis. Hoc solùm sensu Communio unius alteri prodest. Hoc enim commune est Eucharistiæ cum aliis Sacramentis, ut sub ratione Sacramenti non prosit nisi sumentibus. Unde sicut Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctio-

ctionis fructus ad eos duntaxat pertinent qui hæc Sacramenta suscipiunt; ita ut unum pro alio Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Extremam-Unctionem suscipere, peccata confiteri & absolvi, res sit planè inaudita, & Christi institutioni, Ecclesiæ moribus, ac rectæ rationi repugnans: ita & Communionis fructus ad eum duntaxat pertinet qui Christi Corpus dignè recipit, non ad alios. Hoc ratiocinium autoritate *S. Thomæ* confirmatur. Articulo enim 7. supra laudato hanc sibi primo loco proponit objectionem: *Hoc Sacramentum est unius generis cum aliis Sacramentis: sed alia Sacramenta non prosunt nisi sumentibus; sicut effectum Beptismi non suscipit nisi baptizatus: ergo nec hoc Sacramentum prodest nisi sumenti*. Ad eam autem Objectionem sic respondet: *Dicendum, quòd hoc Sacramentum præ aliis habet quòd est Sacrificium: & ideo non est similis ratio*. Constans igitur *S. Thomæ* doctrina est, Eucharistiam aliis à sumentibus non prodesse ut Sacramentum, sicut nec alia Sacramenta prosunt aliis quàm suscipientibus; sed tantùm ut Sacrificium. Quamvis indirectè, ut loquuntur, aliis cùm Vivis tùm Defunctis prosit, quia fervorem caritatis excitat, ratione cujus orationes & eleemosynæ ab homine Christiano & justo pro aliis Deo oblatæ, illis impensiùs suffragantur.

PARS I. Art. 4. §. 4.

207. Præpostera devotio est, plures Hostias

Devotio

PARS I. Art. 4. §. 4. *præpostera*

ſtias conſecratas in Sacra Communione ſumere: nec Sacerdotes huic ſuperſtitioni devotarum quarumdam muliercularum connivere debent. *Nam ex hoc quòd Sacerdos plures Hoſtias conſecrat in una Miſſa, non multiplicatur effectus hujus Sacramenti; quia non eſt niſi unum Sacrificium: nihil enim plus eſt virtutis in multis hoſtiis conſecratis, quàm in una, cùm ſub omnibus & ſub una non ſit niſi totus Chriſtus. Unde nec ſi aliquis ſimul in una Miſſa multas Hoſtias conſecratas ſumat, participabit majorem effectum Sacramenti*; inquit *S. Thomas* A. 7. ſupra laudato, in Reſponſione ad 3. Objectionem. Quæ doctrina confirmatur Cap. *Ubi pars*, Diſt. 2. *De Conſecratione*, cujus hæc ſunt verba: *Ubi pars eſt Corporis, eſt & totum: eadem ratio eſt in Corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præceſſit: de quo dicitur*, „ Qui plus colle„ gerat, non habuit ampliùs, neque qui mi„ nùs paraverat, invenit minùs. „ *Non eſt omninò quantitas viſibilis in hoc æſtimanda Myſterio; ſed virtus Sacramenti ſpiritualis*. Idem confirmat Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum *Innocentii XI.* Pontificis Auctoritate probatum & roboratum die 12. Februarii 1679. *Epiſcopi*, inquit, *Parochos, ſeu Confeſſarios inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas*.

208. Pec-

208. Peccata venialia effectum omnem Sacramenti Euchariſtiæ non impediunt. Spectari namque poſſunt vel ut præterita, vel ut actu commiſſa. Si ſpectentur quatenus tranſierunt actu, manent autem habitu & reatu, id eſt, ſecundùm maculam & debitum pœnæ, *Nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti; poteſt enim contingere, quòd aliquis poſt multa peccata venialia commiſſa, devotè accedat ad hoc Sacramentum, & plenariè hujus Sacramenti conſequatur effectum*, inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 79. A. 8. Cùm enim Euchariſtia vim habeat peccata venialia remittendi, ut ſupra oſtenſum eſt, neque pugnent cum habitu caritatis; hujus Sacramenti effectum omnem, ſcilicet incrementum gratiæ & caritatis impedire non poſſunt. Unde Concilium Tridentinum Seſſione 13. Cap. 7. ſignificat eum *Qui nullius ſibi conſcius eſt mortalis peccati*, paratum eſſe, quantùm neceſſe eſt, ut Sacram Euchariſtiam dignè percipiat. Et Cap. 8. declarat, *Illos ſacramentaliter ſimul & ſpiritualiter* Euchariſtiam ſumere, *Qui ita ſe priùs probant & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc Menſam accedant*. Quicunque verò lethalis peccati purus eſt, veſtem nuptialem eſt indutus: quam ob rem ipſi ſalutaris eſt Corporis Domini manducatio, etiamſi peccatis venialibus ſit implicatus. Si verò ſecundo modo ſpectentur peccata venialia, ut nimirùm actu commit-

PARS I. Art. 4. §. 4. *An peccata venialia effectū Euchariſtiæ impediant?*

mittuntur, vel placent, *Non ex toto quidem impediunt hujus Sacramenti effectum*, propter easdem rationes; *sed ex parte. Dictum est enim, quòd effectus hujus Sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ vel caritatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollit augmentum habitualis gratiæ vel caritatis* (inquit *S. Thomas* 3. Part. Q. 79. A. 8.)

§. V.

De Eucharistiæ consecrandæ Ministro.

Eucharistiæ consecrandæ Minister.

209. Solus Sacerdos Eucharistiæ consecrandæ Minister est. Solis enim Apostolis, & in eorum persona Sacerdotibus collata est à Christo Domino potestas faciendi quod ipse fecerat, consecrandi scilicet, simul & manducandi bibendíque Corpus & Sanguinem suum sub hoc Sanctissimo Sacramento, ut constat ex *Luc.* 22. Cap. *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ nisi ad actionem Consecrationis referantur, nullum de consecranda Eucharistia divinum mandatum in Scriptura sacra expressum erit: quod ne Lutherani quidem & Calvinistæ admittent.

210. Con-

Euchariſtiæ diſpenſandæ Miniſter.

210. Quamvis Euchariſtiæ diſpenſatio ad Sacerdotes jure pertineat, Diaconis tamen, urgente neceſſitate, ab Epiſcopo committi poſſet ut Miniſtris extraordinariis. Prima pars Propoſitionis probatur ex *S. Paulo* 1. ad Corinthios 4. Apoſtolos, & eorum Succeſſores vocante *Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Pars altera Propoſitionis, ſcilicet quòd Diaconis Euchariſtiæ diſpenſatio ab Epiſcopo urgente neceſſitate committi poſſit, probatur Veterum teſtimoniis, & antiqua Eccleſiæ conſuetudine.

De Euchariſtiæ conſecratione a pluribus Sacerdotibus.

211. Cùm plures Sacerdotes unam & eamdem Hoſtiam ſimul conſecrant, ut fit in Sacra Ordinatione, verba conſecrationis ita proferre debent, ut ea cum Epiſcopo ordinante, qui in celebratione Sacrificii primas habet, ſimul abſolvant; eáque debet eſſe ipſorum intentio ut ſimul cum illo conſecrent, nihil confecturi, ſi priùs vel poſteriùs prolationem verborum abſolverent. Niſi enim intentionem ita dirigerent ſuam, & recèns Ordinatorum aliquis Epiſcopum præveniret, ſolus ille conſecraret, atque ita contingeret Epiſcopum qui principaliter celebrat, non conſecrare; quod Eccleſiæ intentioni omnino repugnat. Id colligitur ex *Innocentio III.* Lib. 4. *De Myſteriis Miſſæ*, Cap. 25. Hanc doctrinam ſequitur *S. Thomas* 3. P. Q. 82. A. 2.

De ſump-

212. Sacerdos conſecrans Euchariſtiam,

PARS I. Art 4. §. 5. *tione Eucharistiæ à Sacerdote consecratæ.*

hoc Sacramentum integrè sumere tenetur; quotiescunque consecrat. Unde Canone 5. Concilii Toletani 12. dicitur: *Quale est Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse dignoscitur?* Per hoc autem fit particeps, quòd de Sacrificio sumit, secundùm illud Apostoli 1. ad Corinthios 10. *Nonnè qui edunt hostias, partipes sunt Altaris?* Et ideò *necesse est ut Sacerdos, quotiescunque consecrat, sumat integrè hoc Sacramentum.* Ita differit *S. Thomas* 3. P. Q. 82. Art. 4. Si tamen miraculosè Corpus Christi in Altari sub specie carnis appareret, aut Sanguis sub specie sanguinis, non esset sumendum. Ita *S. Thomas*, in Responsione ad tertiam objectionem. Nec propter hoc Sacerdos transgressor efficitur (inquit S. Thomas) *Quia ea quæ miraculosè fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset Sacerdoti* ut *iteratò Corpus & Sanguinem Domini consecraret & sumeret.* Quod autem sub specie carnis aut sanguinis appareret, in Sacrario Reliquiarum instar includendum ac reservandum esset, si talis species ab omnibus, diúque videretur. Verùm si quibusdam sub specie carnis & sanguinis, aliis verò, & ipsi in primis Sacerdoti sub specie panis & vini Sacramentum ut priùs videatur; vel eidem per aliquod temporis intervallum appareat sub specie carnis & sanguinis, & postmodum sub specie panis ante Communionem; à Sacerdote celebrante sumi debet: siquidem nul-

Quid si Corpus Christi appareat in Altari.

nulla immutatio facta est in Sacramento, sed solùm in oculis videntium; in quibus species illa divinitus formata est ad ostendendam manifestò Corporis & Sanguinis Christi sub hoc Sacramento veritatem. Ita docet *S. Thomas* 3. P. Q. 76. A. 8.

PARS I. Art. 4. §. 5.

Sacerdotum obligatio respectu celebrationis S. Missæ Sacrificii.

213. Sacerdoti non licet à consecratione Eucharistiæ, sive à celebratione Sacrosancti Missę Sacrificii omnino cessare, etiamsi curam nō habeat Animarum. Ita *S. Thomas* 3. P. Q. 82. A. 10. *Quidam* (inquit) *dixerunt, quòd Sacerdos potest omnino à consecratione licitè abstinere; nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, & populo Sacramenta præbere: sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratiâ sibi datâ, cùm fuerit opportunum, secundùm illud 2. ad Corinthios* 6. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Opportunitas autem Sacrificium offerendi, non solùm attenditur per comparationem ad Fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur: unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione cessare; sed saltem videtur quòd celebrare teneatur in præcipuis Festis, & maximè illis diebus, quibus Fideles communicare consueverunt.* Quamvis ergo non teneatur Sacer-

PARS I. Art. 4. §. 5.

dos alia Sacramenta adminiſtrare niſi propter curam Animarum ſuſceptam, non eadem eſt Euchariſtiæ conſecrandæ ratio. *Alia enim Sacramenta perficiuntur in uſu Fidelium: & ideò in illis miniſtrare non tenetur niſi ille qui ſuper Fideles ſuſcipit curam: ſed hoc Sacramentum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua Sacrificium Deo offertur: ad quod Sacerdos obligatur Deo ex Ordine jam ſuſcepto* (inquit *S. Thomas* in Reſponſione ad primum.) Hinc Tridentinum Concilium Seſſione 23. Cap. 14. De Presbyterorum dotibus & munere ſtatuens, hæc habet: *Curet Epiſcopus, ut ii ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus; ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*. Concilium Mediolanenſe 1. ſub *S. Carolo*, P. 2. Tit. *De frequenti divini Sacrificii oblatione*, ita ſtatuit: *Cùm Pontifices, ut inquit Apoſtolus, ex hominibus aſſumti, pro hominibus conſtituantur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona & Sacrificia pro peccatis; Epiſcopus Dominicis, & reliquis Feſtis diebus, niſi jure impediatur, Miſſam celebret. Tridentini etiam Concilii auctoritatem ſecuti, præcipimus Sacerdotibus reliquis, cujuſcunque gradus, conditionis, & dignitatis illi ſint, ut iiſdem diebus Miſſam celebrare ne omittant. Curatis verò, ut præterea ter in hebdomada, aut eò etiam ſæpiùs, quo*

Sacerdotes qui non celebrant diebus Dominicis, & Feſtivis ſolemnioribus.

quò vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini Sacrificii usum postulabit. Concilium Remense anno 1583. *Sacerdotes,* inquit, *non diebus tantùm solemnibus, sed etiam Dominicis, sæpiùsque, si fieri potest, sacrificent.* Denique nota est illa, quæ sub Venerabilis *Bedæ* nomine circumfertur, Sententia: *Sacerdos non legitimè impeditus, celebrare omittens, quantùm in eo est, privat Sanctam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, Justos subsidio & gratiâ, in Purgatorio existentes refrigerio Ecclesiam speciali Christi beneficio, seipsum medicina & remedio.*

Qui nunquàm aut rarò Missam celebrant.

214. Rei sunt mortalis peccati, qui nunquā aut rarò Missam celebrant. Nam *Etiamsi nulli homini teneantur, tamen tenētur Deo, ut reddant ei Sacrificium acceptum: Sacerdotibus enim præceptum est:* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM (inquit *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 13. Q. 1. A. 2. Quæstiunc. 1.) Et rursus: *Quia,* inquit, *secundùm Gregorium, cùm crescunt sive augentur dona, rationes crescunt donorum; cùm Sacerdoti data sit nobilissima potestas, reus negligentiæ erit, nisi illâ utatur ad honorem Dei, & salutem suam, & aliorum vivorum & mortuorum, secundùm illud* 1. *Pe-* ,, *tri Cap.* 3. Unusquisque gratiam accepit, ,, in alterutrū illam administrantes, &c. *Nisi fortè aliquis ex familiari Spiritus-Sancti*

PARS I. Art. 4. §. 5. *instinctu dimittat: sicut legitur de quodam Sancto Patre in Vitis Patrum, qui ordinatus, nunquam postea celebravit*. Et in ipso Quæstionis limine ita ratiocinatur S. Thomas: *Sed contra est, quod Ambrosius dicit*: „GRAVE est quòd ad Mensam tuam mun„do corde, & manibus innocentibus non „venimus; sed gravius est, si dum pecca„tum metuimus, etiam Sacrificium non „reddamus: *Sed primum est mortale: ergo & secundum*. Quam ob rem *Caietani* Sententiam à peccato mortali excusantem Sacerdotes nusquam aut raró celebrantes, ex ejus Commentariis expungi jussit *Pius V.* Pontifex Sanctissimus.

S. Eucharistium in Missa post Communionem Celebrantis Fidelibus administrari magis decet.

215. Eucharistiam extra Missam, aut initio, vel post finem Missæ, citra necessitatem administrari minùs decet. Ut enim *S. Dionysius* Lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, §. 15. ait: *Ipsa Mysteriorum perceptio mysticam eorumdem distributionem antecedit. Hic enim rerum divinarum ordo est, ut priùs ipse sacer Antistes communicet, ac iis Donis, quæ per ipsum cæteris divinitus distribuenda sunt, satietur; ac deinde aliis ea tradat*. Veterem hanc fuisse Ecclesiæ Disciplinam, ut post Sacerdotis celebrantis Communionem, Eucharistia Clericis primùm, secundùm Ordinum gradus, deinde Monachis, Diaconissis, sacris Virginibus; novissimè iis ex populo, qui parati erant, ad-

administraretur, constat ex Ordine Romano, & ex Veteribus Sacramentariis ac Liturgicis Libris, ubi Oratio quæ post Communionem dicitur, pro iis nominatim funditur, qui in Missa communicarunt. Optaret autem Ecclesia, ut Fideles omnes ac singuli qui Missæ Sacrificio intersunt, *Non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione conmmunicarent, quò ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret* (inquit Synodus Tridentina Sess.22.Cap.6. Et Rituale Romanum Pauli V. Titulo *De Sacramento Eucharistiæ*, hæc præscribit: *Communio autem populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis fieri debet (nisi quando ex rationabili causa post Missam sit accipienda) cùm Orationes quæ in Missa post Communionem dicuntur non solùm ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent*. Ut igitur Ecclesiæ spiritui se accommodent Sacerdotes, sacram Communionem, citra necessitatem, populo administrare non debent ante Missam, aut post finem Missæ; sed in Missa ipsa, postquam Christi Corpus & Sanguinem ipsi sumserunt.

PARS I. Art. 4. §. 6.

§. VI.

De usu Eucharistiæ sive Communione.

Conscius peccati mortalis sumens Eucharistiam peccat mortaliter.

216. NUllus sibi conscius peccati mortalis Eucharistiam sumere debet, aut potest absque novo peccato lethali, gravissimóque sacrilegio. Eucharistia enim à Christo instituta est ut cibus fidelis animæ, & panis filiorum Dei; Joannis 6. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Cibus autem non mortuorum est, sed viventium. Meritò itaque sacra Synodus Tridentina Sessione 13. Canone 11. Hæreticorum errorem confixit, qui solam fidem sufficientem dispositionem esse ad sumtionem Eucharistiæ asserunt. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum; Anathema sit. Et, ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur; statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantuncumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumse-*

ferit; eo ipso excommunicatus existat. PARS I. Art. 4. §. 6.

217. Objicitur; contingit ut peccator non habeat peccati conscientiam, qui si peccaret sumendo Eucharistiam, nemini non periculosum esset ad sacram Communionem accedere; quia meritò quisque metuit etiam post accuratum examen conscientiæ, ne aliquid adhuc lateat in corde suo propter quod Deo displiceat, secundùm illud Apostoli 1. ad Corinthios 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.* *Quid si peccator non habet peccati conscientiam?*

218. Respondet *S. Thomas* Bifariam contingere ut aliquis non habeat conscientiam peccati: primò ex ejus culpa, vel quia *per ignorantiã juris, quæ non excusat*, censet non esse peccatum quod reverà peccatum est (ut si fornicator existimet simplicem fornicationem non esse peccatum mortale;) Vel quia negligenter conscientiam examinavit, contra mandatum Christi ab Apostolo promulgatum 1. ad Corinthios 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat.* Et qui hoc modo non habens conscientiam peccati sumit Corpus Christi, nihilominus peccat, *Quia ipsa ignorantia est ei peccatum.* Alio modo potest contingere sine culpa ipsius; sicut *cùm doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu non peccat sumendo Corpus Christi: quia homo certò scire non potest utrùm sit verè contritus. Sufficit enim si in se signa contritionis inveniat*, nempè *si doleat de* *Resp.*

præ-

PARS I. Art. 4. §. 6.

præteritis, & proponat cavere de futuris. Si verò ignorat id quod fecit esse pecatum, *Ignorantiâ facti, quæ excusat*; verbi gratiâ, si ad alienam conjugem accessit, quam credebat esse suam, non ex hoc dicendus est peccator. Similiter si peccatum omnino ex memoria excidit, sufficit ad ejus remissionem obtinendam generalis contritio.

Quibus administrare Eucharistiam non licet.

219. Pueris, aliisque rationis usu penitus destitutis hominibus Eucharistiam administrare non licet. Hi enim neque Sacram Eucharistiam à communi & profano pane discernere valent, neque ad eam accipiendam pietatem animi & religionem afferre possunt. Atque id etiam à Christi Domini institutione alienissimum videtur; ait enim: *Accipite, & comedite*. Infantes autem idoneos non esse qui accipiant & comedant, satis constat (inquit Tridentini Concili Catechismus.) Cum verò pueri hujus admirabilis Sacramenti cognitionem & gustum habent, quod ex parentum, & Parochi, vel Sacerdotis cui eorum in Doctrina Christiana institutio commissa est, & cui peccata confitentur, judicio pendet, ad Communionem possunt admitti, circa decimum vel undecimum annum, *Si in eis signa discretionis appareant, & devotionis*, ut docet *S. Thomas* in 4. Sententiarum Dist. 9. Quæst. 1. A. 5. Quæstiuncula 4. id ut ritè fiat: *Parochus in Quadragesima per singulas Parochiales familias delectum habeat puerorum &*

Prima Communio.

ado-

adolescentum, qui primùm in Paschali Celebritate proxima sacram Communionem sumturi sunt. Ac præterea his ipsis omnibus in singulas Quadragesimæ hebdomadas certos præstituat scrutinii dies, quibus illos non solùm accuratè examinet, sed instruat quàm diligentissimè. Ita *S. Carolus* in Instructionibus.

PARS I. Art. 4. §. 6.

220. Adultæ verò ætatis hominibus, qui nullum unquam rationis usum habuerunt, & nullo pietatis sensu erga divinum illud Sacramentum affecti sunt, Eucharistia porrigi non debet. Si verò aliquem usum rationis habeant, sed debilem, & aliquo pietatis & reverentiæ sensu erga istud Sacramentum afficiantur, illis non est denegandum. Iis verò qui rationis usu non fuere semper à nativitate destituti, si, quando mentis suæ compotes fuerunt, piam & religiosam animi voluntatem, atque devotionem erga Sanctissimum Sacramentum præ se tulerint, debet eis in articulo mortis Eucharistia administrari, nisi fortè periculum vomitûs, exspuitionis, vel alterius incommodi timendum sit. Ita statuit Concilium Carthaginense 4. Canone 74. & refertur Causa 26. Quæst. 6. Cap. *Qui per Pœnitentiam*, cujus hæc sunt verba: *Is qui in infirmitate Pænitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum au-*

Quid de rationis usu debilibus?

De non perpetuò amentibus.

PARS I. Art. 4. §. 6.

audierunt & accipiat Pœnitentiam; *& si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia*. Et Concilium Arausicanum I. Canone 13. ex quo sumtum est Cap. *Qui recedunt*, ibidem: *Amentibus*, inquit, *quæcumque pietatis sunt, conferenda*. Ita etiam *S. Thomas* 3. P. Q. 80. A. 9. *S. Carolus* in Instructionibus, & Catechismus Concilii Tridentini.

De Energumenis.

221. Energumenis baptizatis ministrari potest Eucharistia, eo temporis intervallo quô à dæmone non vexantur, si id Episcopus vel Sacerdos eorum purgationi ab Episcopo præpositus congruum judicaverit. Ea fuit veteris Ecclesiæ disciplina, ut constat ex Concilio Arausicano I. Canone 14. *S. Thomas* hanc difficultatem ita solvit: *De baptizatis, qui corporaliter ab immundis Spiritibus vexantur, est eadem ratio & de aliis amentibus*.

De peccatoribus manifestis.

222. Peccatoribus manifestis, sive per evidentiam facti, ut publicis concubinariis, adulteris, usurariis, raptoribus, meretricibus, histrionibus, aleatoribus; vel aliquo Judicio Ecclesiastico aut sæculari convictis atque damnatis, sacra Communio dari non debet, quantumvis illam enixè petant. Præceptum enim Christi est Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus*; & Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*; quo nomine manifesti præsertim

pec-

peccatores designantur, propter impudentiam, quâ in omnium oculis, & cum gravi Ecclesiæ scandalo peccare non verentur.

223. Peccatoribus occultis, sacram Communionem publicè petentibus, non debet denegari. *Cùm enim quilibet Christianus, hoc ipso quòd baptizatus est, sit admissus ad Dominicam Mensam, non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta* (inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 80. Art. 6. *Ideo Christus Judam non repulit à Communione; ut daret exemplum, tales peccatores occultos non esse ab aliis Sacerdotibus expellendos*, ait idem *S. Doctor* 3. P. Q. 81. A. 2. ad 2. Denique caritas jubet, ut famæ proximi consulatur, & scandalum aliis non creetur: at proximi fama læderetur, & scandalum aliis crearetur, si proderetur crimen occultum: quamobrem illi, cujus crimen occultum est, negari communio non debet, cùm publicè petit. Ita denuò *S. Thomas* in 4. Sententiarum, Dist. 9. Q. 1. A. 5.

224. „Licèt porrò pejus sit peccatori „occulto peccare mortaliter sumendo Cor„pus Christi, quàm infamari; tamen Sa„cerdoti ministranti Corpus Christi pejus „est peccare mortaliter, infamando in„justè peccatorem occultum, quàm quòd „ille mortaliter peccet; inquit *S. Thomas* „Quæstione 80. & Articulo 6. laudatis, ad „2. Quia nullus debet peccatum mortale „committere, ut alium liberet à peccato.

Occurritur objectioni.

PARS I. Art. 4. §. 6.

Non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona: & *Periculosissimè admittitur compensatio flagitiorum, vel quorumcumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid ne alius gravius malum faciat*; inquit *S. Augustinus* Quæstione 42. in Genesim.

Alteri objectioni occurritur.

225. Nec verò par est ratio pharmaci mortiferi quòd Medicus ægroto, etiam volenti & petenti dare non debet, & Sacramenti Eucharistiæ, ex cujus indigna sumtione Sacerdos novit mortem inferendam homini peccatori. Nam pharmacum per se & naturaliter operatur; hoc autem Sacramentum non per se, sed culpâ indignè sumentis, ipsi mors est. Deinde jus non habet æger ad pharmacum sibi nociturum; imò verò jus habet ad vitam, quæ hoc pharmaco extinguitur: at peccator occultus jus habet ad sumtionem Eucharistiæ, cùm in facie Ecclesiæ non constet ipsum amisisse jus suum. Adde, quòd *Potiùs deberet eligere Medicus medicinam esse mortiferam infirmo, quàm sibi, si alterutrum oporteret: & similiter Sacerdos potiùs deberet eligere quòd peccator sumat ad perditionem suam, quàm ipse deneget in perditionem propriam, scandalizando, & peccatum occultum revelando. Et præterea non est certum utrum sit ei mortifera, quia* Spiritus ubi vult spirat. *Unde subitò potest esse compunctus, & divinitus à peccato purgatus, & divina inspiratione ad Sacramentum accedere*: inquit *S. Thomas* in 4.

in 4. *Sententiarum*, Dist. 9. Quæst. 1. A. 5. PARS I. Art. 4. §. 6.

226. Nec etiam par est ratio gladii, qui reddi non debet homini furioso petenti, ut sibi vel alteri mortem inferat. Primò, quia subtractione gladii vitatur homicidium: subtractione autem Sacramenti non vitatur peccatum illud indignè sumere volentis, sed solùm actus exterior: *Ipsâ* siquidem *petitione peccavit mortaliter*, *in peccatum mortale consentiens*, ut ait *S. Thomas*. Secundò, quia negando gladium, nullâ infamiæ labe aspergitur proximus: at negando Sacramentum grave vulnus infertur famæ proximi. Tertiò, quia vita corporis reparari non potest: at damnum animæ resarciri potest à Deo peccatoris voluntatem mutante; ut ejus misericordiâ sæpe contingit. Quartò, quia Sacerdos agit ut publicus bonorum communium dispensator; ille autem apud quem alter gladium deposuit, privata persona est, cujus proinde actio scientiâ privatâ dirigi debet. Sicut autem parêre teneretur homo sententiæ Judicis gladium homini reddere jubentis, quem furiosum quidem nosset ille, sed certis documentis probare non posset: ita peccatori, quem talem esse publicis testimoniis, aut Judicis sententiâ, vel propria confessione in aliquo Judicio sive sæculari, sive Ecclesiastico factâ, non constat, jus suum reddendum est circa sumtionem Sacramenti, quod ei in foro exteriori debetur. *Tertiæ objectioni occurritur*

227. Si peccator occultus, cujus crimen Sacer- *Peccatori*

PARS I. Art. 4. §. 6.

occulto occultè petenti deneganda est Eucharistia.

Sacerdoti notum est, Eucharistiam in occulto petat, *Debet ei denegare, & monere ne publicè petat.* Ita *S.Thomas* in 4.*Sententiarum*, Dist. 9. Quæst. 1. A. 5. Nullum enim est scandali vel infamiæ periculum, si eo in casu negetur.

Deneganda quoq; peccatori suspicione Criminis ex fama laboranti.

228. Peccatori vehementissima suspicione criminis ex fama publica laboranti, negari debet Eucharistia. Ita docet *S.Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist.9. Quæst. 1. Art.5. Quæstiuncula 2. Si autem sit singularis ipsius Sacerdotis suspicio; quantumvis violenta, *Debet dari in publico, sed non in occulto.*

Publicis peccatoribus post reconciliationem communio non neganda.

229. *Post pœnitentiam & reconciliationem, etiam publicis peccatoribus non est Communio deneganda, præcipuè in articulo mortis*: inquit *S. Thomas* 3. P. Q. 80. A. 6.

Hostiam non consecratam dare loco consecrata nusquam licet.

230. Hostiam non consecratam loco consecratæ dare peccatori non licet. In Sacramento enim veritatis nulla fictio esse debet. Præterea, cùm nemo Carnem Christi manducet, nisi priùs adoraverit, ut ait *S. Augustinus* exponens versum illum Psalmi 21. *Manducaverunt & adoraverunt*; necnon illum Psalmi 48. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*: Sacerdos occasionem idololatriæ daret tum sumenti, cùm aliis præsentibus. Unde *Innocentius III.* Cap. *De homine*, Extra, *De Celebratione Missarum*, ait: *Cùm ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora, licèt is qui pro sui criminis conscientia*

tia reputat se indignum, peccet graviter si se ingerat irreverenter ad illud: graviùs tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumserit simulare: cùm ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste verò non solùm Deo, cui non veretur illudere, sed populo quem decipit, se adstringat. Ita & *S. Thomas* 3. P. Q. 80. A. 6. ad secundum, & Quodlibeto 5. Quæst. 6. A. 2. ubi & ad 3. ait: *Stultus esset Medicus, qui cum majori suo periculo minus periculum infirmi vellet impedire; putà si vellet ipse venenum bibere, ne infirmus biberet vinum: multò autem magis peccat Sacerdos fictionem faciens in Sacramento Christi, quàm peccator indignè sumens: undè stultus esset Sacerdos, si, ut vitaret peccatum subditi, ipse graviùs peccaret, fictionem faciens in Sacramento veritatis.*

Ad manifestationem criminis corpus Christi dare non licet.

231. Corpus Christi suspectis de crimine dare non licet ad illius manifestationem. Non enim is est divini Sacramenti finis, neque ideo institutum est à Christo, ut alicujus peccatum manifestetur. Deinde, id fieri non potest sine tentatione Dei, adeóque nec sine peccato: *Et gravius videretur* (inquit *S. Thomas* in Responsione ad 3.) *si in hoc Sacramento quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret judicium mortis.* Tertiò, daretur occasio indignæ Communionis, dum ille qui crimen commisisset, nolens se prodere, cum aliis ad sacram Com-

PARS I. Art. 4. §. 7.

munionem accederet. Nec verò ulla est id faciendi necessitas, cùm occulta peccata sint Dei judicio reservanda. Et quamvis nonnulli Canones hujusmodi probationem per Corpus Christi permiserint, ut Cōcilii Vvormatiensis Canon 15. relatus Causâ 2. Quęst. 4. Cap. *Sæpe contingit*, qui hoc medio furta in Monasteriis commissa jubet explorari: hi tamen Canones sunt abrogati contrariis Romanorum Pontificum Decretis, ut constat ex Cap. *Consuluisti*, Dist. 2. *De Consecratione*, & Cap. *Ex tuarum*, Extra, *De Purgatione Canonicâ*.

Peccatoribus relapsis non facilè concedenda Cōmunio.

232. Si publici peccatores, manifestóque infames, ad Pœnitentiam & Communionem admissi, postea in eisdem peccatorum sordibus versabuntur; ad hujus Sacramenti perceptionem rursus ne facilè admittantur, quoad ipse Parochus, qui illorum curam gerit, eos vitam & mores reipsa emendasse perspexerit. Ita *S. Carolus*, in *Instructionibus*.

§. VII.

De Præparatione Animi ad sacram Communionem.

Dispositiones animi requisitę ad Sacram Cō-

233. DE Animi præparatione hæc potissimùm populo Christiano tradenda & explicanda docent Concilii Tridentini Catechismus, & *S. Carolus* in *Instru-*

structionibus. Primùm itaque præparandus ad sacram Communionem animus est per fidei plenitudinem, secundùm illud ad Hebræos 10. *Accedamus cum vero corde in Fidei plenitudine*: Cum vero corde, id est, cum vero intellectu sine errore. In plenitudine fidei, id est, plena fide credentes quæ non videmus, scilicet sub specie panis esse totum Christum, verum hominem & verum Deum. Propter hujus fidei meritum dicitur 1. Petri 1. *Credentes in Christum quem non videtis, exultabitis lætitiâ inenarrabili & glorificatâ, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum*.

PARS I. Art: 4. §. 7. *munionem. Actus Fidei.*

234. Secundò conscientiam nostram scrutari diligenter debemus, ne fortè exitiali aliquo peccato contaminati simus, ut priùs Contritionis & Confessionis medicamento illud eluatur, secundùm divinum illud *Præceptum*, ab Apostolo promulgatum: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat*. ECCLESIASTICA AUTEM CONSUETUDO *declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*: inquit Synodus Tridentina Sessione 13. Cap. 7. *Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac sancta Synodus perpetuò servandum*

Conscientiæ puritas.

Confessio præmittenda ab iis qui cõscii sibi sunt peccati mortalis.

 esse

PARS I. Art. 4. §. 7.

Nisi necessitas urgeat & desit copia Confessoris.

Quid per necessitatem urgentem intelligatur?

esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris: quòd si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur. Idem statuit Synodus Rothomagensis anni 1581. Burdigalensis 1583. Cap. 5. Bituricensis 1584. Aquensis 1585. Necessitatem urgentem intellige, cùm Parocho ratione sui officii necessariò celebrandum est, ut populus Ecclesiæ præcepto de Missa diebus Dominicis & Festis audienda satisfaciat: vel ut Hostias ad infirmorum Communionem consecret: vel cùm Missam celebrans alicujus peccati mortalis meminit post Consecrationem, aut etiam ante, nec Sacerdotem à quo absolvatur, absque scandalo vocare potest. Deesse etiam censetur Confessarius, cùm ex Confessione alicujus peccati, vel circumstantiæ necessariæ, probabiliter timet Pœnitens sibi, vel Confessario, vel alteri, grave damnum animæ, vitæ vel famæ, ut docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 17. Q. 3. A. 3. Quæstiuncula 4. ad quintum.

Quamvis necessitas de qua Concilium Trid. sess. 13. cap. 7. pertinere possit ad reliquos fideles ca-

235. Quamvis porrò casum illum necessitatis urgentis, & defectûs Confessarii, in quo Tridentinum Concilium Sacerdotem absque prævia Confessione licitè celebrare posse significat, Theologi plerique ad alios Fideles ad sacram Communionem accedere volentes etiam pertinere asserant: ut pari jure absque prævia Confessione Eucharistiam sumere possint in similibus angustiis

con-

constituti: cavendum est nihilominus ne facultas illa nimiùm extendatur. Nam si desit copia Confessarii Laïco ultimo die Quindenæ Paschalis, potiùs abstinendum est à sacra Communione, quàm ad eam accedendum absque Confessione lethalis alicujus peccati. Ab observatione enim Ecclesiastici præcepti excusat impotentia, vel necessitas: nec propter illius observantiam præceptum divinum violare usquam licet. Præceptum autem de Communione Paschali Ecclesiasticum est, quoad temporis determinationem: ab ejus igitur observatione stato tempore excusat impotentia vel necessitas: cùm autem aliquis mortali peccato contaminatus est, nec præsentem habet Confessarium, nec absentem adire potest, censetur impotens in illis angustiis ad satisfaciendum Ecclesiæ pręcepto de Communione Paschali: potest ergo illam differre donec habeat copiam Confessarii, vel absentem adire possit. Cùm vero divinum sit præceptum de peccato mortali eluendo iis mediis, quæ Christus instituit, antequam Eucharistiæ Sacramentum sumamus: non est illud prætermittendum ac violandum ut Communio percipiatur intra Quindenam Paschalem. Metus etiam imminutionis famæ non est sufficiens ratio ut Clericus, Monachus, vel Monialis, absque Confessione prævia communicent iis diebus, quibus generalis Communio Clericis, Monachis, vel Monialibus secun-

PARS I. Art. 4. §. 7.

vendum tamen ne nimium extendatur.

PARS I. Art. 4. §. 7.

secundùm Ordinis, vel Seminarii Statuta, aut consuetudinem indicta est, si mortalis peccati conscientiam habeant, quod tunc confiteri non possint: Quia, (ut ait *Innocentius III.* Lib.4. *De Mysteriis Missæ*, Cap. 13.) *Peccator debet potiùs eligere ut abstinendo reddatur suspectus, quàm ut communicando manducet indignus*. Et, (ut ait *S. Thomas*, 3. P. Q. 80. A. 6.) *Pejus est peccatori occulto peccare mortaliter sumendo Corpus Christi, quàm infamari*. Unde *Peccator occultus potiùs deberet eligere infamari, quàm indignè ad Mensam Domini accedere*. Nec satis est ut actum contritionis elicere conetur: cùm enim in Eucharistia contineatur Sanctus Sanctorum, qui ad eam accedit curare debet ut sit sanctificatus: unde Diaconus olim ante Communionem clamabat, *Sancta Sanctis*. At quamvis per contritionem aliquando contingat hominem Deo reconciliari & peccatorum remissionem obtinere ante Sacramentalem Absolutionem, id tamen semper non accidit, cùm non omnis contritio sit *Caritate perfecta*. Quæ autem caritate perfecta non est, *Sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit*; (ut docet Conciliũ Tridentinum Sessione 14. Cap.4.)

Solutio dubiorum aliquot circa Con-

236. Rogabis primò, Quæ dispositio necessaria sit Sacerdoti absque prævia Confessione celebranti, cùm urget necessitas, & copia Confessarii deest, si peccati mortalis con-

conſcientiam habeat? Reſpondeo, Neceſſariam eſſe veram contritionem, ſincerum ſcilicet de peccatis dolorem ob Deum offenſum, & ex Dei ſuper omnia dilectione conceptum. Cum enim Euchariſtia non ſit Sacramentum mortuorum, ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia, ſed viventium; per ſe exigit, ut ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ conſtitutus. PARS I. Art. 4. §. 7. *feſſionem ſacræ Cómunioni præmittendam. Dubiũ 1. Solutio.*

237. Rogabis ſecundò, Utrùm ille cujus memoriæ occurrit mortale peccatum, cujus in Confeſſione oblitus eſt, illud ante Communionem confiteri teneatur, cùm *Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelligantur,* eâdémque Abſolutione Sacramentali condonata? ut docet Concil. Trident. Seſs. 14. Cap. 5. Reſpondeo; (Præciſô ſcandalô) ad illius peccati Confeſſionem teneri priùs quàm Euchariſtiam ſuſcipiat; quia non ſolùm præcipitur Confeſſio ante ſacram Communionem, ſed ut fiat integrè de omnibus quorum habetur memoria. Peccata verò, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, & generali contritione delentur: ea tamen lege ut paratus ſit Pœnitens, ad ea quæ ſubinde in memoriam revocata fuerint, ſigillatim confitenda Sacerdoti. *Dubiũ 2. Solutio.*

238. Rogabis tertiò; Quid facto ſit opus ei qui ſolam opinionem vel probabile dubium habet de peccato mortali non confeſ- *Dubium 3.*

PARS I. Art. 4. §. 7.

secundùm Ordinis, vel Seminarii Statuta, aut consuetudinem indicta est, si mortalis peccati conscientiam habeant, quod tunc confiteri non possint: Quia, (ut ait *Innocentius III.* Lib.4. *De Mysteriis Missæ*, Cap. 13.) *Peccator debet potiùs eligere ut abstinendo reddatur suspectus, quàm ut communicando manducet indignus*. Et, (ut ait *S. Thomas*, 3. P. Q. 80. A. 6.) *Pejus est peccatori occulto peccare mortaliter sumendo Corpus Christi, quàm infamari*. Unde *Peccator occultus potiùs deberet eligere infamari, quàm indignè ad Mensam Domini accedere*. Nec satis est ut actum contritionis elicere conetur: cùm enim in Eucharistia contineatur Sanctus Sanctorum, qui ad eam accedit curare debet ut sit sanctificatus: unde Diaconus olim ante Communionem clamabat, *Sancta Sanctis*. At quamvis per contritionem aliquando contingat hominem Deo reconciliari & peccatorum remissionem obtinere ante Sacramentalem Absolutionem, id tamen semper non accidit, cùm non omnis contritio sit *Caritate perfecta*. Quæ autem caritate perfecta non est, *Sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit*; (ut docet Conciliũ Tridentinum Sessione 14. Cap.4.)

Solutio dubiorum aliquot circa Con-

236. Rogabis primò, Quæ dispositio necessaria sit Sacerdoti absque prævia Confessione celebranti, cùm urget necessitas, & copia Confessarii deest, si peccati mortalis con-

conſcientiam habeat? Reſpondeo, Neceſſariam eſſe veram contritionem, ſincerum ſcilicet de peccatis dolorem ob Deum offenſum, & ex Dei ſuper omnia dilectione conceptum. Cum enim Euchariſtia non ſit Sacramentum mortuorum, ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia, ſed viventium; per ſe exigit, ut ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ conſtitutus.

PARS I. Art. 4. §. 7. ...feſſionem ſacræ Cõmunioni præmittendam. Dubiũ 1. Solutio.

237. Rogabis ſecundò, Utrùm ille cujus memoriæ occurrit mortale peccatum, cujus in Confeſſione oblitus eſt, illud ante Communionem confiteri teneatur, cùm *Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelligantur*, eâdémque Abſolutione Sacramentali condonata? ut docet Concil. Trident. Seſs. 14. Cap. 5. Reſpondeo; (Præciſô ſcandalô) ad illius peccati Confeſſionem teneri priùs quàm Euchariſtiam ſuſcipiat: quia non ſolùm præcipitur Confeſſio ante ſacram Communionem, ſed ut fiat integrè de omnibus quorum habetur memoria. Peccata verò, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, & generali contritione delentur: ea tamen lege ut paratus ſit Pœnitens, ad ea quæ ſubinde in memoriam revocata fuerint, ſigillatim confitenda Sacerdoti.

Dubiũ 2. *Solutio.*

238. Rogabis tertiò; Quid facto ſit opus ei qui ſolam opinionem vel probabile dubium habet de peccato mortali non confeſ- *Dubium 3.*

PARS I. Art. 4. §. 7. *Solutio.* so? Respondeo; Peccati illius Confessionem Sacramentalem ab ipso præmitti oportere sacræ Communioni; alioqui sacrilegæ Communionis periculo se exponit.

Dubium 4. 239. Rogabis quartò, Utrùm Sacerdos, qui absque prævia Confessione in casu necessitatis celebravit cum peccati mortalis conscientiâ, quamprimùm confiteri debeat ex præcepto; an solùm congruat ipsum confiteri, ex consilio; nec debeat quærere Confessarium & adire; sed expectare satis sit opportunitatem? *Solutio.* Respondeo; Præceptum esse quantociùs implendum, ut probant Concilii Tridentini verba; *Quamprimùm confiteatur*. Accedit Decretum Concilii Burdigalensis anno 1583. celebrati, Cap. 5. *Celebraturi Sacerdotes, conscientiam suam priùs diligenter excutiant atque examinent, & piam aliquam meditationem præmittant: Peccatorum verò Confessionem octavo quoque die, aut sæpius faciant, quoties aliqua se peccato gravatos senserint. Sibi autem conscii mortalis peccati, quantumvis sibi contriti videantur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacrum Altaris Mysterium non accedant, etiamsi ex officio incumbat celebrare, modò non desit illis copia Confessoris. Quòd si necessitate urgente Sacerdos aliquis absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Idem constat ex Decreto *Alexandri VII.* Pontificis Maximi, qui inter plures Articu-

los

los Moralis corruptæ, duos istos damnavit die decima-octava Martii anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo-sexto. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum. Illa particula*, QUAMPRIMUM, *intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.*

PARS I. Art. 4. § 7. *Propositio damnata.*

240. Communicaturus exquirat prætereà tacitus à se ipso cum timore, an illud *S. Petri* sibi usurpare liceat: *Domine, tu scis quia amo te*. Nihil enim æquius est, quàm ut eximio Christi in nos amori, qui se totũ nobis dedit, nascens socium, convescens in edulium, moriens in pretium, regnans in præmium, nos ipsos totos rependamus. Ergo *Si amare pigebat, saltem redamare nõ pigeat* eum, qui *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: Eisque incomparabile dedit amoris pignus, Corpus & Sanguinem suum, se ipsum, totum quantus est. Quærat, num pacem cum aliis habeat, num proximos verè atque ex animo diligat. *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Verba sunt Christi, Matth. 5. 23. 24. Ab omni desiderio, delectatione, omníque sensùs amore, quo divinæ caritatis studium langue-

Amor Dei

Concordia cum proximo.

Pii desiderii fervor.

PARS I. Art. 4. §. 8. *Humilis suæ indignitatis agnitio.*

guescit, purum integrúmque animum conservare studeat Christianus Eucharistiam sumturus; sensúsque omnes severitate quadam moderata cohibere, etiam in rebus licitis. Præterea tacitus cogitet quàm indignus sit cui divinum hoc beneficium à Domino tribuatur, Quare illud Centurionis, de quo idem ipse Salvator testatus est, se non invenisse tantam fidem in Israël, ex animo dicendum est: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*: Et cum summa humilitate ad sacram Mensam hujus pabuli cœlestis accedendum.

§. VIII.

De præparatione Corporis.

Dispositiones Corporis. Jejunium; circa quod varii casus resolvuntur.

241. NEque verò animi solùm, sed etiam corporis præparatione opus est. Primò necesse est ut Fideles ad sacram Mensam jejuni accedant; ita ut saltem à media antecedentis diei nocte, usque ad illud temporis punctum, quo Eucharistiam accipiunt, nihil comederint aut biberint. Id Divino quidem Jure non est præceptum, sed Ecclesiastico, cujus triplicem rationem affert *S. Thomas* 3. P. Q. 80. A. 8. Prima petitur ex reverentia Sacramenti; ut scilicet Corpus Domini in os hominis intret nondum aliquo cibo aut potu infectum, & *Virgine adhuc salivâ* (ut lo-

loquitur *Tertullianus*) in ſtomachum traji- PARS I.
ciatur. Altera petitur ex ſignificatione; ut Art. 4.
intelligamus, Chriſtum & caritatem ejus de- §. 8.
bere primò fundari in cordibus noſtris, ſecundùm illud Matthæi 6. *Quærite primùm Regnum Dei*. Tertia, ex periculo vomitûs & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex inordinato cibi & potûs appetitu, ſicut & Apoſtolus ait 1. ad Corinthios 11. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*.

242. Concilium Conſtantienſe Seſſione 13. decrevit ut ſecundùm antiquam Eccleſiæ diſciplinam & conſuetudinem Euchariſtia non niſi à jejunis ſumeretur, ſolo infirmitatis, aut alterius neceſſitatis ab Eccleſia
probatæ caſu excepto. Verbi gratiâ, cùm *Caſus* 1.
Sacerdotem mori contingit poſt Conſecrationem, & ante Communionem: tunc enim ab alio Sacerdote, etiam non jejuno, perfici debet Sacrificium, ſi nemo inveniatur jejunus: ut ſancitum eſt in Concilio Toletano 7. Canone 2. ex quo refertur 7. Quæſt. 1. Cap. *Nihil contra*. Item cùm aquam pro vino infuſam fuiſſe in calice animadvertit in ipſa Communione: vinum enim infundere, conſecrare, & ſumere debet, quamvis aquam illam biberit: quia præceptum divinum de integritate Sacrificii, legi Eccleſiæ de Communione à jejunis duntaxat ſumenda præponderat.

243. Si quis ergo non eſt jejunus poſt *Caſus* 2.
mediam noctem, etiam poſt ſumtionem ſo-

PARS I. Art. 4. §. 1. lius aquæ, vel alterius potûs aut cibi, etiam per modum medicinæ, & in quantumcúmque parva quantitate, Missam celebrare, aut sacram Communionem percipere non potest: alioquin lethalis peccati reus erit.

Casus 3. 244. Si ante mediam noctem cibum vel potum sumserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat; sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, aliquando abstinere conveniens est.

Casus 4. 245. Si reliquiæ cibi in ore remanentes casu transglutiantur, non impediunt Communionem, cùm non trajiciantur in stomachum per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem esto judicium de guttulis aquæ vel vini, quibus os abluitur, si præter intentionem deglutiantur, secundùm *S. Thomam*, & Rubricas Missalis Romani. At si saccarum aut bellaria in ore posita fuerint, nec ante somnum sint consumta, dubiúmque sit an post mediam noctem trajecta fuerint in stomachum, à Celebratione & Communione abstinendum est.

Casus 5. 246. Sacerdos celebrans, Hostiæ à se consecratæ particulas, seu grandiores, seu minimas, in calice vel corporali, etiam post haustam ablutionem repertas, statim sumere potest: quia illarum sumtio ad unius & ejusdem Sacrificii consummationem pertinet. Imò & hostiam integram, vel plures sumere potest, si absque irreverentiæ periculo conservari non possint, si verbi gratiâ illas ab

In-

Infidelibus, aut Hæreticis conculcandas, aut comburendas prævideat, vel meritò vereatur. PARS I. Art. 4. §. 3.

247. Sacerdos qui inter ipsa Missæ initia se aliquid per modum cibi vel potûs in stomachum post mediam noctem trajecisse meminit, debet ab Altari discedere, & à Missæ celebratione ea die abstinere, si id absque scandalo fieri potest: si verò post consecrationem se jejunum non esse meminit, perficere nihilominus Sacrificium, & Christi Corpus ac Sanguinem sumere debet. Ita docet *S. Thomas* 3. P. Q. 83. A. 6. ad secundum. *Ubi*, inquit, *difficultas occurrit, semper est accipiendum illud quod habet minùs de periculo. Maximè autem periculosum circa hoc Sacramentum est, quod est contra perfectionem hujus Sacramenti, quia hoc est immane sacrilegium. Minus autem est illud quod pertinet ad qualitatem sumentis: & ideo si Sacerdos post consecrationem inceptam recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere Sacrificium, & sumere Sacramentum. Similiter si recordetur se peccatum aliquod commisisse, debet pœnitere cum proposito confitendi, & satisfaciendi; & sic non indignè, sed fructuosè sumet Sacramentum. Et eadem ratio est, si meminerit se Excommunicationi subjacere: debet enim assumere propositum humiliter Absolutionem petendi; & sic per invisibilem Pontificem Jesum Christum Abso-* Casus 6.

solutionem consequitur, quantùm ad hunc actum quòd peragat divina Mysteria. Si verò ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor, tutius reputarem (maximè in casu manducationis & excommunicationis) quòd Missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.

Communio per modum Viatici infirmo nõ ieiuno multoties administrari potest.

248. Infirmus periculosè laborans communicare potest non jejunus, per modum Viatici, secundùm Constantiensis Concilii declarationem & Ecclesiæ consuetudinem. Unde non tenetur cum gravi incommodo differre medicinæ aut communis cibi sumtionem, ut jejunus communicet. Nec tenetur curare ut sibi prima aut altera hora noctis Eucharistia deferatur, eam ut jejunus sumere possit. Cùm enim illam ad infirmos honorificè deferendam Tridentina Synodus sanxerit, non est conveniens ut horis intempestivis deferatur, nisi gravis & improvisa id postulet necessitas. Nec semel tantùm, sed multoties potest infirmo non jejuno sacra Communio administrari, perseverante ad plures dies, vel ingravescente mortis periculo, modò inter utramque Communionem octo vel decem dies interfluxerint: etiamsi Extrema-Unctione fuerit procuratus. Idem dicendum si ex imminente mortis periculo emerserit, & in illud denuo post dies etiam pauciores inciderit. Ita vulgò Theologi. Decem dies inter utramque Communionem per modum Viatici Rituale Parisiense præscribit.

249. Præ-

249. Præstantissimi hujus Sacramenti dignitas postulat, maximéque conveniens est, ut Fideles pridie illius diei quo ad Sacram Communionem accedere decreverunt, jejunium celebrent, aut saltem parciùs cœnent: & quod pii homines aliquando facere consueverunt, in orationibus, piisque meditationibus partem noctis vigilent, aut saltem prolixiùs & ferventiùs orent, quàm aliàs soliti sunt. Ita *S. Carolus* in *Instructionibus*. PARS I. Art. 4. §. 8. *Præparatio pridiana.*

250. Dispositio altera ex parte corporis ad sacram Communionem afferenda, est puritas & castimonia. In hujus rei figuram Israelitæ Agnum Paschalem accinctis renibus manducare jubebantur. Hinc Achimelech Sacerdos Panes Propositionis *Davidi* & ejus comitatui manducandos dare noluit, priúsquam de illorum continentia certior factus esset. 1. Regum 21. Si talis castimonia servata est propter figuram, quantò magis propter Corporis Christi Veritatem? *Puritas & castimonia.*

251. Idem confirmatur ex Can. *Vir cum propria*, Causâ 33. Quæst. 4. & Can. *Omnis homo*, Dist. 2. *De Consecratione*. Item ex Concilii Tridentini Catechismo, & *S. Caroli* Instructionibus, necnon ex Concilio Bituricensi anni 1584. Titulo *De Eucharistia*.

252. Coitus conjugalis, si sit sine peccato, si fiat nempe causâ prolis generandæ, vel causâ reddendi debitum, non impedit *Quid de actu conjugali?*

Com-

PARS I. Art 2. §. 8.

Communionem ex necessitate, sed solùm ex congruitate, & decoro, propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Ita *S. Thomas* Tertia Parte Quæstione 80. Articulo 7.

Qua ratione pollutio nocturna Communionem impedit?

253. Pollutio nocturna, quæ mortale peccatum est propter consensum, vel ratione suæ causæ, ex necessitate impedit Eucharistiæ sumtionem, nisi peccatum Pœnitentiâ eluatur: postquàm autem sincera Contritione & Sacramentali Confessione expiatum est, impedit nihilominus eadem die ex congruitate & decoro, propter fœditatem corporis, & evagationem mentis, cum quibus ad sacram Communionem ne accedamus, postulat reverentia tanto Sacramento debita. Idem dicendum, si pollutionis causa, vel pollutio ipsa cum peccato veniali conjuncta sit, verbi gratiâ, si ex superfluitate cibi aut potûs leviuscula, aut ex turpibus cogitationibus, quibus plenus consensus datus non fuerit, immunditia illa contigerit. Si autem ex naturæ debilitate, vel humoris redundantiâ; vel ex cogitationibus de rebus obscœnis, sed ob finem honestum, scilicet necessariæ lectionis vel disputationis causâ, absque delectatione carnali contigerit, ad Communionem accedere potest qui illam passus est. Decet quidem quàm maximè ut à sacra Mensa abstineat, si pollutio illa ex turpibus phantasmatis provenerit; sed tamen accedere potest ad Altare, & Sa-

cris

cris operari, vel communicare, si Solemnitas occurrat, aut necessitas urgeat. Idem esto judicium de illo cui venialis crapula subrepsit, ex qua pollutio præter voluntatem procurata est. Ita *S. Thomas* 3.P. Q. 80.A.7.

Probari & expiari diutius debent, qui in peccata carnis lapsi sunt, priùs quàm ad sacram Mensam accedere permittantur.

254. Probari diutiùs, Pœnitentiæ operibus expiari, & salutari continentiâ exerceri debent, qui in peccata carnis prolapsi sunt, antequam ad sacram Communionem admittantur. Hinc *Algerus* Lib. 1. *De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, Cap. 22. *Sciendum, quia Agnum Dei sine macula, qui Virginis est filius luxuriosi & incesti sumunt periculosiùs: quia cùm in Sacramento Christi ei uniri debeamus conformitate passionis & munditiæ, nihil sic adversatur passioni crucis, ut voluptas; nihil sic munditiæ, ut fœditas; nihil sic ejus unitati, ut fornicariæ societatis unitas. Libido enim appetititu suo allicit & incendit, actu suo fœdat & enervat, usu lubricat & illaqueat: adeò ut placendo displicens, displicendo placens, difficilem aut nullam sui pœnitudinem admittat.*

Quo habitu corporis ad sacram Communionem accedendum?

„ 255. Quod ad corporis habitum pertinet, Parochus Fideles curæ suæ commissos moneat, satagátque, ut summa reverentiâ, omníque humilitate ad sacram Communionem accedant, & sumant. Oculis non vagis, sed in Christi Corpus piè conjectis: barbæ pilis circa os bene præcisis: ore supra pannum li-

PARS I.ª Art. 4. §. 8.

„ neum ſuppoſitum modeſtè porrecto: capite non demiſſo: linguâ paululum labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente; in qua particulam ſuſcipiant: neque linguam ipſam retrahant, priúſquam Presbyter manum removerit: tum verò caput humiliter demittant. Ita etiam ut ſuſpiriis abſtineant, quibus particulæ poſſint excuti. Manibus pectori admotis, inſtar crucis, ex veteri Fidelium diſciplina, aut ſupplicibus, iiſdémque nudis: pallio, quantùm fieri poterit adhibito: non birretis, pileíſve plumâ inaniter ornatis: armis depoſitis: toto denique corporis habitu decenti, humili, & modeſto, non ſordido. Mulieres non ſumtuoſis, non caudatis veſtibus, non crinibus inaniter intortis; non fuco aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; ſed ita veſtitæ, ut ne præter faciem quicquam nudum cernatur: velo denſo bene ſuper faciem demiſſo. Omnes autem genibus flexis: non pectore, brachiíſve ſcabello innixi. Nihil præterea dabunt. Omni modeſtia ſurgent, & à Menſa diſcedent. Ita *S. Carolus* in Inſtructionibus. Videat autem Sacerdos Euchariſtiam adminiſtrans, ut cùm dixit, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat Animam tuam in vitam æternam*: antequam Sacramentum præbeat, ei qui accepturus eſt, ſatis ſpatii relinquat

ad

ad respondendum, *Amen*, secundùm Ecclesiæ primævæ Ritum: ut rursus monet *S. Carolus*. PARS I. Art. 4. §. 9.

§. IX.

De frequenti Communione.

256. QUæstionem de frequenti Cōmunione ita dirimit *S. Thomas* 3. P. Q. 80. A. 10. *Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari: Unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris: & ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde S. Ambrosius dicit* Lib. 4. *De Sacramentis*, Cap. 6. *De frequenti Communione.*
„ Si quotiescumque effūditur Sanguis Chri-
„ sti in remissionem peccatorum effundi-
„ tur, debeo semper accipere, ut semper
„ mihi peccata dimittantur: qui semper
„ pecco, debeo semper habere medicinam.
Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quòd quotidie sumat ... Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ; non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere: sed quotiescumque se ad illud homo

PARS I. Art. 4. §. 9.

invenerit præparatum. Et in Responsione ad tertium: *Reverentia*, inquit, *hujus Sacramenti habet timorem amori conjunctum: unde timor reverentiæ ad Deum, dicitur timor filialis: ex amore enim provocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reverendi: & ideò utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, & quod quotidiè sumatur, & quòd aliquando abstineatur. Amor tamen & spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori. Unde cùm Petrus dixisset,* Exi à me Domine, quia homo peccator sum: *respondit Jesus* NOLI TIMERE.

Frequens Communio quibus permittenda, vel non?

257. Frequens Communio non est iis permittenda, qui vel in peccata mortalia sæpe labuntur, vel ab affectu venialium peccatorum non sunt liberi & immunes. Id colligitur ex Cap. *Quotidie*, Dist. 2. *De Consecratione*, quod ex libro *Gennadii* De Ecclesiasticis Dogmatibus, Cap. 23. excerptum est, cujus hæc sunt verba: *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor: si tamen mens sine affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quàm purificari*.

Non manentibus in affectu peccati.

258. Quod spectat, alteram partem, observandum aliud esse veniale peccatum, aliud ejus affectũ non habere. Absque veniali pec-

ca-

cato ne ipsi quidem viri justi & perfecti vivunt; sed absque peccati venialis affectu esse possunt, & plerique felicem illum statum attigerunt, dum ipsis ex animo displicent quotidiana illa fragilitatis humanæ peccata; dum illa pro virili cavent atque emẽdare nituntur; dum ex iis humiliores & ferventiores evadũt, quia dolent de superbia naturæ corruptæ veluti congenita, & de concupiscentiæ motibus non regnantibus quidem in mortali illorum corpore, sed tamen tumultum moventibus, & caritatis fervorem minuentibus cordisque sabbatum turbantibus; dum ad Deum jugiter ingemiscunt, & per gratiam Domini nostri Jesu Christi liberari supplices postulant; dum peccato & mundo mortui, non sibi ipsis vivunt, sed Christo, & quotidie proficere satagunt de virtute in virtutem, novos ex iterata sæpius Communione spirituales fructus referentes. His duntaxat frequens Communio permittenda est, ut scilicet vel singulis diebus, aut pluries in hebdomada, aut singulis etiam Dominicis Eucharistiam sumant: alioqui parum fructuosa est Communio frequens, valdéque timendum est ne Deus hujusmodi hominibus non quidem indignè omnino, sed otiosè & inutiliter (ut ita loquamur) Corpus Christi sumentibus, gratiam suam tandem subtrahat potiùs, quàm augeat. Ut ait *S. Basilius*. Lib. 1. *De Baptismo*, Cap. 3.

PARS I. Art. 4. §. 9.

Non commotis adversus proximũ.

159. Commotio quævis adversùs proximum vel leviuſcula, quâ ſabbatum cordis turbatur, impedimentum eſt ex decentiâ & decoro Sacerdotem à ſacroſancti Sacrificii oblatione, Fideles reliquos à ſacra Communione prohibens, quô die id ipſis contigit, niſi gravis urgeat neceſſitas. Id exemplo ſuo docuit *S. Joannes Chryſoſtomus*, qui in quodam Epiſcoporum Conventu nonnihil commotus, juſta licèt de cauſa, *Panſophium* Piſidiæ Epiſcopum rogavit, ut ipſius vice Sacrificium offerret, ipſe verò cum Epiſcopis reliquis exiit. *Cavebat enim animo turbido, juxta Evangelium, Sacrificium offerre* (inquit *Palladius* in ejus Vita.)

An iis qui vehementi deſiderio communicandi ſunt incenſi?

260. Communio frequens iis tantùm permittenda eſt, qui vehementi deſiderio Corpus Chriſti percipiendi, & eo quidem ex caritate profecto, ſunt incenſi. Ita docet *S. Franciſcus Saleſius, Philotheæ* Cap. 20. Sed ne quis hac in parte decipiatur, duplicem eſſe animadvertit eſuriem ſive famem; unam ex optima ciborum concoctione, rectâque ſtomachi diſpoſitione, ac naturalis caloris temperamento; alteram ex ſtomachi malè affecti vitio, & facultatis attractricis immoderatione: ita Euchariſtiæ ſumendæ deſiderium, ſeu divini illius cibi eſuriem vel ex divini amoris ardore vehementi proficiſci, vel ex adventitiâ quapiam cauſa, ſeu vitioſa quadam habitudine oriri. Primum dun-

duntaxat desiderium legitimum, & sanctum; secundùm, fallax, insidiosum, & pravum est: primum à Spiritu-Sancto; secundum à Dæmonio meridiano. Dignosci autem potest quali desiderio feratur aliquis ad frequentem Communionem, ex illius vita, & ex fructibus quos ex Communione percipit.

Pars I. Art. 4. §. 9.

261. Quamvis actualis devotio ad Communionem plenè fructuosam sit necessaria, non tamen ad frequentem Communionem opus est devotione sensibili. Hinc *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 12. Quæst. 2. A. 1. Quæstiunculâ 3. *Cùm hoc*, inquit, *Sacramentum perficiat conjungendo fini: ad hoc quòd effectum suum plenè habeat in sumente, oportet quòd adsit actualis devotio.* Actualis autem illa devotio & pius affectus in actibus Fidei, Spei, & Caritatis potissimùm consistit.

Actualis devotio, an necessaria?

262. Quòd autem sensibilis devotio ad frequentem Communionem non sit necessaria, & quòd absque devotione hujusmodi sensibili fructuosa esse possit, immò sit sæpe fructuosior, docet *S. Antoninus* 3. P. Tit. 13. „ Cap. 6. Aliud est enim desiderium, aliud „ sensibilis desiderii perceptio... Sine de„ siderio nemo debet accedere. Cùm au„ tem Christianum sic vivere deceat, ut „ semper mereatur accipere, nunquam esse „ debet sine desiderio tunc & toties sumen„ di, quando & quoties convenienter pote„ rit, & crediderit expedire. Si quis au-

Sensibilis devotio ad frequentem Communionem minimè necessaria.

PARS I. Art. 4. §. 9.

„ tem illam diſpoſitionem in ſe judicare voluerit ex ſenſibili cordis compunctione „ fervore mentis, profuſione lachrymarum, „ ita quòd tunc credat ſe diſpoſitum quando tale quid ſentit; & quando non percipit, indiſpoſitum, incautè valde ambulat & ſæpiſſimè decipitur. Multoties qui „ nihil talium habent, ſunt in magno ſtatu „ gratiæ, & qui habent, ſunt omnino extra gratiam. Deinde ſenſibilis hujus ſuavitatis privationem ad multa utilem eſſe „ docet: Primò, ut tribulatione gaudium „ temperetur. Secundò, ut tam delectabili bono privari timeat homo, & ardentiùs ad æternam patriam ſuſpiret, ubi „ Deo ſemper adhærendum eſt, & de torrente voluptatis ejus bibendum. Tertiò, „ ut per fidem ambulantes magis mereamur. Quartò, ad humilitatem conſervandam. Quintò, ut gratiæ Dei, non „ viribus noſtris adſcribere diſcamus, quoties ad ſerviendum Deo promptam & fervidam voluntatem ſentimus. Idem docet inſignis Vitæ Spiritualis Magiſter „ *Joannes Thaulerus*, Inſtitutionum Cap. 38.

Mundanis curis occupati rariùs accedere debent.

263. Mundanis curis occupati, rariùs ad ſacram Communionem accedere debent, quàm illi qui tantùm ſpiritualibus ſtudiis ſunt intenti. Rariùs enim ſe ad divinum illud Sacramentum recipiendum expedire, atque ut par eſt præparare poſſunt, inquit *S. Bonaventura*, Lib. 2. *De Profectu Religioſorum*, Cap. 70.

264. Qui-

264. Qui in mortale aliquod peccatum lapsi sunt, statim ad sacram Communionem accedere non debent, quamvis contriti & confessi: sed per aliquod tempus Pœnitentiam agere, antequam ad sacram Mensam accedant, & cibari pane lachrymarum priùs quàm Panem degustent Angelorum. Ita *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 9. Quæst. 1. Art. 4. Quæstiunculâ 2. ad secundum. Idemque colligitur ex Cap. *Nonnulli*, Dist. 1. *De Pœnitentia*, quod ex *S. Ambrosio* sumtum est. *Nonnulli*, inquit, *ideo poscunt Pœnitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare: suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt*. Ut enim ait *S. Augustinus* Epistola 54. aliàs 118. ad Januarium: *Hoc est indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere Pœnitentiam*. Maximè verò qui lapsi sunt in peccata carnis, diuturnis Pœnitentiæ operibus, & continentia salutari expiandi ac probandi sunt, priùs quàm Sacram Communionem accipiant, ut confirmat Venerabilis Algerus Libro 1. *De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, Cap. 22.

PARS I. Art. 4. §. 9. *An peccatoribus omnibus verè contritis & confessis statim sit permittenda Communio?*

265. Frequens Communio in iis qui meliores propterea non evadunt, & nullum ex ea referunt fructum spiritualem: & in iis qui sæculariter vivunt, & Mundi pompas, voluptates, & spectacula consectantur, non est signum Prædestinationis. Illi enim indignè man-

Quid de iis qui nullum fructum ex Communione percipiũt,

PARS I. Art. 4. §. 9. *sed sæculariter vivunt, &c.*

manducant & bibunt Corpus & Sanguinem Domini, verèque ipsis convenit illud *S. Joannis Chrysostomi*, Homiliâ 7. in Matthæum: *Cave ne Herodi efficiaris similis, & dicas: Ut & ego veniens adorem eum; cúmque veneris, interimere coneris. Hujus etenim similes sunt, qui indignè abutuntur Communione Mysterii.* Reus est enim, *inquit*, iste Corporis & Sanguinis Domini. *Qui enim ejusmodi sunt, habent in se Tyrannum, & Regno Christi jugiter invidentem, longè sanè Herode illo nequiorem, Mammonam scilicet. Hic enim in homines tenere imperium gestit, suosque cultores simulat & mittit ad Christum, ut specie quidem adorare videantur: quantùm verò in ipsis est, interimunt eum, quem adorare se simulant. Timeamus igitur ne quando speciem supplicum atque adorantium geramus, opere verò existamus inimici.*

Propositio damnata.

266. Quamobrem hanc Propositionem inter alias Moralis Christianæ puritati adversas meritò damnavit *Innocentius XI.* Pontifex Maximus die secunda Martii 1659. *Frequens Confessio & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis.*

§. X.

§. X.

Pro quibus hoc Sacrificium offerri possit, & de Missarum reductione.

267. Eucharistiæ sacrificium non solum pro omnibus omninò hominibus mortalem vitam agentibus, sed etiam pro Fidelibus in Domino mortuis, nondum tamen plenè expiatis, sed in Purgatorio detentis, ritè juxta Apostolorum Traditionem offertur. *Offerri potest tam pro vivis quàm pro defunctis.*

268. Ita Concil. Trident. Sess. 22. Cap. 2. ejusdémque Concilii Catechismus. Quod Fidei Catholicæ dogma probant inprimis *Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet*, teste *S. Augustino* Lib. 18. De Civit. Dei, Cap. 27. Quod *Innocent. I.* in Epist. ad Exuper. Cōcil. Carthag. 3. Canone 47. &c. tandemq; Concil. Trident. confirmant. Sic enim Machab. 2. Cap. 12. legitur: *Fortissimus Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, benè & religiosè de Resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanū orare pro mortuis. Et quia considerabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio* *Probatur Scripturæ S. auctoritate.*

PARS I. Art. 4. §. 10.

tatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.

Et Traditione.

269. Ad quem locum attendens *S. Augustinus* Lib. *De Cura pro Mortuis gerenda*, Cap. I. *In Machabæorum Libris*, inquit, *legimus oblatum pro Mortuis Sacrificium: sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret Auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio Mortuorum*. Ejusdem consuetudinis in Ecclesia ab Apostolicis temporibus religiosè observatæ, meminerunt *Tertullianus* Lib. De Corona Militis, Cap. 3. *S. Cyprianus* Epist. 66. *Eusebius*, & alii.

Sana de Purgatorio doctrina Christianæ plebi exponenda.

270. „ Porrò Episcopi sanam de Purgatorio doctrinam, à Sanctis Patribus, & sacris „ Conciliis traditam, à Christi Fidelibus „ credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant; (ex Concilii Tridentini Mandato, Sessione 25.)

Miracula Ecclesiæ auctoritate non probata haud evulganda.

271. „ Apud rudem plebem difficiliores ac subtiliores Quæstiones, quæque ad „ ædificationem non faciunt, & ex quibus „ plerumque nulla fit pietatis accessio, à „ popularibus Concionibus secludantur. „ Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, qualia sunt pleræque Visiones & „ Miracula Ecclesiæ auctoritate non probata, evulgari ac tractari non permittant.

Ea

„ Ea verò quæ ad curiositatem quamdam „ aut superstitionem spectant, vel turpe lu- „ crum sapiunt, tanquam scandala, & Fi- „ delium offendicula prohibeant. Ita de- „ cernit Tridentina Synodus, ibidem. PARS I. Art. 4. §. 10.

272. „ Curent Episcopi ut Fidelium vi- „ vorum suffragia, Missarum Sacrificia, „ orationes, eleemosynæ, aliáque pietatis „ opera, quæ à Fidelibus pro aliis Fidelibus „ defunctis fieri consueverunt, secundùm „ Ecclesiæ Instituta piè & devotè fiant; & „ quæ pro illis ex testatorum fundationi- „ bus, vel alia ratione debentur, non per- „ functoriè; sed à Sacerdotibus, & Eccle- „ siæ Ministris, & aliis qui hoc præstare te- „ nentur, diligenter & accuratè observen- „ tur. Ita jubet eadem Synodus.

De potestate anniversaria & Missas ad minorem numerum reducendi.

273. „ Episcopi & Generales Ordinum „ onera Missarum celebrãdarum post Con- „ cilium Tridentinum imposita, aut in Ec- „ clesiæ, Capellæ, vel Beneficii fundatio- „ ne, moderari non possunt; sed pro his re- „ ducendis, moderandis, vel commutan- „ dis, ad Sedem Apostolicam recurrendum „ est: alioqui reductiones illæ nullæ & ina- „ nes erunt. „ Ita sanxit Congregatio Car- dinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate *Urbani VIII.* anno 1635.

Quando ob id ad Sedem Apostolicam recurrendũ

274. „ Ne in Ecclesiis, in quibus one- „ ra Missarum in perpetuum imposita sunt, „ Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis „ eò tepidiores & segniores reddantur, quòd one-

De penniis a ccænis rec bopro illis dati funone-

PARS I. Art. 2. §. 10.

Missarum quomodo disponendum?

„ onera hujusmodi cum nulla aut parva sint „ utilitate conjuncta, eadem Congregatio „ decrevit, ut pecuniæ ac bona mobilia „ Ecclesiæ, Capitulis, Collegiis, Hospi- „ talibus, Societatibus, Congregationibus, „ Monasteriis, Conventibus, ac locis om- „ nibus tam Sęcularibus quàm Regulari- „ bus, atque illorum personis in futurum „ simpliciter acquirenda cum onere perpe- „ tuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad „ quos pertinet, sub pœna Interdicti ab in- „ gressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à „ die realis acquisitionis, statim deponan- „ tur penes Ædem sacram, vel personam „ fide & facultatibus idoneam, ad effectum „ illa, seu illorum pretium quamprimùm „ investiendi in bonis immobilibus fructi- „ feris, cum expressa & individua mentio- „ ne oneris quod illis annexum reperitur: „ ac si eadem bona immobilia Autoritate „ Apostolica deinceps alienari contigerit, „ eorumdem pretium sub eadem pœna, pa- „ riter deponatur, atque in aliis bonis sta- „ bilibus itidem fructiferis, cum ejusdem „ oneris repetitione atque annexione con- „ vertatur.

Missarum onera quibus exsolvendis impares sint Sacerdotes, non

275. „ Eadem Congregatio quibusvis „ Capitulis Collegiis, Societatibus, ac „ Congregationibus, nec-non omnibus & „ singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, „ tam Sęcularium, quàm Regularium Su- „ perioribus, vel aliis ad quos pertinet, pro-

hibuit,

„ hibuit, ne in posterum Onera perpetua „ Missarum celebrandarum susciperent; Sę„ culares quidem sine Episcopi, vel ejus Vi„ carii Generalis; Regulares verò sine Ge„ neralis vel Provincialis consensu & licen„ tia in scriptis & gratis concedenda: alio„ quin Sęcularis, qui hujus prohibitionis „ transgressor extiterit, ab ingressu Eccle„ siæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò „ pœnam privationis omnium Officiorum, „ quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabi„ litatis ad alia de cætero obtinenda, vocis„ que activæ ac passivæ, absque alia decla„ ratione incurrat. Eleemosynas verò ma„ nuales & quotidianas pro Missis cele„ brandis ita demum iidem accipere pos„ sint, si oneribus antea impositis ita satis„ fecerint, ut nova quoque onera suscipere „ valeant: aut certè infra modicum tempus „ possint omnibus satisfacere: aut tribuens „ eleemosynam sciat & consentiat, ut illæ „ tunc demum celebrentur, cùm susceptis „ oneribus satisfactum fuerit. Alioquin om„ nino abstineant ab hujusmodi eleemosy„ nis, etiam sponte oblatis, in futurum re„ cipiendis, & capsulas auferant ab Eccle„ siis cum inscriptione illa, *Eleemosynæ pro* „ *Missis*, vel alia simili, sub eisdem pœnis „ ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ra„ tione frustrentur. Episcopus verò, seu „ ejus Vicarius, aut Generalis vel Provin„ cialis, ubi de licentia pro perpetuis one- ribus

PARS I. Art. 4. §. 10. *recipiẽda.*

PARS I. Art. 4. §. 10.

„ ribus fuerint requisiti, in singulis casibus „ diligenter inquirant de singulis Missarum „ celebrandarum obligationibus cuique Ec- „ clesiæ, Monasterio, aut loco pio incum- „ bentibus, nec ante, assensum hujusmodi „ aut licentiam præbeant, quàm eis legiti- „ mè constiterit, illius Sacerdotes tam no- „ vo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam „ susceptis satisfacere posse; præcipuamque „ rationem habeant, ut reditus qui Eccle- „ siis, & locis piis relinquuntur, omnino „ respondeant oneribus adjunctis, secun- „ dùm morem cujusque Civitatis, vel Pro- „ vinciæ; intelligántque si in re tanti mo- „ menti desides aut negligentes fuerint, in „ novissimo die hujus prætermissi muneris „ rationem esse redditurós. „ Istud sacræ Congregationis Decretum refert *Barbosa*, Lib. *De Officio & Potestate Episcopi*, P. 2. Allegatione 29. Habetur & Tom. 4. Bullarii Romani p. 88.

De Missis quæ dietim petuntur.

276. Numerum Missarum Votivarum, vel pro Defunctis, quæ justis stipendiis sigillatim à particularibus personis petuntur, Episcopi, & Prælati Regulares moderari & reducere non possunt absque consensu eorum, quibus illæ debentur. Id enim est contra Regulam Juris: *Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.*

Fructuosius Sacri-

277. „ Intelligendum est, fructuosiores „ esse magísque prodesse preces & orationes ab

„ ab Ecclesia pro Defunctis institutas, cum „ applicatione Sacrificii, quàm applicatio- „ nem solam; licet compensari possit per „ majorem devotionem Celebrantis, aut „ ejus qui celebrari curat, vel per interces- „ sionem Sancti, cujus suffragium in Missa „ imploratur. „ Ita docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum* Dist.45. Quest.2.Art.2. Questiuncula 1. ad 5.

PARS I. Art. 4. §. 10. *ficiū cum precibus, quam Sacrificium solum.*

278. Illud planè reprobandum est, si qui certo numero, præscriptáque Missarum formâ aliquâ, aut precum affirmant certas designatásque Animas è Purgatorio semper liberari. Ita Concilium Cameracense anno 1565. Tit. *De Sanctis*, Cap. 6.

Reprebandūs error.

279. Si Fundatoris aut Testatoris voluntate constitutum sit ut Missa pro Defunctis, aut in honorem alicujus Sancti, in certo quodam Altari & in tali Ecclesia celebretur, tenetur Sacerdos cui hoc onus impositum est, in Ecclesia & Altari ab illis designatis celebrare, graviter alioqui peccaturus, nisi ex legitima justáque causa alibi celebret: quia aliter non adimplet voluntatem & intentionem Fundatoris aut Testatoris, nec obligationi suæ satisfacit in re gravi. Nec ea solvitur obligatione, etsi consentiant heredes ut alibi celebret: potior enim esse debet voluntas Testatoris, cui non possunt heredes derogare, quàm ipsorum heredum. Hinc Mediolanense Concilium 4. statuit ut *Quicumque Sacerdos in Altari*

Quoad locum & Altare in qua celebretur, servanda Fundatoris Voluntas.

PARS I. Art. 4. §. 11.

certo Missam celebrare debet, si in alio celebrarit, ne quod debet, præstitisse censeatur; nisi Episcopi, alteriúsve, cui ille id curæ commiserit, jussu, concessu, permissúve aliquando fecerit.

§. XI.

De Missæ Ministris, & de loco in quo celebrandum.

Celebranti Minister adesse debet.

280. Missam nemine adstante & respondente celebrare non licet, sed unus saltem Minister adesse debet, qui Sacerdoti respondeat. Missas enim hujusmodi Concilia prohibuerunt, scilicet Concilium Moguntinum sub *Leone III.* Canone 43. Synodus Parisiensis sub *Gregorio IV.* Lib. 1. Cap. 48. Concilium Nannetense, apud *Jvonem Carnotensem* P. 3. Cap. 70.

Plures adesse minimè necesse est.

281. Præter Clericum, aut idoneum Laïcum ministrantem, plures adesse Sacrificio minimè necesse est. Fuerunt aliqui plus æquo meticulosi, qui ne mendacii rei fierent, si ad unum solum præsentem plurales salutationes dirigerent, à Sacrificii Oblatione abstinebant, nisi præter Clericum ministrantem unus saltem præsens adesset, ut verè posset Celebrans duobus adstantibus dicere, *Dominus vobiscum*, &, *Orate fratres.* Extat ea de re Canon apud *Gratianum* Dist. 1. *De Consecratione* Cap. 61. sub *Soteris* Pa-

pæ

pæ nomine, qui ab aliis *Anacleto* tribuitur. *Hoc quoque statutum est*, inquit, *ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur: quià cùm pluraliter ab eo dicitur*, Dominus vobiscum, *& illud in Secretis*, Orate pro me, *aptissimè convenit ut illius respondeatur salutationi*. Idem sancitum fuit in Concilio Coloniensi, P. 2. Cap. 18. Verùm hi Canones, quid sit conveniens declarant, non quid necessarium: & nullius roboris est Cap. *Hoc quoque*, ex supposita *Soteris* vel *Anacleti* Epistola compactum.

PARS I. Art. 4. §. 11.

282. Eremitis perpetuò inclusis permitti potest ut soli sine respondente Missam celebrent. Id aliquando concessum à Romano Pontifice, refert doctissimus Cardinalis *Bona*, Lib. 1. *Rerum Liturgicarum*, Cap. 13. idque confirmat Glossa ad laudatum *Gratiani* Caput. Id apud Monachos olim toleratum, vel ipsis ex indulgentia concessum, scribunt *Odo Cameracensis* in Expositione Canonis, & *Stephanus Eduensis* Lib. *De Sacramento Altaris*, Cap. 13. Nec id à ratione videbatur alienum, ut quis solus diceret, *Dominus vobiscum*: Nam his verbis se Ecclesiam salutare aiebant, quæ est una in multis, & tota in singulis, ut ostendit etiam *Petrus Damiani* in Opusculo ad *Leonem Inclusum*, quod inscripsit, *Dominus vobiscum*. Quòd si Sacerdos, cùm solus recitat noctur-

Absque Ministro celebrare non licet, nisi ex Summi Pontificis dispensatione.

PARS I. Art. 4. §. II.

nas & diurnas preces, omnia pluraliter profert, quæ plurali numero enuntiantur in Divinis Officiis; dicit enim, *Venite adoremus, Oremus, Benedicamus*, cùm nemo illic ſit qui cum ipſo adoret, precetur, benedicat: non repugnat rationi ut Sacerdos abſque Miniſtro & circumſtantibus celebrans dicat, *Dominus vobiſcum*, aut omnes circumſtantes Deo commendet, quia hæc verba Fideles omnes ſpectant, *Qui adſiſtunt quaſi præſentes, fide & caritate Sacramentis communicantes*, ut loquitur *Stephanus Eduenſis*. Verumtamen id ne Incluſis quidem Eremitis licet abſque Sedis Apoſtolicæ licentiâ. Ut enim decrevit *Alexander III.* Cap. *Propoſuit*. Extra *De Filiis Presbyterorum*, ſolus Presbyter Miſſarum ſolemnia ſine Miniſtri ſuffragio celebrare non poteſt.

Miniſter Vir eſſe debet, non fœmina, etiam Monialis.

283. Miſſæ Miniſter vir eſſe debet, non fœmina, etiam Sanctimonialis. Id enim Canonibus vetitum eſt. Ita Laodicenum Concilium, Canone 44. *Non oportet mulierem ad Altare ingredi*. Ita *Gelaſius I.* Epiſtola 9. ad Epiſcopos Lucaniæ, Cap. 26. *Impatienter audivimus tantum divinarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut fœminæ ſacris Altaribus miniſtrare ferantur: & cuncta quæ non niſi virorum famulatui deputata ſunt, ſexum, cui non competit, exhibere*.

Decet eſſe Clericum Talari

284. Maximè decet, omninóque ſervandum eſt, cùm fieri poteſt, ut Miſſæ Miniſter Clericus ſit, ſuperpelliceo indutus,

tus, & talari veste. Ita decreverunt Concilium Mediolanense 4. Aquense anni 1585. Tolosanum 1590. Cap. 6. Avenionense anni 1594. Cap. 22. Narbonense anni 1609. Cap. 29. S. Carolus in Concilio Mediolanensi sexto, Titulo, *Quæ ad Missam pertinent*, addit: *Clericus qui in Missæ Sacrificio ministrat, dum eam functionem obit, ne preces horarias, neque aliud quidquam de libro, aliòve Officio recitet; sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc piè religioséque exequi debet.* Synodus Tridentina non vult à Sacerdote Missam celebrari, *Nisi priùs qui intersint, decenter composito corporis habitu declaraverint se mente ac devoto cordis affectu, non solùm corpore adesse*. S.Carolus in Concilio Mediolanensi quarto parte 2. Cap. 10. statuit ut *Cùm Sacerdos ad Altare accesserit, sacrificium Missæ facturus, Clericus qui tunc illi ministraturus est, ubi alius non sit qui tunc hoc officium præstare possit, circumspiciat adstantes, & si quempiam animadverterit marem vel feminam incomposito corporis habitu, vel aliàs cum injuria vel irreverentia sanctissimi illius sacrificii interesse, moneat graviter ... Missâ verò inchoatâ, si quid hujusmodi fiat, hoc idem officium admonendi itidem ille Minister Clericus præstet modestè & graviter*. Ex his patet quanta emendatione indigeat ille abusus, quo ad Missæ Ministerium passim admitti solent

PARS I. Art. 4. §. 11. *veste & superpelliceo indutum.*

pueri, aut viliores homines, qui ſine ullo pietatis ſenſu, aut cordis affectu, ſine ulla tam ſublimis & ſanctæ functionis intelligentia, non attendentes ad ea quæ dicunt aut agunt, & quæ à Sacerdote dicuntur & aguntur, velut pſittaci Miſſæ reſpondent, velut ſimiæ miniſtrant. Sanè cùm Miniſter ſacrificii Sacerdoti reſpondens, vices totiùs populi ſuppleat, & publici Eccleſiæ Miniſtri partes agat, indecens & indignum eſt tanti Myſterii ſanctitate, ut pueri, aut viliſſimi homines, habitu ſordido & incompoſito, in illius functione miniſterii non ſatis inſtructi, immodeſti & immorigeri, ad illam admittantur; & quod, ubi Clerici deficiunt, honeſtiores Laïci Miſsæ celebrationi, quod totius Eccleſiæ ſummum & ſacerrimum negotium eſt, miniſtrare, & ſacerdoti reſpondere refugiant & erubeſcant; quaſi ea functio puerorum tantùm aut ſervorum eſset.

Miſſæ ſiccæ improbantur

285. Miſſarum ſiccarum celebratio, quamvis aliquando tolerata, permitti tamen non debet. Miſſa ſicca dicta eſt, quæ à Sacerdote ſacris veſtibus induto, abſque Oblatione, Secretis, Canone, Conſecratione, & Communione, abſque Calice & hoſtia celebrabatur. *Nautica* etiam vocata eſt, quòd in mari & fluminibus celebrari ſoleret, in quibus propter motum & agitationem fluctuum vix poteſt Sacrificium offerri abſque periculo effuſionis. In uſu erat tempore

S. Lu-

S. Ludovici Regis, quem, cùm è trasmarina Expeditione in Galliam rediret, Corpus Christi in navi decentissimè collocari, atque ibi Officia divina, & Missam, excepto Canone, quotidie celebrari jussisse, refert *Guillelmus de Nangiaco* in ejus Vita. Ejusdem Missæ Ritum describit *Durandus* in Rationali Divinorum Officiorum, Lib. 4. Cap. 1. Hanc revera siccam esse, sine gratia & humore confectionis Eucharistiæ, & nihil Fidelibus prodesse, ait *Petrus Cantor* in Verbo Abbreviato, Cap. 29. Adversùs illam acriter declamat *Estius* magni nominis Theologus. *Joannes Eckius* vocat irrisionem Dei & illusionem Christi. Illius usum esse prorsus illicitum, quia continet falsitatem in facto & in verbo, scribit *Silvius*: in facto, quia Sacerdos simulat omnia quæ sunt celebrantis, nec tamen celebrat aut Sacrificium offert; in verbo, quia recitantur Orationes quæ promittunt Sacrificium, & aguntur postea gratiæ, quasi illud oblatum ac sumtum esset. De ipsa scribit pius & eruditus Cardinalis *Bona* Lib. 1. *Rerum Liturgicarum*, Cap. 15. *Missa sicca ab indiscreta & privata quorumdam devotione duxit originem, cui nimiùm indulgentes fuerunt Sacerdotes. Larva est & simulatio quædam veræ Missæ, sicca procul dubio & jejuna, ut pote carens non solùm Consecratione, sed etiam sumtione Corporis Christi, similis cœnæ ligneæ & lapideæ, quam Lampridius & alii referunt*

PARS I. Art. 4. §. 11.

PARS I. Art. 4. §. 11.

convivis suis Heliogabalum exhibuisse. Has in Belgio abrogavit Synodus Cameracensis 2. Tit. 3. Cap. 7. & Synodus Yprensis *Martini Rythovii* Tit. 15. Cap. 10. alibi Episcoporum vigilantia. Sed multò ante vetitæ fuerant à Concilio Parisiensi anno 1212. Canone 11.

Missa ubi celebranda?

286. Missæ Sacrificium privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab Ordinariis designanda & visitanda, à sæcularibus aut Regularibus Sacerdotibus quibuscunque peragi non debet. Ita statuit Concilium Tridentinum Sessione 22.

287. A *Constantini* tamen temporibus obtinuit consuetudo, ut in Castris ritè ac licitè celebretur in Altari portatili.

288. In Concessionibus celebrandi Missam in Capellis vel Oratoriis domûs privatæ, excipiuntur majores solemnitates, & hæc conditio apponitur, ut alii, præter quàm servitio personæ, cujus intuitu Oratorium conceditur, necessarii, ibidem audientes Missam, ab obligatione audiendi eam in Ecclesia per hoc non liberentur. Quod in his facultatibus construendi Oratoria, ex stylo Romanæ Curiæ apponi consuevit (inquit *Barbosa*) vel his verbis exprimi solet; *Salvo jure Parochiali*.

Missis celebrandis ordo ab

289. Missis privatis celebrandis hic modus & ordo ab Episcopis, Ecclesiarum Rectoribus, aliisque Superioribus statui debet die-

diebus Dominicis Festisque Majoribus, ut earum celebratione & auditione Populus Christianus à Missa Parochiali audienda non distrahatur. Ita sanxerunt Synodus Lingonensis sub *Joanne d'Amboise* anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo; Senonensis, anno millesimo quingentesimo vigesimo-quarto; Carnotensis anno millesimo quingentesimo vigesimo-sexto. PARS I. Art. 4. §. 12. *Episcopis servandus.*

§. XII.

De Missa Parochiali.

290. Fideles diebus Dominicis & Majoribus Festis Parochiam frequentare, Solemne Sacrum, & verbum Dei in ea audire tenentur. Sic enim statuit Concilium Tridentinum Sessione 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ: *Ordinarii locorum Episcopi moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem Diebus Dominicis & Majoribus Festis accedant.* *Obligatio Fidelium ad frequentandam Parochiã.*

291. Et Sessione 24. De Reformatione, Cap. 4. *Moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Et Cap. 7. *Episcopi curabunt ut Parochi inter Missarum solemnia, aut Divinorum Celebrationem, sacra Eloquia, & salutis Monita*

ver-

PARS I. Art 4. §. 12.

vernaculâ linguâ, singulis diebus festis vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in Lege Domini erudire studeant.

292. *Sixtus IV*, Cap. *Vices illius*, Tit. *De Treuga & Pace*, Extravag. Commun. Lib. 1. vetat *Ne Fratres Mendicantes prædicent, Populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis diebus Festivis & Dominicis, cùm Jure sit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.*

Precepto audiendi Missam sit satis illam audiendo in Ecclesiis Regularium.

293. Nihilominus Fideles audientes Missã Dominicis Festísque diebus in Ecclesiis Regularium, Ecclesię pręcepto de audiēda Missa satisfaciunt. Ita declaravit *Leo X*, Pontifex Maximus Diplomate dato Romæ die 13. Novembris, anno 1517. *Intelleximus*, inquit, *quosdam in dubium revocare, & perinde timoratis conscientiis scrupulum injicere, si Christi Fideles, qui Dominicis & Festis diebus extra Ecclesias suas Parochiales, Missas audiunt in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujusmodi penitus tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia Fideles quique Deo Creatori suo serviant, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium notum facimus, omnes Christi Fideles utrius-*

que

que sexus, qui (non contemto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis & Festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnámve incurrere. Hanc Declarationem confirmavit Sanctus Pontifex *Pius V.* Diplomate dato Romæ 17. Kal. Septemb. anno 1567. *Christi Fideles*, inquit, *audiendo Missas & alia Divina Officia in Ecclesia Fratrum hujusmodi diebus Dominicis aut Festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur.*

294. Potest tamen fieri aliunde ut quis peccet, etiam lethaliter, non audiendo Missam in propria Parochia, ut si quis nolit eam audire ex contemtu, aut quando Parochus declarat ea quæ Parochiani scire tenentur (inquit *Barbosa* Lib. *De Potestate & Officio Episcopi*, P. 2. Allegatione 24. *Navarrum*, aliósque secutus.) *Peccaret tamen mortaliter qui ex cõtemtu Missam Parochialem non audiret.*

295. Parochi cujusquam gratiâ, aut metu, Missam Parochialem anticipare non debent, aut differre; sed eâ horâ celebrare, quæ populo magis commoda sit. Ita decrevit Concilium Mediolanense 1. Cap. De his quæ pertinent ad celebrationem Missæ. *Missa Parochialis hora stata populo magis commoda dici debet.*

§. XIII.

PARS I. Art. 4. §. 13.

§. XIII.

De valore Sacrificii Missæ, & obligatione Sacerdotum pro aliis celebrantium.

Vis & applicatio Sacrificii Missæ.

296. Valor Sacrificii Missæ, seu vis illius & dignitas, ratione rei oblatæ & principalis offerentis, infinita est. Eadem enim victima est, quæ in Cruce pro nostris & totius Mundi peccatis est oblata; idem Sacerdos: unum & idem proinde Sacrificium, solâ offerendi rátione diversum, ut docet sacra Synodus Tridentina. Cùm itaque Christus idem sui Sacrificii Sacerdos & victima, sit infinitæ dignitatis & virtutis, Missæ Sacrificium ea ratione spectatum infiniti pretii ac virtutis est. At Sacrificium Missæ spectatum ratione effectus, quem ex Christi institutione habet, quatenus per Ecclesiæ Ministros offertur, finiti valoris & virtutis est: Oblatio enim, quatenus est actio Sacerdotis, finita est.

An æquè prosit singulis ac si pro uno solum offerretur.

297. Hinc Sacrificium Missæ, quatenus intentione & orationibus Sacerdotis aliis applicatur, non æquè prodest singulis ac si pro uno solùm offerretur. Virtus enim illius secundùm hanc rationem spectata, finita est: quod autem est finitum, si dividatur inter plures, non æquè prodest singulis, ac si divideretur inter paucos, aut uni tantùm ap-

applicaretur. Præterea, inter *Joannis Vviclefi* Articulos, ex quibus *plures notoriè hæreticos, & à SS. Patribus dudum reprobatos; alios non Catholicos, sed erroneos; alios scandalosos & blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos temerarios & seditiosos*, Concilium Constantiense declaravit, & ut tales damnavit, decimusnonus his verbis conceptus est: *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem quàm generales, ceteris paribus*. Cùm itaque Missæ Sacrificium intentione & oratione Sacerdotis celebrantis applicetur illis pro quibus offertur, non ita prodest singulis, ac si pro uno solùm offerretur. Atque hæc est *S. Thomæ* doctrina in 4. *Sententiarum*, Dist. 45. Quæst. 2. A. 4. Quæstiuncula 1. Et in Responsione ad primum, & Quæstiuncula 2. in Responsione ad secundum: *Quamvis virtus Christi, quæ continetur sub Sacramento Eucharistiæ sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Unde non oportet quòd per unum Altaris Sacrificium tota pœna eorum qui sunt in Purgatorio, expietur; sicut etiam nec per unum Sacrificium quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis. Unde & quandoque plures Missæ in satisfactionem unius peccati injunguntur. Credibile tamen est, quòd per divinam misericordiam, si aliquid de specia-*

Propositio damnata.

PARS I. Art. 4. §. 13. *cialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt (ut scilicet eis non indigeant) aliis dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant*. Denique si Missa pro multis celebrata tantùm prodesset singulis ac si pro uno tantùm celebraretur, non instituisset Ecclesia ut pro aliquo singulatim Missa celebraretur: & pro omnibus Fidelibus defunctis semper offerendum esset Sacrificium, nusquam uni speciatim applicandum: siquidem plures juvare melius est, quàm unum.

Fideles omnes qui Sacerdoti Missam celebranti pium devotionis adiungũt affectum, Sacrificiũ suo modo offerunt.

298. Cùm plures pari affectu & devotione cooperantur Sacerdoti ad Sacrificium offerendum, non minor est Sacrificii fructus uniuscujusque Oblationi respondens, quàm si unus tantùm cum Celebrante offerret. Cùm enim tot sint oblationes, seu actiones offerentium, quot personæ; fructus Sacrificii, quatenus per hujusmodi oblationes unicuique singulatim applicatum, non minor est quàm si ab uno tantùm, Sacerdoti per affectum & devotionem cooperante, offerretur. Ecclesia itaque, & Fideles omnes sive præsentes, sive absentes, qui pium devotionis affectum Sacerdoti Missam celebranti adjungunt, Sacrificium suo modo offerunt. Hinc Sacerdos in Canone Missæ ait: *Memento Domine, famulorum, famularúmque tuarum, & omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*. Ex quibus verbis, inquit *Petrus Damiani*, in libro quem inscri-

psit,

psit, *Dominus vobiscum*, Cap. 7. manifestè ostenditur, quòd *A cunctis Fidelibus, non solùm viris, sed & mulieribus Sacrificium illud offertur, licèt ab uno specialiter offerri Sacerdote videatur: quia quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo Fidelium intentâ devotione commendat. Quod „ illic quoque declaratur, ubi dicitur.* Hanc „ igitur oblationem servitutis nostræ, sed „ & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domi- „ ne, ut placatus accipias: *Quibus verbis luce clariùs constat, quia Sacrificium quod à Sacerdote sacris Altaribus superponitur, à cuncta Dei familia generaliter offeratur.* Idem asserit *Innocentius III.* Lib. 3. *De Mysteriis Missæ*, Cap. 5. *Non solùm*, inquit, *offerunt Sacerdotes, sed & universi Fideles. Nam quòd specialiter adimpletur Ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto Fidelium.* Sicut igitur Sacerdos intentione quidem generali Sacrificium offerens pro Ecclesia, pro Summo Pontifice, pro Episcopo, pro Rege, pro se ipso, pro vivis & defunctis, illius virtutem applicat Ecclesiæ universæ, insignioribus illis Ecclesiæ membris, omnibúsque Fidelibus, & præsertim circumstantibus; intentione verò singulari fructum ejusdem Sacrificii illis applicat, pro quibus singulatim offerre decrevit; ita singuli cum Sacerdote offerentes sibi ipsis applicant pro sua virili Sacrificium; nec minorem ex eo fructum capiunt, si pari pieta-

tis

tis ſtudio offerant, paritérque ſint ad illum capeſſendum diſpoſiti.

Qui pro pluribus celebrare debet, non ſatisfacit celebrando unam Miſſam pro omnibus.

299. Qui pro pluribus celebrare debet, eúmque in finem eleemoſynam ſive honorarium accepit, Officio ſuo non ſatisfacit celebrando unam Miſſam pro omnibus: quin imò graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. Illi enim ſibi applicari volunt fructum reſpondentem obligationi Sacerdotis, ut pro aliquo ſingulatim offerentis: fructus autem ille Sacrificii, ea ratione ſpectatus, quò in plures dividitur, eò minor ad ſingulos pervenit: juſtâ igitur petitione ſuâ, ſuoque jure fraudantur Fideles, qui Sacerdoti ſtipendium ſeu eleemoſynam contulerunt ut Miſſa pro ipſis ſingulatim celebraretur, ſi una & eadem aliis applicetur, qui eleemoſynâ pariter datâ, ſeu ſtipendio (ut ita loquar) ſoluto, Sacrificium pro ſe offerri pariter poſtularunt.

Miſſæ honorarium.

300. Nec obſtat quòd ſtipendia ſint incongrua ad alendum una ſaltem die Sacerdotem, qui Altari miniſtrans, de Altari vivere debet. Qui enim à Sacerdotibus Miſſas poſtulant, diurnam illis ſuſtentationem ex toto non debent, cùm Sacerdotes non ad Miſſæ tantùm celebrationem teneantur, ſed etiam ad alia Officia obligentur, pro Eccleſiæ membris omnibus perſolvenda. Unde ſacra Synodus Tridentina Seſſione 21. Cap. 2. De Reformatione, ſtatuit ne quis deinceps Clericus ſecularis ad Sacros Ordines promo-

moveatur, nisi priùs legitimè constet, eum *Beneficium Ecclesiasticum*, vel certè *Patrimonium* aut *Pensionem* habere, *quæ ipsi ad vitam sustentandam satis sint*. Totale itaque diurnæ sustentationis stipendium ex Missarum celebratione Sacerdotibus expectandum non esse existimavit. PARS I. Art. 4. §. 13.

301. Confirmatur ex Decreto Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, *Urbani VIII.* Pontificis Maximi autoritate edito die 21. Junii 1625. *Ubi*, inquit, *pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis stipendia, quantumcunque incongrua & exigua, sivè ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscumque, tam Sæcularibus quàm Regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Id verò ut deinceps observetur exactiùs, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia & Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis ac locis piis tam Sæcularibus quàm Regularibus cujuscumque* Decretum Urbani VIII.

PARS I. Art. 4. §. 13.

Ordinis, Congregationis & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus infuturum suscipiendis satisfiat.

302. Confirmatur secundò Propositio superior ex Decreto *Alexandri VII.* Pontificis Maximi dato Romæ, die 24. Septembris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi quinti, quo inter alias corruptæ Moralis Propositiones, quas *ut minimùm tanquam scandalosas* damnavit ac prohibuit, docerique, ac defendi, aut de eis etiam disputando tractari, publicè vel privatim, nisi forsan impugnando, penitus vetuit sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, hæc ordine decima proscribitur: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.*

Propositio damnata, in materia bonotarii.

De anticipatione Missarum

303. Celebrationem Missæ anticipare non licet pro incertis Missas postulaturis, ac eleemosynas in eum finem collaturis. Sic enim pia Fidelium intentio defraudaretur, qui Sacrificium offerri volunt ad gratiam aliquam, vel auxilium, urgente necessitate, sibi vel suis à Deo impetrandum. Quamobrem Sacra Congregatio Cardinalium

Con-

Concilii Tridentini Interpretum autoritate *Pauli V.* Pontificis Maximi anticipatam illam Celebrationem prohibuit ac damnavit die 15. Novembris anni millesimi sexcentesimi quinti, *tanquàm pluribus nominibus periculosam, Fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimiùm abhorrentem*; illúmque abusum aboleri jussit ab Episcopis & Superioribus Regularibus, pœnâ Excommunicationis, aliísque propositis, Decretum illud refert *Barbosa*, Lib. *De Officio & Potestate Episcopi*, P, 2. Allegatione 24. Tum quia redolet nimiam lucri cupiditatem: tum quia par est ut qui tradit eleemosynam; sciat Missam pro se celebrandam, ut meliùs se disponat ad recipiendum Sacrificii fructum: tum quia homines retrahi possent ab eleemosynis in futurum tradendis pro Celebratione Missarum, si Sacerdos offerenti eleemosynam responderet: Applico tibi Sacrificium quod aliàs celebravi. Facilè enim sibi persuaderent Sacerdotem accipere stipendium, & non persolvere onus pro quo stipendium accepit. Casum tamen unum excipiunt Casuum Arbitri, in quo Missarum Celebrationem anticipare Sacerdoti licitum est, quando scilicet ex obligatione alicujus Capellæ tenetur aliquis tot Missas singulis hebdomadibus celebrare, vel in posterum certa quadam intentione; tunc enim huic oneri satisfacere potest, illas antecedente hebdomada

PARS I. Art. 4. §. 13.

PARS I. Art. 4. §. 13. *Qui Missam celebrandam suscepit, non potest alteri illam committere, eleemosynæ parte sibi retenta.*

celebrando: nisi fortè in litteris fundationis aliud expressum esset, quo prætermisso, Fundatoris voluntas eludi videretur.

304. Sacerdos qui Missam celebrandam cum certa eleemosyna suscepit, Missam alteri celebrandam committere non potest parte ejusdem Eleemosynæ sibi retentâ, etiamsi justum & consuetum honorarium persolvat Celebranti. Nullus enim justus titulus est illi qui Missam cum certa eleemosyna suscepit, alteríque celebrandam committit, retinendi sibi partem eleemosynæ: illa siquidem tota quanta est, ob Missam celebrandam est erogata, adeóque illi indebita qui non celebrat. Ab ipso proinde non solùm absque turpis lucri nota, sed absque furti crimine retineri pars ejus non potest, & si retineat, ad restitutionem tenebitur. Eique legi non solùm privati Sacerdotes, sed Æditui sive Sacristæ, quarumvis Ecclesiarum subjacent. Non possunt enim absque turpi lucro & furto, partem eleemosynæ ipsis collatæ, ad celebrationem Missæ, verbi gratia ex assibus decem sibi quinque retinere, & quinque reliquos dare Sacerdoti iis in Provinciis degenti in quibus consueta pro celebratione Missæ eleemosyna est quinque assium duntaxat. Quamvis enim id cedat in commodum Ecclesiæ vel Conventus alicujus Parisiensis, nec provinciali Sacerdoti fieri videatur injuria, cui stipendium illud gratum est: nihilominus peccatur contra justitiam, quia elee-

eleemosyna ob Celebrationem Missarum erogata illi tota debetur, qui Missas celebrat. Quamobrem Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum autoritate *Urbani VIII.* edito ea de re Decreto anno 1625. *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, probibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ celebrandam committat.* Cùmque ab eadem Congregatione postea quæsitum esset, *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solitâ pro Celebratione Missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: an verò satis sit, ut dent Celebrantibus eleemosynam consuetam? Sacra Congregatio respondit: Debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec illam illius partem sibi retinere posse.* Rector tamen Beneficii, qui Missarum celebrandarum onus Beneficii ipsius ratione sibi impositum ad alterum potest transmittere, non tenetur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii, *Sed satis est ut ei tribuat eleemosynam congruam, secundùm morem Civitatis vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit*, ut (respondit eadem Congregatio.) Denique hanc Propositionem inter alias etiam damnavit

PARS I. Art. 4. §. 13. *Decretum S. Congregationis Concilii.*

Propositio damnata.

PARS I. Art. 4. §. 43.

Alexander VII. Pont. Maximus: *Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii retentâ.* Nihil etiam retineri debet ab Æditûis aut administratoribus Ecclesiarum, ex Missarum celebrandarum eleemosynis, pro expensis ornamentorum, cereorum, hostiarum, vini, &c. nisi cùm Ecclesiæ alios reditus non habent, quos eum in usum expendere possint. Id enim omnino vetat laudatæ Congregationis Decretum.

Ab Æditûis nihil [nisi in casu necessitatis] retineri debet.

305. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, legati, aut stipendii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non possunt eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere. Ita declaravit eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Unde cùm Parochi Dominicis & Festis diebus ratione Beneficii sui Missam celebrare teneantur, imò ter in hebdomada, ex Decreto Concilii Mediolanensis 1. sub *S. Carolo*, eleemosynas pro aliis etiam Missis diebus iisdem celebrandis suscipere non possunt, aut eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere.

Una & eadem Missa duabus obligationibus satisfieri nequit.

Quoties Parochi celebrare tenentur ratione Beneficii?

306. Sacerdoti pro alio Missam receptâ Eleemosynâ, celebranti, non licet aliam quoque Eleemosynam accipere ab altero, cui partem illam fructûs seu valoris ejusdem Sacrificii, ipsimet Celebranti debitam applicet

Sacerdos fructum Sacrificii sibi destinatum alteri com-

cet. Quamvis enim ſpecialis ille Sacrificii fructus Sacerdoti à Deo deſtinatus, beneficium perſonale non eſſet, alteríque incommunicabile, tamen Sacerdoti non liceret eſſe ita ſalutis ſuæ, & ſpiritualis profectûs incurioſo ac negligenti, ita turpis lucri cupido, ut propter decem aſſes augmento gratiæ, remiſſioni pœnæ, novis gratiarum auxiliis, quæ per Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti obtinere à Deo poteſt, renuntiaret. Quamobrem Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum *Alexandri VII.* auctoritate, Aſſertione quorumdam, qui id licitum aſſeruerant, poſt maturum examen reprobatâ, die 25. Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi-noni declaravit: *Nulli Sacerdoti licitum eſſe præfata ratione, ſive pretextu, aliam eleemoſynam accipere, præter illam quam accepit ab eo, pro quo Miſſam offerre tenetur: ac proinde caſum hunc eſſe comprehenſum in Decretis aliàs per eamdem Sacram Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur ne duplex ſtipendium pro unica Miſſa recipiatur.* Quam Declarationem Summus Pontifex confirmavit, & Decretum in praxi ſequendum ad Epiſcopos & Summos Ordinum Moderatores tranſmitti juſſit.

PARS I. Art. 4. §. 13. *municare non poteſt.*

307. Ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, ab Epiſcopo præſcribenda eſt eleemoſyna congrua, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm

Quando ab Epiſcopo præſcribenda Miſſæ E-

PARS I. Art. 4. §. 13. *Eleemosyna.*

dùm morem Civitatis, vel Provinciæ. Item, si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missæ celebrari debent, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ. Cùm verò Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minùs congruum tenentur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare. Ita declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, iisdemque verbis ad dubia sibi proposita respondit, cujus responsa *Urbani VIII.* Auctoritate approbata, Tom. 4. Bullarii Romani p. 90. edita sunt.

Pacta vitanda in celebratione Missarũ atque turpes quæstus.

308. Cujusvis generis mercedum conditiones, & pacta pro celebratione Missarum, & quicquid pro Missis novis celebrandis datur; necnon importunas atque illiberales eleemosynarũ exactiones potiùs quàm postulationes, aliáque hujusmodi quæ à simoniaca labe, vel certe à turpi quæstu non longè absunt, omnino prohibere debent Episcopi. Ita jubet sacra Synodus Tridentina, Sessione 22. in Decreto de observandis & vitandis in celebratione Missæ; & meritò quidem: nam *Facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen* Sacerdos *non habet alios sumtus, & non tenetur ex Officio Missam cantare, potest accipere denarios (sicut conducti Sacerdotes faciunt)*

ciunt) non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ. Verba sunt *S.Thomæ* in 4. *Sententiarum*,Dist.25. Quæst.3. Art.2. Quæstiuncula 1. ad 4. Sanè turpis quæstus, qui in quosdam Viros Ecclesiasticos irrepsit, qui de Missarum celebratione artem facere lucrandi panem, ut loquitur alicubi *Caietanus*, dat locum Ecclesiæ gemitui, quæ hæc *S. Bernardi* verba usurpare potest: *Ipsa quoque Ecclesiasticæ Dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere, nec in his salus animarum, sed luxuria quæritur divitiarum: propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant*.

PARS I. Art. 4. §. 13.

309. ,, Qui Capellas obtinent, ipsi per ,, se, non alii eorum nomine, Missæ Sacri- ,, ficium, divináque Officia, quæ illarum ,, Rectores præstare debent, in illis cele- ,, brent, si modò vel aliud Ecclesiasticum ,, Beneficium, quod Residentiæ personale ,, munus requirat, non habeant; eóque im- ,, pediti, debita iis Capellis Officia gerere ,, non queant; vel earumdem institutione, ,, donationéve aut legato, aut donatione, ,, aut facultate ab Episcopo impetrata, in ,, illis obeundis Capellani Officiis alienâ ,, operâ ministerióve uti possint, vel aliâ ,, quavis ratione causâve impediti sint. ,, Singula verò ob quæ Capellanus aliquis ,, se à debito Capellani Officii munere im- ,, munem putet, afferátve quominus per se

Capellani munia sua per se obire debent, nisi legitimè impediantur.

,, ip-

PARS I. Art. 4. §. 14.

„ ipsum præstet, ab Episcopo cognoscan-
„ tur, ac probentur. Ita statuit Concilium
„ Mediolanense 4. sub *S. Carolo*.

§. XIV.

De Ceremoniis Missæ locum spectantibus.

In Ecclesia seu loco sacro Missa debet celebrari.

310. Quamvis Mundus universus templum sit Dei, & in omni loco puras manus ad ipsum attollere liceat, ut docet Apostolus 1. ad *Timotheum* 2. Sacrificium tamen in loco ritè consecrato decet offerri, scilicet in Ecclesia & Altari divino cultui dedicatis. Quamobrem rectè Canonibus constitutum est, ut Sacrificium Eucharistiæ extra loca ab Episcopo consecrata, vel Dei cultui designata non celebretur.

Ad celebrationem Missæ Altare necessarium est.

Absque Altari cõsecrato Missam celebrare nefas.

311. Non solùm in Æde sacra, sive Ecclesia, sed in Altari Missæ Sacrificium offerendum, Scriptura Sacra, & Apostolica Traditio docent. Altare, sive fixum, sive portatile ab Episcopo consecratum esse necesse est, ita ut absque Altari sic consecrato Missam celebrare sit nefas, gravitérque peccet quisquis aliter celebrat. Id constat ex Cap. *Nullus*, & ex Cap. *Altaria*, 2. Dist. 1. *De Consecratione*. Quamvis autem propter necessitatem Missa possit in domibus non consecratis, cum Episcopi licentia celebrari, ut

ut habetur Cap. *Missarum*, Dist. I. *De Consecratione*, non tamen sine Altari portatili, ut habetur Cap. *Concedimus*. PARS I. Art. 4. §. 14.

312. Altaria sive fixa, sive portatilia, sine Sanctorum Reliquiis, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo, consecrari non possunt. Sic enim ab Ecclesia statutum est, usúque veteri frequentatum. Caput, *Placuit*, Dist. I. *De Consecratione*, quòd sumptum est ex Concilii Africani Canone quinquagesimo, qui in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ octogesimus-tertius est, Altaria sine Reliquiis Martyrum erecta jubet everti. *Placuit ut Altaria, quæ passim per agros & per vias, tanquàm Memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur*. Pontificale Romanum in Altaribus tam fixis quam portatilibus Reliquias condi jubet, quando consecrantur. Unde Sacerdos ad Altare accedens ante Introitum Missæ orat, secundùm Romanæ Ecclesiæ Ritum, *Per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hìc sunt*, ut Communio Militantis Ecclesiæ cum Triumphante significetur, & ad Sacrificium dignè celebrandum implorentur Martyrum suffragia, quorum Animas sub Altari Dei S. Joannes in cœlis vidit. (*Apocal.* 6.)

Altare sine Sanctorum Reliquiis cõsecrari non potest.

313. Ecclesia consecrari non potest, nisi ab Episcopo, qui Consecrationis hujus Offi- cium

Ecclesia consecrari

PARS I. Art. 4. §. 14. *non potest nisi ab Episcopo, nec debet sine dotet.*

cium alteri committere non potest, qui non sit Episcopus, ut colligitur ex Cap. *Nemo*, Dist. 1. *De Consecratione*, quod ex Concilio Aurelianensi 3. sumtum est. Nec sine dote competenti consecrari debet, imò nec ædificari. (Ad Ecclesiam porrò dotandam tenetur Fundator, vel ejus hæres, qui dotis instrumentum in manibus Episcopi deponere debent) ut statuit Concilium Bracarense 2. Canone 5. qui refertur Cap. *Placuit*, Causa 1. Quæst. 2. & *Honorius III.* Extra, *De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*, Cap. *Cùm sicut*. Tam *Dominicis diebus*, *quàm privatis*, consecrari possunt Ecclesiæ, ut respondet *Innocentius III.* Tornacensi Episcopo, Cap. *Tua*, eodem titulo: quamvis decentiùs fiat hujusmodi Consecratio Dominicis diebus, vel in Sanctorum Solemnitatibus, ut habent Pontificalis Romani Rubricæ. Idque Concilii Cęsaraugustani 3. Canone 1. olim statutum est. Non tamen sine Celebratione Missæ, ut statuit *Vigilius* Pontifex Maximus Epistola ad *Eutherium*, & refertur Distinct. 1. *De Consecratione*, Cap. *De Fabrica*.

Quibus diebus & an sine Missæ celebratione?

Quibus casibus iterũ consecrari debet Ecclesia?

314. Censetur Ecclesia consecrata, cùm aliquâ scripturâ vel dotis instrumento probatur consecratio, sive in libro Ecclesiæ, sive in columnâ, sive in tabula marmorea, aut simili monumento, fidem faciente, memoria illius habeatur: vel unius etiam testis oculati, aut qui à fide dignis consecratam

au-

audierit, assertione. Si autem de Ecclesiæ Consecratione dubitatur, & nec certa scriptura, nec certi testes Consecrationis existunt, absque ulla hæsitatione consecranda est: quia *Non monstratur iteratum, quod nescitur factum*; ut habet Cap. *Solemnitates*, Distinct. 1. *De Consecratione*. PARS I. Art. 4. §. 14.

Duo alii Casus.

315. Duo præterea sunt casus, in quibus Ecclesia consecrata debet iterum consecrari. Primus est, si combusta fuerit, & parietes incendio consumti, vel diruti, vel omnino, seu ex majori parte decrustati sint, ut constat ex Cap. *Ecclesiis*, Dist. 1. *De Consecratione*, & ex *S. Antonino*, 3. P. Tit. 10. Cap. 5. Si autem solum tectum combustum fuerit, iterum consecrari non debet, ut respondet *Innocentius III.* Cap. *Ligneis*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ*. Alter casus est, si tota Ecclesia, vel major pars destructa fuerit: secùs si solum tectum, & parietes integri manserint, qui Chrismate delibuti sunt: ut ex eodem Capite colligitur. Si verò parietes successivè fuerint restaurati, eadem Ecclesia censetur, ideóque sufficit ut Aquâ benedictâ reconcilietur, & Celebratione Missæ; ut habetur Cap. *De Fabrica*, Dist. 1. *De Consecratione*.

In Ecclesia violata celebrare non licet.

316. In Ecclesia violata, sive polluta, celebrare non licet: id qui fecerit, gravis peccati reus est, quamvis Irregularitatem, aliámve Censuram non incurrat, ut respondet *Bonifacius Septimus* Cap.

PARS I. Art: 4. §. 14.

Is qui, in Sexto: Id verò diſcriminis Gloſſa conſtituit inter eos qui celebrant in loco interdicto, & qui in loco polluto, quòd primi contrahant Irregularitatem, non ſecundi; puniri tamen debeant ad arbitrium Superioris.

Quibus Caſibus violata cenſetur Eccleſia? 1. Propter Homicidium in ea perpetratũ vel enormem ſanguinis effuſionem. Varii circa hoc caſus reſolvuntur.

317. Quatuor porrò in caſibus polluitur ſeu violatur Eccleſia. Primò propter *Homicidium* in ea perpetratum, vel enormem *ſanguinis effuſionem*, ex percuſſione gravi & injurioſa ortam, ut conſtat ex Cap. *Eccleſiis*, Diſt. 1. *De Conſecratione*, & ex Cap. *Propoſuiſti*, quod eſt *Innocentii III.* Compoſtellano Archiepiſcopo reſpondentis. Si verò ex levi percuſſione elicitur ſanguis, quamvis magnâ copiâ, ut in rixis puerorum contingit, non polluitur Eccleſia; nec etiam violatur, cùm aliquis lapide fortuitò cadente occiditur, vel ex amentiæ furore ſeipſum occidit, vel aggreſſorem ob neceſſariam & juſtam ſuæ vitæ defenſionem necat, quia mors illata non eſt per contentionem & malam voluntatem. Item ſi quis vulnere extra Eccleſiam accepto, in Eccleſiam fugiens moriatur, nulla fit Eccleſiæ contaminatio, quia injuria in ea non eſt illata: contra verò, ſi quis in Eccleſia vulneretur, & extra moriatur: aut ſi quis ex jaculo aut glande ab homicida foras exiſtente miſſis occidit. Si verò in Eccleſiæ tecto, aut ſub Eccleſia, in cellis vel cubiculis ſubterraneis occidatur, Eccleſia propterea non violatur. At ſi quis graviter

viter percutitur in Ecclesia, nec mors sequitur, aut sanguinis effusio, pollutáne censenda est? Pollutam esse negant *Panormitanus*, aliíque non obscuri nominis Autores; quamvis (inquiunt) aliquorum consuetudo non improbanda Ecclesiam in hoc etiam casu reconciliet ob aliorum terrorem. Si sententiam roger, violari non dubitanter asseram, si vulnus illatum est, quamvis nulla sanguinis effusio contigerit. Nitor Cap. *Proposuisti*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ*.

318. Secundò, violatur Ecclesia propter *Adulterium*, & qualemcunque *seminis* emissionem sponte procuratam, ut respondet *Alexander III.* Cap. *Significasti*, Extra, *De Adulteriis & stupro*, idémque constat ex Cap. *Ecclesiis*, Dist. 1. *De Consecratione*. Conjugalis etiam debiti redditionem casus iste complectitur: per hanc enim etsi nulla proximo, gravis loco sacro fit injuria. Si tamen hæc facinora sint occulta, nulla reconciliatione opus est, cùm Ecclesia de occultis non judicet, sed solùm cùm per se ipsa evidentia & nota sunt, vel reorum confessione, aut probatione juridica.

2. Propter Adulterium, & qualemcumque seminis effusionem voluntariè procuratam.

Quid de actu conjugali?

Quid si hæc sint occulta?

319. Tertiò, violatur Ecclesia, cùm in ea sepelitur *Infidelis* vel *Excommunicatus*; ut habetur Cap. *Ecclesiam*, 27. & 28. Dist. 1. *De Consecratione*, quorum primum ex Concilio Aurelianensi 3. alterum ex Concilio Agrippinensi sumtum est, & Cap. *Consuluisti*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ*, quod

3. Propter sepulturam Infidelis vel Excommunicati.

est

PARS I. Art. 4. §. 14.

est *Innocentii III.* ad Senonensem Episcopum rescribentis. Infidelium numero & loco hîc censentur infantes non baptizati: quamobrem si extra matris uterum positi sint, & seorsim ab ea sepeliantur, Ecclesia vel Cœmeterium violatur: secùs, si in utero matris mortui, simul cum ea sepeliantur, quia non sepeliuntur ut personæ distinctæ, sed ut partes matrum. Excommunicatum intellige, qui vel sit notorius percussor Clerici, vel nominatim denuntiatus: illos enim duntaxat vitandos esse docet Extravagans, *Ad evitanda*.

Quid de Pueris mortuis sine Baptismo?

Quis hic Excommunicatus?

320. Quartò violari Ecclesiam censent Canonici Juris Interpretes, & Theologi plerique omnes, (*Suaresio*, nonnullisque aliis exceptis) cùm ab Episcopo excommunicato dedicatur aut benedicitur. Si enim hominis excommunicati cadaver Ecclesiam polluit, multò magis ipsam contaminat Ministri excommunicati non Consecratio, sed Exsecratio, ut ex Juris analogia colligunt *Hostiensis*, *Panormitanus*, *S. Antoninus*, *Paludanus*, *Silvester*, *Tabiena*, *Navarrus*, *&c.*

4. Propter dedicationem factam ab Episcopo excommunicato.

321. Infidelis, & Excommunicati corpus in Ecclesia sepultum *exhumari debet*, foràsque projici, cùm ab aliorum corporibus discerni potest, secundùm Cap. *Ecclesiam*, Dist. 1. *De Consecratione*, & Cap. *Sacris*, Extra, *De Sepulturis*, quod est *Innocentii III*, Nidrosiensi Archiepiscopo res-

Excommunicati corpus exhumandum.

pon-

pondentis. Quod si excommunicatorum corpora discerni ab aliis non possunt, ibi relinquenda sunt, *Ne cum eorum ossibus corpora extumulentur Fidelium*: & nihilominus Ecclesia reconcilianda est.

An polluta Ecclesia, polluta sit cæmeterium, & è contrario?

322. Pollutâ Ecclesiâ, Cœmeterium pollutum censetur, si sit Ecclesiæ contiguum, non verò si ab ea remotum. Antequàm autem reconciliatum fuerit, nemo in eo sepeliri debet. At Polluto Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, non propterea polluta censeri debet Ecclesia, *Ne minùs dignum, majus; aut accessorium, principale ad se trahere videatur*. Non unum porrò, sed plura Cœmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur: *Ideòque violato eorum altero, alterum (licèt de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum*. Hæ regulæ traduntur Cap. *Si Ecclesiam*, Tit. *De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris*, in Sexto.

A quo reconciliari debet Ecclesia violata?

323. Cùm Ecclesiam consecratam violari contingit, *Per Episcopum reconciliari debet, non per Sacerdotes simplices*, ut respondet *Gregorius IX.* Asturicensi Episcopo, Cap. *Aqua*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris*, qui id deinceps fieri prohibet. Si autem Ecclesia consecrata non fuerit, à simplici Sacerdote, de mandato Episcopi reconciliari potest per Aquæ communi ritu benedictæ aspersionem, ut ex Cap. *Si*

PARS I. Art. 4. §. 14.

Ecclesia, colligitur eodem Tit. De Cœmeterii reconciliatione idem esto judicium.

Quibus casibus Altare Consecrationem suam amittit? Altare fixum.

324. Quamvis alia sit Consecratio Ecclesiæ & Altaris, ideóque una sine altera fieri possit, violatâ tamen Ecclesiâ, Altare fixum, quod est pars illius, pollutum est: & polluto vicissim Altari violata est Ecclesia. Altare tamen Consecrationem suam amittere potest, Ecclesiâ Consecrationem suam servante: Primò, si Mensa frangatur enormiter, præsertim in angulis ubi fit Consecratio, non autem si modicam fracturam passa fuerit. Secundò, si Mensa mota fuerit, id est, à stipite Altaris, seu lapidibus aut columnis eam sustentantibus avulsa, vel si aliquis de lapidibus stipitis tangens ipsam mēsam sit motus, ut ait *S. Raymundus* Lib. 3. Summæ. Tertiò, si moveatur aut frangatur sigillum sepulcri, in quo reconditæ sunt Sanctorum Reliquiæ, ubicumque sigillum istud constitutum sit, sive in superiori parte in ipsa mensa lapidea Altaris; sive ante Altare, vel in latere dextro Altaris; sive in ipso Altari sub mensa. Hæc traduntur Cap. *Ad hæc*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris*. Et Cap. *Quod in dubiis*, quod est *Innocentii III.* Tornacensi Episcopo rescribentis. Et Cap. *Ligneis*, eodem Tit. Quartò Consecrationem suam amittit Altare, si fiat in eo tantum augmentum, ut amittat formam; *Quia forma rei est esse rei*. Ita *S. Raymundus* & *S. Antoninus*.

325. Al-

325. Altare portatile Consecrationem amittit, cùm lapis à ligno avellitur, si sepulcrum seu conditorium Reliquiarum sit in ligno. Secundò, cùm sigillum sepulcri in lapide constituti movetur, sive lapis sit insertus ligno, sive non; salvô enim & integrô sigillô, Consecratione non excidit, quamvis à ligno separetur, quia Consecratio non fit in unione lapidis cum ligno, sed solius lapidis est. Additur autem lignum, ut commodiùs Calicem & Hostiam capiat. Tertiò, ex enormi lapidis fractione, ut colligitur ex Cap. *Ligneis*, & ex Cap. *Quod dubiis*, utque asserunt *Joannes Andreas*, *Panormitanus*, *Silvester*, & alii. *Altare portatile.*

XV.

De Ceremoniis, Altarium ornamenta, Vasàque, &c. spectantibus.

326. ALtaria singula mappis tribus mundis, unâ oblongâ, quæ ad imam eorum partem pertingat, duabusque reliquis brevioribus vestita esse debent, & palliô item coloris, pro festi diei, feriæve ratione decenter ornata. In unoquoque Altari in quo Missa celebranda est, Crux debet collocari. *Pallæ seu mappæ Altaris.* *Crux in Altari collocanda.*

327. Duo etiam Candelabra cum totidem cereis ardentibus, in Altari esse debent, unum in cornu Epistolæ, alterum in cornu *Duo cerei.*

PARS I. Art. 4. §. 15.

Evangelii, dum Missa celebratur, ex *S. Carolo* in Instructionibus. Quos ea exiguitate adhiberi, quæ in tanto Mysterio dedeceat, & adstantibus offensionem afferre possit, vetat Concilium Mediolanense 1. Qui sine lumine Missam celebraret, gravis peccati reus esset, ut constat ex Cap. *Litteras*, Extra, *De Celebratione Missarum*, quo *Honorius III.* Presbyterum qui sine lumine sacrificabat, Officio & Beneficio privandum statuit. Usus Ecclesiæ postulat ut sit ex cera, tum quia Deo optima quæque offerenda sunt, tum quia Acolythi quibus luminum cura demandata est, Ceroferarii dicuntur. Unde qui cum alio quàm cereorum lumine, citra summam celebrandi necessitatem, Sacrum faceret, gravis peccati reus esset.

Calix ex qua materia esse debeat.

328. Aurei, vel argentei Calices esse debent, aut saltem habere cupam argenteam, intus inauratam, simul cum Patena pariter inaurata, ut docet *S. Carolus* in Instructionibus De Celebratione Missæ, & Missalis Romani Rubricæ præscribunt. Quamobrem sicut vitreorum calicum usum abrogavit Ecclesia, quamvis olim toleraverit, vel ob inopiam Ecclesiarum, vel quia vasa aurea & argentea, ipsique Calices ad redemtionem captivorum, & alimoniam pauperum conflati fuerant: ita nunc stanneorum Calicum usum tollit quantùm potest, quamvis hujus metalli usum jus antiquum aliquo mo-

do

do toleret, Cap. *Ut Calix*, Dist. 1. *De Consecratione*. Cujus hæc sunt verba: *Calix Domini, cum Patena, si non ex auro omnino, ex argento fiat. Si quis autem tam pauper, saltem vel stanneum Calicem habeat. De ære & aurichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo vel vitreo Calice præsumat Missam cantare.* Ex Concilio Remensi nescio quo hoc Decretum referunt *Ivo Carnotensis* P. 2. Cap. 81. & *Gratianus*.

PARS I. Art. 4. §. 15.

Calicum munditiess

329. At *Richardus* Cantauriensis Archiepiscopus, *S. Thomæ* Martyris immediatus Successor, in Synodo à *Rogerio De Hoveden* relatâ, statuit ne consecraretur Eucharistia nisi in Calice aureo vel argenteo; & ne stanneum Calicem Episcopus benediceret. Et *S. Petrus Damiani* Opusculo 23. Cap. 1. acerrimè invehitur in Sacerdotes, qui stanneos vel etiam supparis cujuscumque metalli Calices sordibus inhorrescere patienter aspiciebant: *Et quod*, inquit, *non dignaretur Potens quilibet propriis adhibere labiis, in hoc isti Corpus non verentur imponere Salvatoris*.

Calicis Consecratio.

330 Calicis & Patenæ Consecratio ad Episcopos jure spectat, ut colligitur ex Cap. *Cùm venisset*, Extra, *De Sacra Unctione*, §. *Ungitur*, ex Pontificali Romano, & Ecclesiæ usu. Potestatem consecrandi Calices simplici Sacerdoti à Summo Pontifice com-

PARS I. Art. 4. §. 15.

mitti posse, plerique scribunt Canonici Juris Interpretes, & Casuum Arbitri.

Quando Calix Cõsecrationem suam amittit.

331. Consecrationem suam Calix amittit, cùm ita frangitur, ut ad usum Sacrificii sit inutilis, nimirum si cupa frangatur, vel à pede avellatur: si tamen calix esset tornatilis, ita per artem fabrefactus ut pes à cyatho absque ulla vi separari posset, consecrationem non amitteret separatione facta, siquidem nulla fractio fieret, ut *Barbosa*, aliique censent, licèt quidam contrarium teneant. Quamvis enim in cyatho à pede separato fieri consecratio non possit, quia figura calicis non manet: si tamen à sacro Ministro cyathus tornatilis pedi ante Missæ Consecrationem rursus inseratur, non videtur opus esse nova consecratione, cùm eadem figura maneat, nihilque detractum, nihil additum sit. Secundò, nova consecratione pariter indiget Calix argenteus, cùm post consecrationem deauratur, vel cùm tota deauratio interior deteritur: quia consecratio fit in superficie illa interiori, quæ non manet eadem. Si verò ab aurificibus ita percutitur Calix, ut tamen integer maneat, nec interior cupæ superficies mutetur, novâ consecratione non eget.

Corporale.

332. Ad celebrationem Missæ omnino etiam necessarium est Corporale, seu Palla linea, in qua Christi Corpus consecretur. Constituisse dicitur *S. Sylvester* ut Sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tin-

tincto, sed tantùm in lineo ex terra procreato consecraretur, sicut Corpus Domini in sindone linea, & munda sepultum est. PARS I. Art. 4. §. 15.

333. Corporalia debent ablui à Clerico in sacris Ordinibus constituto, tertio quoque mense, & crebriùs, si opus fuerit, ut jubent *S. Carolus* in Instructionibus, Concilium Rothomagense, 1581. Aquense 1581. Synodus Carnotensis 1576. Turonensis 1583. Concilium Mediolanense 1. statuit, *Ut Ornamenta & instrumenta Altarium pro celebratione Missæ, pura ac munda sint, præsertim Corporalia, & Purificatoria; quamobrem etiam vino albo, ubi possit, tantummodo ad Missæ Sacrificium Sacerdotes utantur.* *A quo ablui debent Corporalia?*

334. Absque Libro Missali non licet Missam celebrare: si desit, à celebratione Missæ abstinendum est, quæcumque necessitas urgeat. Qui sine Missali celebraret, graviter peccaret: tum quia se exponeret periculo errandi in verbis Canonis, imò & Consecrationis, cùm, & optimæ memoriæ viros aliquando fallat memoria: tum quia violaret generalem Ecclesię consuetudinem. Idem esto judicium de illo qui sine Calice & Patena consecratis, sine Corporali, sine Pallis Altare vestientibus, sine lumine, sine aliqua denique sacrarum vestium celebraret. Hunc, inquam, mortalis peccati reum censent *S. Antonius*, & alii post ipsum Casuum Arbitri. *In his* enim *rebus, de quibus* *Missale.*

Pars I. Art. 4. §. 16.

nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta Majorum pro lege tenenda sunt. Et sicut prævaricatores divinarum Legum, ita contemtores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt: ut habetur Cap. *In his*, Dist. 11. cujus prima pars ex Epistola *S. Augustini* ad *Casulanum* sumta est.

§. XVI.

De Ceremoniis Sacra Sacerdotum Indumenta spectantibus.

Sex vestes necessariæ.

335. Sacerdoti porrò Missam celebraturo sex vestes sunt necessariæ, *Amictus*, *Alba*, *Cingulum*, *Manipulus*, *Stola*, *Planeta* seu *Casula*. Quæ omnes benedictæ esse debent, ut statuitur Cap. *Vestimenta*, Dist. 1. *De Consecratione*. Ab Episcopo, vel aliquo Summi Pontificis Privilegium habente Sacerdote, benedictę esse oportet. Id autem Privilegium Prælatis Regularibus à *Leone X.* concessum est, ita tamen ut pro suarum dumtaxat Ecclesiarum usu Ornamenta Ecclesiastica benedicere valeant, ut respondit Sacra Congregatio Rituum 25. Augusti 1609. cujus Decretum commemorat *Gavantus* in Commentario ad Rubricas Missalis Tom. 1. Part. 4. Tit. 19. Num 21. & *Barbosa* Lib. *De Officio & Potestate Episcopi*, P. 2. Allegatione 27. Num. 44.

Benedictæ.

A quo benedici possint Ornamenta Ecclesiastica?

Advertant Prælati Regulares.

44. Episcopum hujus benedictionis officium committere non posse simplici Sacerdoti, respondit Sacra Rituum Congregatio, ut referunt *Possevinus* Lib. *De Officio Curati*, Cap. 2. Num. 37. & *Barbosa* loco mox laudato, Num. 42. PARS I. Art. 4. §. 16.

„ 336. Cùm Casula duplicata est, cùm „ possit esse simpla (inquit *S. Antoninus* Tit. „ 13. Cap. 6.) super quamlibet partem fit „ benedictio: unde in celebrando vesti po„ test ex utraque parte. Et si una pars amo„ veatur ab alia, remanet benedicta, & po„ test cum ea celebrari. Idem esto judicium de Stola duplici. E longo manipulo licet facere stolam, & contra de brevi stola manipulum vel cingulum, quia omnia hæc vera benedictione consecrantur. *Casula duplicata.* *E manipulo fieri potest stola, è stola cingulum.*

337. Cùm sacra vestimenta resarciuntur propter paupertatem, si ita franguntur ut apta non sint ad usum ad quem fuerant destinata, aut priorem figuram ampliùs non retineant, verbi gratia, si ex Alba abscindatur manica, nova benedictione indigent. *Quando vestimenta nova egent benedictione.*

338. Vestes sacræ ad profanos usus adhiberi, absque sacrilegio non possunt, ut habetur Cap. *Ad Nuptiarum*, Dist. 1. *De Consecratione*, nec ab aliis nisi à sacratis hominibus in Ecclesiasticis Officiis ferri debent, ex Cap. *Vestimenta*, ibidem. Quamobrem quæ ita detritæ ac laceræ sunt, ut sacris Ministeriis ampliùs servire non possint, combu- *Vestes sacras ad usus profanos adhibere nefas.*

ri

PARS I. Art. 4. §. 17.

ri debent, eorúmque cineres in piscinam; vel in locum mundum ab hominum vestigiis remotum inferri, ex Cap. *Altaris*, ibidem.

Vestes profanæ in sacros usus converti possunt.

339. Vestes profanas virorum aut mulierum nobilium in sacros usus converti posse, quamvis neget Glossa Capitis, *Ad Nuptiarum*, censent Theologi insignes, *Angelus de Clavasio*, *Silvester*, *Silvius*, &c. Quæ probabilior sententia est, cùm ad Tabernaculi Veteris ornatum, cultúmque, & ad vestes sanctas conficiendas, viri cum mulieribus præbuerint armillas & inaures, annulos & dextralia, hyacinthum & purpuram, &c. ut refertur *Exodi* 34. Ex vestibus itaque pretiosis mulierum illustrium Casulas, aut Altaris ornamenta fieri posse, cùm eas Ecclesiæ offerunt, nemo dubitet.

§. XVII.

De Ceremoniis tempus spectantibus.

Qui quotidie celebrare teneantur.

340. SAcerdotem quemlibet quotidie celebrare posse, debita præparatione præmissa, certum est. Nemo tamen quotidie celebrare tenetur, nisi fortè ratione Capellaniæ vel alterius Beneficii. Quo casu, is cui onus istud incumbit, à celebratione interdum abstinere potest, vel ex causa infirmitatis, vel ex alia legitima, reverentiam præsertim Sacramenti spectante. Nec propterea tenetur ad aliquid restituendum, vel

ad

ad celebrandum per ſubſtitutum, ſi Chartâ fundationis ſimpliciter cautum ſit ut Beneficiarius Miſſam quotidie celebret. Id enim ita intelligendum, ut teneatur aſſiduè, & quantò frequentiùs poteſt, celebrare, ſalvâ reverentiâ Sacramento debitâ, ſalva item Sacerdotis honeſtate & devotione. Ita cenſent *Angelus De Clavaſio*, *Silveſter Prierias*, *Tabiena*, *Navarrus*, *Silvius*, & alii: Quia (inquiunt) aliter obligare Sacerdotem ut quotidie celebret, onus eſſet gravius, quàm ut ferri poſſet.

Quandonam Beneficiarius alium ſubſtituere teneatur, qui ipſius loco celebret?

341. Quapropter ſi Beneficiarius ille ægritudine detineatur minimè diuturna, octo verbi gratia aut quindecim diebus, non tenetur alium ſubſtituere Sacerdotem, qui Miſſas dierum illorum celebret, niſi fortè ad hoc fundatæ eſſent aut inſtitutæ, ut Populus Dominicis ac Feſtis diebus Miſſam audiret. Et ſi abſque ægritudine, ex legitima cauſa, quandoque à Miſſarum celebratione abſtineret, non peccaret, neque reſtitutionis lege teneretur. Secùs verò ſi propter ludum, ebrietatem, venationem, aliáſve ſimiles cauſas, ſecundùm ſe, vel comparatè ad Statum Clericalem & Sacerdotalem minimè honeſtas, aut legitimas. Hæc reſponſio firmatur autoritate *Alexandri III.* Cap. *Significatum*, Extra, *De Præbendis & Dignitatibus*. At ſi Fundationis tabulis cautum ſit ut quotidie celebretur, nullo Sacerdotis habito delectu, Beneficiarius abſti-

nere

PARS I. Art. 4. §. 17.

nere legitimè non poteſt, niſi ſubſtituat alium, qui vice ipſius celebret; quia tunc onus impoſitum non ita grave eſt quin fieri poſſit.

Hora celebrandi.

342. Quod ſpectat horam celebrandi Miſſam; olim quidem, etiam *S. Thomæ* temporibus, celebrabatur ab hora tertia uſque ad nonam, ſive ab ea quæ nobis eſt nona ante meridiem, uſque ad tertiam pomeridianam: interdum verò noctu, ut in Feſto Nativitatis Domini, & Sabbato Sancto. Poſtea tamen tempus ad celebrandum ſtatutum eſt ab Aurora uſque ad Meridiem. Per auroram autem intelligitur primum diei crepuſculum, ita ut Miſſam inchoare liceat unâ, imo hyemali tempeſtate, duabus horis ante Solis ortum. Si neceſſitas Euchariſtiæ infirmo adminiſtrandæ urgeat, nec habeatur Hoſtia conſecrata, ampliùs anticipare licebit: necnon ex Privilegio, quod ab Epiſcopo concedi poſſe juſtâ de causâ, extra dubium eſt (inquit *Silvius*.) Poſt Meridiem verò celebrare non licet, niſi ad modicum tempus inchoatio Miſsæ prorogetur, ita ut ante mediam horam poſt Meridiem Sacerdos Miſsam incœperit. Denique Sacra Synodus Tridentina Seſſione 22. in Decreto De obſervandis & evitandis in celebratione Miſsæ: *Epiſcopi*, inquit, *edicto & pœnis propoſitis caveant, ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent*.

An Sacer-

343. Quamvis multi dies fuerint in Ecc-

cle-

clesia veteri, quibus ab uno Sacerdote plures Missæ celebrabantur, ut probat Doctissimus Cardinalis *Bona* Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. 18. ex præsentis tamen temporis disciplina plures quàm unam celebrare non licet, excepto die Natalis Domini, vel casu necessitatis urgentis, & Episcopi judicio probandæ, & cum ejus concessione. Id probat *Alexandri III.* Decretum, Cap. *Sufficit*, Dist. I. *De Consecratione*. Item Responsum *Innocentii III.* Cap. *Consuluisti*, Extra, *De Celebratione Missarum*.

PARS I. Art. 4. §. 17. *dos plures Missas una die celebrare possit?*

344. Qui Missam inchoavit, illam absolvere debet, nec imperfectam, sine gravissima causa, relinquere potest: alioqui gravissimi peccati reus erit, & suspensione ab Ordinis executione plectendus, ut constat ex Cap. *Nihil*, Causa 7. Quæst. I. & ex Decreto *Zachariæ*, Cap. *Nullus*, Dist. I. *De Consecratione*. In quibusdam tamen casibus Sacerdos Missam non absolvens, à peccato excusatur.

An Missam imperfectam relinquere, vel intermittere liceat?

345. Primus est impotentia facti subitò superveniens, ut deliquium, mentis alienatio, gravis infirmitas, quæ volentem & conantem Sacerdotem absolvere non sinit Sacrificium.

Primus Casus.

346. Secundus est, memoria impotentiæ juris, ad quam ante non advertit Sacerdos, ut si meminerit se non esse jejunum, vel se esse alicujus lethalis peccati reum; aut aliqua Censura Ecclesiastica irretitum: si enim

Secundus.

PARS I. Art. 4. §. 17. enim ante Consecrationem aliquod hujusmodi impedimentorum occurrat memoriæ, nullúmque scandalum timeatur, cessare debet: si absque scandalo cessare non possit, contritus, cum proposito quam primùm confitendi, petendi absolutionem, & satisfaciendi, Sacrum perficiat, autore *S. Thoma*, & secundùm Rubricas Romani Missalis.

Tertius. 347. Tertius est, si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante inchoationem Canonis: cœpto enim Canone Missa in eodem Altari absolvenda est. Idem esto judicium, si Sacerdote celebrãte Interdictum aut Cessatio à Divinis denuntietur: aut notorius Clerici percussor, vel alius Excommunicatus nominatim denuntiatus Ecclesiam ingrediatur, nec jubente Sacerdote egredi velit.

Quartus. 348. Quartus, si hostilis incursûs, alluvionis, incendii, vel ruinæ loci ubi celebratur, proximum periculum immineat. Si enim peracta nondum sit Consecratio, Missa dimittenda est: si peracta, potest accelerari sumtio Sacramenti, omnibus aliis prætermissis, si extremum periculum urgeat: vel auferri Sacramentum cum Corporali, si solâ fugâ periculum evadi possit.

Exceptio. 349. Si tamen viri infideles aut impii in Religionis contemtum Sacerdoti minas mortis intentarent, eúmque occidere, aut ignem Ecclesiæ admovere vellent, nisi Sacrificium imperfectum relinqueret, victimam

mam se Christo devovere, & Martyrium subire potiùs teneretur, quàm à Sacra Actione cessare.

350. Missæ notabilis interruptio, grave peccatum est, nisi legitima causa subsit, ut Baptismi, aut Sacramenti Pœnitentiæ, infanti, vel adulto in mortis periculo constitutis administratio, Ordinum Collatio, Concio, vel promulgatio Edictorum Ecclesiæ, susceptio votorum solemnium, quæ intra Missarum solemnia fieri solent.

Missæ interruptio an & quãdo liceat?

351. An verò Missa possit interrumpi, si Episcopus, aut eô Major, vel Princeps aliquis adveniat, qui Missam die festo audire non poterit, nisi Sacerdos qui eam incœpit, & Evangelium fortè ac Symbolum recitavit, illam ab Introitu incipiat, Casuum Arbitri dissentiunt. Quamvis non incelebre sit asserentium nomen, sententiæ neganti libentiùs subscribo: quia ordo Sacrificii potior esse debet, quàm hominum quavis dignitate conspicuorum commoda: tum quia via pateret abusui, & Sacerdotes lucri cupiditate, reverentiæ vel amicitiæ causâ, sive etiam metu alicujus incommodi, pro Nobilium aut Potentum quorumvis hominum voluntate, Missam interrumperent, & ab Introitu resumerent: tum quia vix id fieri posset absque Christianæ plebis offensione: tum quia Episcopus, aut Vir Princeps, modò necessariam diligentiam adhibuerit ut Missam integram audiat,

An ob adventum Principis?

PARS I. Art. 4. §. 17.

diat, Ecclesiæ præcepto satisfaciet audiendo quod reliquum est, præsertim si nondum facta sit Oblatio. Denique Concilium Mediolanense 1. vetat ne Sacerdotes, cùm ad Altare accesserint, *Ibi in mora sint Sacrificio cu usvis expectandi gratiâ: neve ob eamdem causam Mijsâ inchoatâ subsistant, aut ejus initium repetant*. Non licet etiam ratione solennis Supplicationis, Missam in una Ecclesia inchoare, & intermittere in alia Ecclesia absolvendum, ad quam Parochus cum Clero & Plebe solemni Ritu supplicaturus procedit.

Missa Officio diei congruere debet.

352. Ex Ecclesiæ Disciplina est ut Missa congruat Officio diei, quamvis privatas Missas votivas certis diebus interdum celebrari probet ex devotione, aut pro variis vivorum Fidelium necessitatibus, aut pro Defunctis. Diebus certè Dominicis & festis duplicis illas celebrari vetat, nisi pro præsenti Defuncto, ut Missalis Romani Rubricis & S. Congregationis Rituum Decreto præscriptum est: Contrarium usum reprehensione & emendatione dignum S. Antoninus judicat 2. P. Tit. 9. Cap. 10. §. 1. *Reprehensibile utique multum videtur etsi non damnabile, dimittere proprias occurrentes propter Missas Defunctorum vel alias ad instantiam Laicorum sine causa multùm urgente. Docendus est enim populus, non sequendus. Nos quoque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non*

Missæ votivæ quando possunt celebrari.

bis

his consensum præbere debemus. (inquit Cœlestinus Dist.62.Can.*Docendus.*)Quamobrem Hæteroclitæ (ut sincerè loquar) devotionis mihi videtur singulis diebus Missam de Rosario celebrare quodcumque festum occurrat. In Cathedralibus autem Collegiatis & Conventualibus Ecclesiis, cùm contingit Anniversarium, vel dies Depositionis Defuncti cani debent duæ Missæ, una scilicet pro Defunctis, & alia de feria vel de festo, si sit festus dies. Ita enim Rubricis Romani Missalis & Decreto S.Congregationis Rituum sancitum est.

ARTICULUS QUINTUS.

D E

SACRAMENTO POENITENTIÆ.

§. I.

De Pœnitentiæ Divisione, & Definitione.

Pœnitentiæ Divisio.

353. Poenitentia in interiorem & exteriorem dividitur. Interior propriè virtus est: exterior à Christo provecta est ad Sacramenti dignitatem. *Pœnitentia* quatenus virtus, *est sincera hominis ad Deum conversio, quâ peccata commissa detestatur & odio habet, propter Deum,* cum

Definitio Pœnitentiæ virtutis.

PARS I. Art. 5. §. 1.

cum gravi animi dolore, & cum firmo proposito deinceps non peccandi, sed malam vitæ consuetudinem, corruptósque mores emendandi; & spe veniæ à Dei misericordia consequendæ. *Pœnitentia* secundùm rationem Sacramenti spectata, *est Sacramentum in quo relapsis verè pœnitentibus & confessis, saltem cum proposito satisfaciendi, Sacerdotalis Absolutio impenditur.* Sive, *Signum sensibile ad reconciliationem eorum, qui post Baptismum lapsi sunt, à Deo institutum.*

Definitio Pœnitentiæ Sacramenti.

Variæ Pœnitentiæ nomina.

354. Varia sunt hujus Sacramenti nomina. *Pœnitentia* enim vocatur, quia necesse est ad justificationis gratiam post lapsum consequendam, ut peccatum homini displiceat; utque per veram Contritionem, & alia media à Deo præscripta & in Nova Lege à Christo instituta, suum homo peccatum destruat. *Sacramentum Reconciliationis* ab effectu vocatur: *Sacramentum Confessionis*, à parte conspicua, & ante remissionem peccati necessariâ: *Sacramentum Absolutionis*, ab actu Sacerdotis formam Sacramenti proferentis, cùm ait, *Ego te absolvo*; sicut Baptismus dicitur ab actu baptizantis, & dicentis, *Ego te baptizo*. Ita vocatur à Concilio Tridentino Sessione 14. Canone 10. & passim à *S. Leone*. Dicitur interdum *Manuum impositio*, à ceremonia externa; quæ tamen ut non est necessaria Sacramenti necessitate, ita nec huic Sacramento propria; siquidem Confirmatio & Ordinatio eodem no-

nomine designantur. Ab antiquis, *Tertulliano* maximè & *S. Cypriano*, vocatur *Exomologesis*, Græco nomine, id est, *Confessio*: item *Communicatio*, seu *Communio* & *Pax*, eò quòd Lapsi per Pœnitentiæ actionem, & Absolutionem Sacerdotis, restituerentur Communioni, & Eucharistiæ percipiendæ jus haberent, ad eámque dignè sumendam præparentur. *Secunda post naufragium tabula* sæpe vocatur à Patribus. Denique ab iisdem vocatur *Laboriosus Baptismus*. Ita *Clemens Alexandrinus* apud *Eusebium* Lib. 3. Historiæ, Cap. 17. Ita *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 40. in Sancta Lumina. Ita *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ 4. De Pœnitentia. Ita *S. Isidorus Pelusiota*, Lib. 1. Epistola 408. Ita *S. Joannes Damascenus* Lib. 3. *De Fide Orthodoxa*, Cap. 10. Ita *S. Isidorus Hispalensis*, Lib. 2. *De Officiis*, Cap. 24. Ita denique Concilium Tridentinum, Sessione 14. Cap. 2.

Pœnitentia virtus infusa nō acquisita.

355. Pœnitentia non est Virtus acquisita, sed infusa. Fidei namque dogma est, nos veram Pœnitentiam concipere non posse, quin cordibus nostris per Spiritum Sanctum infundatur. Unde Jeremiæ 31. 18. dicitur: *Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi Pœnitentiam.* Et Actuum 5. 31. dicitur: *Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dexterâ suâ, ad dandam Pœnitentiam Israëli, & Remissionem pecca-*

PARS I. Art. 5. §. 1.

torum. Et cap. 11. 18. *Ergo & Gentibus Pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Denique Concilium Tridentinum, Sessione 6. Canone 3. id ad fidem pertinere declarat. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; Anathema sit.*

Illius necessitas.

356. Pœnitentiæ Virtus lapsis in mortale aliquod peccatum quovis tempore fuit necessaria. Ita docet Concilium Tridentinum, Sessione 14. Cap. 1. *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur.*

Quibus gradibus ad eam perveniatur.

357. *S. Thomas*, & ex eo Concilii Tridentini Catechismus sex gradus distinxerunt, & ordine quodam disposuerunt, quibus veluti gradibus ad Pœnitentiæ virtutem pervenitur.

Gratia præveniens.

358. Primum illorum principium est Dei misericordia nos præveniens, & corda nostra ad se convertens, secundùm illud *Jeremiæ* Lamentat. 15. 21. *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*. Ut enim explicat Sacra Synodus Sessione 6. Cap. 5. *Justifi-*

stificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum est, hoc est, ab ejus vocatione, quâ, nullis eorum existentibus meritis vocantur: ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs-Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat: quipe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit. Unde in sacris Litteris cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, *libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus:* Converte nos, Domine, ad te, & convertemur: *Dei nos gratiâ præveniri confitemur.* Primus itaque gradus ad Pœnitentiam est gratia præveniens. PARS I. Art. 5. §. 1.

359. Secundus gradus est motus fidei, quo ad Deum tendimus. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit* (inquit Apostolus ad Hebræos 11. 6.) Atque illud in primis, *A Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu,* (ut loquitur Cõcil. Trident. Sess. 6. Cap. 6.) Ex quo sequitur, Fidem non esse Pœnitentiæ partem (quod commenti sunt Hæretici) cùm necessario Pœnitentiam antecedat. *Motus Fidei.*

PARS I. Art. 5. §. 1. *Timor servilis.*

360. Tertius gradus est motus timoris servilis, quo concussus peccator timore suppliciorum à peccatis revocatur. Atque huc spectare videtur illud *Isaïæ* oraculum, Cap. 26. 17. *Sicut quæ concipit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua, Domine.* Et illud Ecclesiastici I. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Ad hunc proinde timorem adhortatur Christus, Matth. 10. 28. *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

Spes.

361. Quartus gradus est motus spei, quam ex divinæ misericordiæ intuitu concipimus, fidentes Deum nobis propter Christum propitium fore: quâ spe erecti, vitam & mores emendare constituimus.

Caritas.

362. Quintus gradus est motus caritatis, quo peccatum displicet Pœnitenti secundùm seipsum, & quatenus Dei summè Boni offensa est, vel propter suam turpitudinem, non jam propter supplicia. *Sicque Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit*; ut loquitur Concilium Tridentinum Sessione 6. *Nam peccatum priùs incipit homini displicere, maximè peccatori, propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quàm propter Dei offensam, vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad caritatem*; (inquit *S. Thomas* 3. P. Quæst. 85. Art. 5. ad 1.)

363. Sex-

363. Sextus gradus est motus timoris filialis, quo propter Dei reverentiam pœnitens sponte satisfactionem offert, & peccatum in seipso vice divinæ justitiæ punire constituit. Quo timore animatus Filius prodigus ait: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum ex mercenariis tuis.*

PARS I. Art. 5. §. 1. *Timor filialis.*

364. Pœnitentiæ Sacramentum non est absolutè necessarium ad salutem; sed iis dumtaxat qui post Baptismum in mortale peccatum lapsi sunt. Doctrina est Trident. Concil. Sess. 14. Cap. 1. His verò necessarium est ad salutem, cùm necessitate præcepti, tùm necessitate medii: ita ut si facultas adsit, in re suscipi debeat: si desit facultas, & Sacerdos Sacramenti Minister, sufficiat ejus votum, ex Concilio Tridentino Sessione 14. Cap. 4. Votum, inquam, implicitum, quod in contritione includitur (ut docet *S. Thomas* in 4. Sententiarum, Dist. 17. Quæst. 3. Art. 5. Quæstiuncula 1.)

Pœnitentiæ Sacramentum quibus & quomodo necessarium?

365. Pœnitentia, sive interior, quæ virtus est; sive exterior, quæ Sacramentum est, sæpius iterari potest. Dogma istud fidei, Canone primo Sessionis 14. Concilii Tridentini confirmatum, probant Christi verba, *Matthæi* 16. & 18. & *Joannis* 20. quibus potestas solvendi peccatores, & peccata remittendi tribuitur Apostolis, & eorum Successoribus, nullâ restrictione factâ gravita-

Pœnitentia sive Virtus sive Sacramentum iterari potest.

PARS I. Art. 5. §. 1. tis, numeri, aut iterationis peccatorum.

Cur Pœnitentia potiùs iteretur, quàm Baptismus?

366. Quæres forsan, cur Pœnitentia potiùs iteretur quam Baptismus, cùm utrumque Sacramentum virtutem omnem hauriat ex Passione Christi, quæ una est, nec iteratur?

367. Respondetur, Id intercedere discriminis, quòd Baptismus virtutem habeat ex Passione Christi, sicut spiritualis quædam generatio, cum spiritali morte præcedentis vitæ conjuncta: statutum est autem omnibus hominibus semel mori, & semel nasci: & ideo semel tantùm debet homo baptizari. Sed Pœnitentia virtutem habet ex Passione Christi, sicut spiritualis Medicina, quæ frequenter iterari potest. Sic respondet *S. Thomas* 3.P. Q. 84. A.10. & in 4. Sententiarum, Dist.14. Q.1. A.4. Quæstiunc.3. ubi & alias discriminis rationes affert. *Erroneum est dicere*, inquit, *quòd Pœnitentia non possit iterari, & misericordiæ divinæ contrarium. Causa autem quare iteratur, cùm Baptismus non iteretur, est quadruplex.*

Quadruplex causa.

Prima est, quia Pœnitentia non imprimit Characterem sicut Baptismus; Character enim indelebilis est. Secunda, quia Baptisma est contra morbum non iterabilem, scilicet originale peccatum; Pœnitentia autem contra actuale peccatum, quod iteratur. Tertia causa est, quia Baptismus habet totam efficaciam à Passione Christi, sine actu nostro; & ideo quia Passio est una tantùm, & Baptismus

tismus est unus: sed Pœnitentia etiam requirit actum nostrum; & ideo ratione ejus iterationem suscipit. Quarta, quia Baptismus est generatio spiritualis; sed Pœnitentia est quædam sanatio spiritualis: semel autem aliquis generatur, sed pluries curari sive sanari potest, quamdiu in hac vitâ vivit. PARS I. Art. 5. §. 2.

368. Spectari potest iterum Pœnitentia secundùm actum, & secundùm habitum. Priori quidem modo spectatam necesse est somno saltem, & aliis quæ ad corporis necessitates pertinent, interpellari. Posteriori modo, continua esse debet [inquit *S.Thomas*, Art. 9. ejusdem Quæst. 84.] *& quantùm ad hoc quòd homo nunquam aliquid contrarium Pœnitentiæ faciat, per quod habitualis dispositio Pœnitentis tollatur; & quantùm ad hoc quod homo debet in proposito gerere, quòd semper sibi præterita peccata displiceant.* *Pœnitentia actualis & habitualis.*

§. II.

De Pœnitentiæ Effectibus.

369. Effectus Pęnitentiæ est omniū Remissio peccatorum & reatus pęnæ æternæ, quamvis debitum pœnæ temporalis non semper tollat. Prima pars Propositionis ex Scriptura Sacra perspicua est, Ezechielis 18. 21. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fece-* *Effectus Pœnitentiæ Remissio omniū peccatorū, & reatus pęnæ ęternnæ.*

PARS I. Art. 5. §. 2.

fecerit judicium & justitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Quod quidem de ęterna & beata vita intelligendũ esse, planè constat. Unde Christus ipse Dominus Regnum Cœlorum Pœnitentiæ pollicetur Præcursoris sui voce, *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Et certè cùm peccator per Pœnitentiam ex injusto fiat justus, ex inimico amicus, ex servo peccati filius adoptivus Dei, fit *Hæres secundùm spem vitæ æternæ*, ut loquitur Concilium Tridentinum, Sessione 6. Cap. 7. Qui autem jus habet ad vitam æternam, non remanet reus æternæ damnationis: siquidem *Nibil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; (ex Apostolo ad Romanos 8.) Pars altera Propositionis non minùs certa est.

Non vero temporalis.

Quamvis enim contritio & caritas Pœnitentis tanta & tam fervens esse possit, ut non solùm pœna æterna, sed & temporalis ipsi statim remittatur; id tamen semper non fieri, sed post suam reconciliationem cum Deo, & acceptam justificationis gratiam, ipsum frequenter pœnæ temporalis debitorem manere, probat exemplum *Davidis* Regis, cui homicidii & adulterii crimina propter Pœnitentiam condonata sunt, pęna tamen temporalis irrogata est. II. Regum 12. 13. *Dixitque Nathan ad David; Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti ini-*

inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.

PARS I. Art. 5. §. 2. *Cur pœna peccati per Pœnitentiam non semper tota condonetur, sicut per Baptismum?*

370. Quamvis autem Baptismô non solùm pœna æterna, sed etiam temporalis penitus condonetur, quia Passio Christi homini applicatur ut in ipso renascenti, & in ejus familiam per ipsum Baptismi Sacramentum cooptato: non tamen tota semper condonatur pœna per Pœnitentiam; quia Passio Christi Pœnitentibus applicatur tanquàm ingratis, & ab innocentia Baptismali lapsis. Unde misericordiam justitiâ temperatam in ipsos exercere Deus statuit, ut scilicet concessâ veniâ peccatorum, & soluto pęnę ęternæ reatu, nihilominus pœnam temporalem exigeret, vel in hoc sæculo, vel in altero luendam. Quod Satisfactionum, Indulgentiarum, & Purgatorii fundamentum est. Quamobrem Sacra Synodus Tridentina Sessione 14. Cap. 8. declarat. *Falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur: perspicua enim & illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur; quibus, præter divinam Traditionem, hic error quàm manifestissimè revincitur. Sanè & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui semel à peccati & dęmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs-Sancti dono, scientes templum Dei violare,*

lare,

PARS I. Art. 5. §. 2.

lare, & Spiritum-Sanctum contristare non dubitaverint,

Homo per Pœnitentiam, gratiam, & Virtutes recuperat

371. Homo per Pœnitentiam, gratiam & virtutes recuperat. Id significatur Parabolâ Filii Prodigi, cui Pater jussit restitui *Stolam primam, & annulum, & calceamenta*, ut habetur *Luc. XV.*

Pœnitens interdum gratiam recipit uberiorem.

372. Quamvis autem innocentiam baptismalem Pœnitens recuperare non possit, interdum tamen gratiam recipit uberiorem, ut docet *S. Gregorius*, Homiliâ 34. in Evangelia, ubi in eum sensum dominica illa verba interpretatur: *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem Justis, qui non indigent Pœnitentia.* Quia, inquit, plerumque experimur, quòd *Hi qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cœlestem Patriam anxiè non anhelant, tantòque sibi in rebus licitis usum præbent, quantò se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua: quia valde sibi securi sunt quòd nulla commiserint mala graviora. At contra nonnunquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei; seséque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, ac-*

cep-

ceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cęlestem Patriam anhelant; & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Majus ergo de peccatore converso, quàm de stante justo gaudium fit in cælo: quia & Dux in prælio plus eum Militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam ampliùs terram amat, quæ post spinas, uberes fruges profert, quàm eam quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit.

Iure ab Ecclesia sancitum est ne graviorum criminum reis, tametsi Pœnitentibus, Ecclesiasticæ Dignitates, vel sacrorum Ordinum Ministeria restituerentur.

373. Quamvis porrò Deus Peccatorem Pœnitentem in primariam & præcipuam dignitatem restituat, ut divinæ consors fiat naturæ & inter filios Dei per gratiam censeatur; jure tamen ab Ecclesia constitutum est, ne graviorum quorumdam criminum reis Ecclesiasticæ Dignitates, vel Ordinum Ministeria restituerentur, vitandi scandali, & sanciendæ disciplinæ causâ, ut explicat *S. Augustinus*, Epistolâ 185. aliàs 50. *Ad Bonifacium Comitem*. Hinc certis criminibus annexa Irregularitas, quæ Pœnitentiâ non solvitur.

Opera mortua nunquam per Pœni-

374. Certum est opera ex genere suo bona, sed nihilominus mortua, quia edita sunt ab homine gratiâ & caritate, quæ spiritalis vitæ principia sunt, destituto; nusquam per Pœnitentiam reviviscere: quia fieri

tentiam revivi∫cunt.

fieri non poteſt ut reviviſcat, quod nunquam vixit, & omnino periit. Opera autem illa nunquam ex principio vitæ, ſcilicet ex caritate proceſſerunt: quamobrem per Pœnitentiam non reviviſcunt. Nec Deus rationem eorum habet ullam, ut ea remuneret in vita æterna, quæ ſolis operibus vivis, id eſt, ex caritate factis promiſſa eſt: quamvis illa interdum præmio aliquo temporali remuneret.

Opera bona, ſubſequente peccato mortificata, reviviſcunt per Pœnitentiam.

375. Verùm bona opera ſubſequente peccato mortificata, per Pœnitentiam reviviſcunt, id eſt, recuperant efficaciam perducendi hominem, à quo ſunt edita, in vitam æternam, *Secundùm quòd remanent in acceptatione divina*, ut loquitur *S. Thomas*. Hanc enim efficaciam amiſerant vaſtante peccato, quo indignus factus fuerat vitâ æternâ. Iſtud autem impedimentum Pœnitentiâ removetur. Hinc *Ezechielis* 18. de Peccatore Pœnitente dicit Dominus: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet*. Antiquorum autem peccatorum Dominus recordaretur, ſi opera olim in caritate & ex caritate facta nullo numero & loco haberet, & ſine præmio vitæ æternæ dimitteret, ob hujuſmodi peccata, de quibus acta Pœnitentia eſt.

§. III.

§. III.

De Materia Pœnitentiæ.

376. Duplicem Pœnitentiæ materiam distinguere Theologi solent, remotam nimirum, & proximam. Materia remota Pœnitentiæ sunt peccata detestanda & destruenda. Ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur; ita peccata, quæ Pœnitentiâ delentur, rectè hujus Sacramenti materia vocari possunt.

Materia Pœnitentiæ duplex remota & proxima.

Materia remota peccata destruenda.

377. Cùm autem plura sint peccatorum genera, scilicet originale, & actuale; idque aut mortale, aut veniale: peccatum originale non est Pœnitentiæ materia; cùm illud Baptismi Sacramento, ad id speciatim instituto, non Pœnitentiâ deleatur, quæ versatur duntaxat circa peccata propriâ voluntate commissa. Si tamen Pœnitentiæ vocabulum magis extensâ significatione sumatur, prout est displicentia & detestatio mali præteriti, peccatum originale Pœnitentiæ virtutis objectum quadantenus dici potest. Quis enim Fidelium non detestetur malum illud quod ab Adamo primo generis humani parente & capite, in quo omnes homines unus homo fuerunt, carnali generatione propagatum, omnes peccatores constituit, & tot malorum scaturigo fuit, ignorantiæ, ma-

Quæ peccata?

Non propriè peccatū originale, nisi quatenus pœnitentia est displicentia mali præteriti.

PARS I. Art. 5. §. 3.

litiæ, concupiſcentiæ, & infirmitatis; quibus omnes animæ vires vulneratæ ſunt & infectæ: mortis inſuper, quæ per peccatum in Mundum intravit? Dicente Apoſtolo ad Romanos 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Cui peccatum illud non diſpliceat, quod juſtitiæ originalis privatio eſt; & legis illius origo, quam in membris noſtris ſentimus legi mentis noſtræ repugnantem, & captivantem nos in lege peccati? Peccatum verò actuale mortale eſt propria & præcipua materia circa quam Pœnitentia verſatur: propria quidem, quia propriè nos pœnitet eorum quæ noſtrâ voluntate commiſimus: præcipua verò, quia hoc Sacramentum ad deletionem peccati mortalis principaliter inſtitutum eſt. Peccatum denique veniale propria quidem eſt & ſufficiens, ſed non præcipua & neceſſaria Pœnitentiæ Sacramenti materia: cùm abſque Confeſſione Sacramentali aut ejus voto, atque Sacerdotis Abſolutione remitti poſſit, aliis mediis ad ejus remiſſionem & expiationem inſtitutis.

Peccatum actuale mortale materia propria, & præcipua.

Veniale ſufficiens, & non neceſſaria.

378. Media porrò quibus remiſſio peccatorum venialium confertur, ſunt, primò fervor caritatis, virtualem quamdam illorum diſplicentiam includens, ut loquitur *S. Thomas*, cùm ſcilicet homo ita in Deum, rêſque divinas affectus eſt, ut quicquid illi occur-

Media quibus remittuntur peccata venialia.

1. Fervor

occurreret, quo motus ejus in Deum retardaretur, displiceret ei, & doleret se id commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret.

Secundò, remittuntur peccata venialia per Eucharistiam, Unctionem-Extremam, & omnia generatim Sacramenta Novæ Legis, in quibus gratia infunditur. Quamvis enim novæ gratiæ infusione ad remissionem peccati venialis non sit opus, sed motus aliquis & fervor caritatis sufficiat: quia tamen infusio gratiæ non fit in adultæ ætatis hominibus absque actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum; ita ut in illum se convertat, istud verò detestetur; ideo quoties nova gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. *2. Sacramenta vivorum.*

Tertiò, ad remissionem peccatorum venialium valent Sacramentalia, quatenus vel cum motu detestationis peccatorum conjuncta sunt, ut Confessio generalis, tunsio pectoris, & Oratio Dominica: vel cum motu reverentiæ in Deum, résque divinas, ut Benedictio Episcopalis, aspersio Aquæ Benedictæ, Oratio in Ecclesia consecrata, & alia hujusmodi. *3. Sacramentalia.*

379. Nunquam tamen peccata venialia remittuntur sine Pœnitentia virtute: remitti namque non possunt, quamdiu voluntas illis adhæret. Unde nec Martyrium venialia peccata delet, *Si actualiter voluntatem peccato inveverit inhærentem*; (inquit *S. Thomas*.) Nec Sacramentalia quæcumque ad remissionem peccatorum venialium conducunt, *Nunquã sine pœnitentia Virtute.*

PARS I. Art. 5. §. 3.

ducunt, nisi quatenus *Inclinant animam ad motum Pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum, vel implicitè, vel explicitè*; [ut loquitur idem Doctor Angelicus.] Sicut ergo fictio impedit effectum Baptismi; sic actualis ad peccatum veniale adhæsio, Sacramentalium, imò & Sacramentorum effectum impedit, quoad illius deletionem. Hæc autem remedia peccatorum venialium maculas abstergunt, *tum virtute alicujus satisfactionis, cùm etiam virtute caritatis, cujus motus per illa excitatur*. At pœnæ debitum non expungunt, nisi secundùm mensuram fervoris in Deum, quandoque magis, quandoque minus (inquit *S. Thomas*.)

Pœnitentia perfectior ad mortalis peccati quàm ad venialis remissionem requiritur.

380. Ad remissionem peccati mortalis perfectior Pœnitentia requiritur, quàm ad remissionem venialium. Necesse quippe est, *Ut homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantùm in ipso est*: adeóque *ut diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur*. Id autem minimè necessarium est ad remissionem peccatorum venialium; sed sufficit Pœnitentia virtualis. Ita docet *S. Thomas*, 3. P. Q. 87. A. 1.

Quæ Pœnitentia ad remissionem peccatorū mortaliū requiratur.

381. Virtualis Pœnitentia non sufficit ad remissionem peccatorum mortalium, nisi eorum quæ è memoriâ exciderunt, nec illi occurrunt *Post diligentem inquisitionem*. Ita *S. Thomas* ibidem.

382. *Sicut peccatum mortale remitti non*

non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret; ita etiam nec peccatum veniale. Manet enim veniale peccatum, quamdiu manet voluntas ad creaturam præter modum conversa, & ea conversione retardata, ne promptè in Deum feratur. *Amor* enim *rerum terrenarum, spiritualium viscum est pennarum*; (inquit *S. Augustinus*, Sermone 112, aliàs 33. De Verbis Domini.)

PARS I. Art. 5. §. 3. *Quæ ad peccatum veniale diluendũ.*

383. Pœnitentia de peccatis mortalibus includit necessariò propositum abstinendi ab omnibus & singulis hujusmodi peccatis: sed ad Pœnitentiam venialium necessarium quidem est propositum abstinendi à singulis, non tamen ab omnibus: *Quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur.* Omnia enim peccata venialia vitare impossibile est. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nemóque Justorum est, Deiparâ Virgine exceptâ, qui Oratione Dominica remissionem peccatorum precari non indigeat his verbis, *Dimitte nobis debita nostra.* Ad venialium peccatorum Pœnitentiam, homo *Debet habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi, cùm desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.* Ita *S. Thomas.* Ad venialia porrò peccata minuenda ille duntaxat paratus est, qui contra concupiscentiam pugnat,

Quodnam ad utramque Pœnitentiam peccata vitandi propositum.

PARS I. Art. 5. §. 3.

qui toto ſtudio collaborat ut in ſe *Deſtruatur Corpus peccati*, qui *Spiritu ambulat, & deſideria carnis non perficit*, qui *Spiritu facta carnis mortificat*, qui *Carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigit*.

Materia proxima Contritio, Confeſſio, & Satiſfactio.

384. Tres actus Pœnitentis, ſcilicet Contritio, Confeſsio, & Satisfactio, ſunt quaſi materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, ejuſdémque Sacramenti partes. Actus enim illi qui ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, & plenam ac perfectam peccatorum remiſsionem, ex Chriſti inſtitutione ſunt neceſſarii, hac ratione ſunt partes Pœnitentiæ: tres porrò iſti Pœnitentis actus ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, & plenam ac perfectam peccatorum remiſſionem ex Chriſti inſtitutione ſunt neceſſarii: ſunt igitur partes Pœnitentiæ. *Eugenius IV.* in Decreto pro Inſtructione Armenorum, & Sacra Synodus Tridentina Seſſione 14. Cap.3. & Canone 4. tres partes Pœnitentiæ aſſignant, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Tridentinus Canon his verbis conceptus eſt: *Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in Pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel*

vel Absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; Anathema sit.

Fides non est pars Pœnitentiæ, sed dispositio ad illam necessaria.

385. Fides quidem ad Pœnitentiam desideratur, ut dispositio necessaria, sicut superiùs diximus. Unde *Marc. I.* dicitur: *Pœnitemini, & credite Evangelio*: sed non est pars Pœnitentiæ. Quod si de fide quæ virtus est theologica certum est; multò certius est de fide speciali, seu certa fiducia remissionis peccatorum, ex promulgatione Evangelii conceptâ, quam Lutherus Pœnitentiæ partem esse voluit. Cujus errorem configit Canon Tridentinus. Quamvis etiam peccatores ad agendam Pœnitentiam sæpe divinitus incussis terroribus utiliter concutiantur, sicut Ninivitæ, qui ad Jonæ prædicationem *Plenam terroribus Pœnitentiam egerunt*: illi tamen terrores non sunt partes Pœnitentiæ, quæ posterior illis est. Nec verò sunt necessarii vel ad Sacramenti perfectionem, vel ad peccatorum remissionem: siquidem absque hujusmodi terroribus integrum est Sacramentum, & remissio peccatorum obtinetur, cùm peccator ex mero & sincero Dei amore compunctus, peccata confitetur, & impositam sibi satisfactionem implet, vel implendi propositum habet.

Cur tres actus Pœnitentis quasi materia Sacramenti

386. Dicuntur porrò tres illi Pœnitentis actus supra recensiti, *Quasi materia* Sacramenti Pœnitentiæ, non quòd veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecùs adhi-

PARS I. Art. 5. §. 3. *Pœnitentiæ à Cõcilio Tridentino dicantur?*

adhibeatur, ut aqua in Baptiſmo, & Chriſma in Confirmatione (inquit Concilii Catechiſmus:) & quia Contritio, Confeſſio, atque interdum Satisfactio, ſemper verò Satisfactionis adimplendæ propoſitum, formæ, id eſt, Abſolutionis ſacramentalis pronuntiationem præcedunt; cùm in ceterorum Sacramentorum adminiſtratione forma proferri debeat ſimul atque materiæ fit applicatio.

Sola Contritio nunquam ſuppleri poteſt.

387. Obſervandum nihilominus eſt, Confeſſionem & Satisfactionem ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ non eſſe ita neceſſarias ac Contritionem. Hæc enim ita neceſſaria eſt, ut ſuppleri nunquàm poſſit: illæ verò in extremo vitæ diſcrimine ſuppleri poſſunt, cùm homo vi morbi oppreſſus, linguę aut mentis etiam uſum ſubitò amiſerit, poſtquam externa quædam ſigna veræ Pœnitentiæ prodidiſſet. Tunc enim Sacerdos infirmum abſolvere poteſt, adſtantium teſtimonio, aut vitæ anteactæ & ſecundùm Legem Chriſtianam inſtitutæ ſuffragio, vicem Confeſſionis quodammodo ſupplentibus, cujus, utì & Satisfactionis propoſitum habuiſſe piè creditur homo qui Chriſtianè vixit, & qui ſigna Pœnitentiæ edidit, ac Sacerdotem vocari juſſit, apud quem peccata deponeret, antequam vox eum deficeret. Ita docet *S. Leo*, Epiſt. 82. alias 91. ad *Theodorum* Forojulenſem Epiſcopum.

§. IV.

§. IV.

De Contritione.

388. Contritio duplex eſt, ut docet Concilium Tridentinum, Seſſione 14. Cap. 4. perfecta ſcilicet, & imperfecta. *Contritio perfecta eſt dolor de peccato commiſſo, ex amore Dei ſuper omnia conceptus & caritate perfectus, cum propoſito non peccandi inpoſterum, & voto ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Contritio imperfecta*, quæ *Attritio* dicitur, *eſt dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu conceptus, peccãdique voluntatem excludens, cum ſpe veniæ.*

Contritio duplex perfecta & imperfecta. Quid perfecta? Quid imperfecta?

389. Contritio perfecta hominem Deo non reconciliat ſine voto Sacramenti Pœnitentiæ, quamvis ante Sacramentum actu ſuſceptum peccatorem juſtificet. Doctrina eſt Concilii Tridentini loco citato.

Qua ratione Contritio perfecta peccatorem juſtificet?

390. Contritio perfecta non eſt neceſſaria ad juſtificationem peccatoris in Sacramento Pœnitentiæ; ſed imperfecta, quæ vocatur Attritio, cum Sacramento ſufficit. Colligitur ex Concilio Tridentino loco mox laudato.

Contritio perfecta non eſt neceſſaria cum Sacramento Pœnitentiæ.

391. Attritio naturalis, ideſt, quam rationes merè naturales excitant, & quæ ſolis naturæ viribus concipitur; cùm ſcilicet quis

Attritio

PARS I. Art. 5. §. 4. *naturalis non sufficit.*

dolet de peccato commisso propter infamiam ex eo consecutam, aut aliud quodcumque motivum temporale non sufficit, etiam cum Sacramento, ad hominem Deo reconciliandum. Unde *Innocentius XI.* hac Propositionem damnavit: *Probabile est sufficere Attritionem naturalem, modò honestam.*

Propositio damnata.

Nec inefficax, qualem passim habent Usurarii, Concubinarii, aliique huiusmodi.

392. Attritio quâ quis dolet de peccato quatenus Dei offensa est, non tamen absolutâ & efficaci voluntate, non sufficit, etiam cum Sacramento, ad justificationem peccatoris. Hæc enim Attritio peccandi voluntatem & affectum non excludit, adeóque non est verus *Dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*, nec *Vitæ veteris odium, & vitæ novæ propositum & inchoationem* continet: quæ necessaria sunt omnino ad Contritionem tam perfectam, quàm imperfectam quæ dicitur Attritio. Unde & usurarii, & concubinarii, aliíque peccati mortalis habitu, consuetudine, & occasionibus implicati, dolent interdum de peccato quatenus Dei offesa est, non tamen absolutâ, sed inefficaci dumtaxat & suspensa voluntate, quæ velleitas nuncupari solet: quibus tamen inutilis est hujusmodi dolor, quia in peccatis nihilominus perseverant, & cùm Dei vocem interiùs loquentis audierint, corda sua sinunt obdurari fallaciâ peccati.

Attritio ex turpi-

393. Attritio ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum

rum metu concepta, utilis eſt, & ad juſtificationem diſponit. Gehennæ ſive pœnæ æternæ timorem ex fide conceptum, utilem eſſe, & ad juſtificationem diſponere, probat illud Scripturæ Sacræ oraculum, *Timor Domini expellit peccatum: nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari*. Unde Chriſtus ad timorem Dei, pœnas æternas juſto judicio peccatoribus infligentis, homines adhortatur, Matth. 10. *Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*.

PARS I. Art. 5. §. 4. *tudinis peccati cōſiderat ione utilis, & ad iuſtificationem diſponens.*

394. Attritionem ſine Dei amore, ſaltem inchoato, ad juſtificationem peccatoris in Sacramento non ſufficere, probabilius eſt. Id probatur primò ex illis Domini noſtri verbis, Joannis 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*. Nemo porrò Dei gratiam impetrat per Sacramentum, niſi à Deo diligatur: nemo itaque juſtificatur etiam in Sacramento, niſi Deum diligat. Confirmatur & Apoſtolorum teſtimoniis 1. ad Corinthios ultimo: *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema*. Et 1. Joannis 3. *Qui non diligit, manet in morte*. Quomodo autem juſtus quis cenſeri poteſt, qui coram Domino eſt anathema, & in morte peccati manet? Nemo ergo juſtus eſſe poteſt, niſi amet Dominum Jeſum.

Amoris Dei neceſſitas ad iuſtificationem, etiam in Sacramento, probatur ex Scriptura Sacra.

395. Probatur ſecundò Propoſitio luculentiſſimo *Sancti Auguſtini* principio. Sincera converſio nulla eſt, niſi pec- can-

Probatur ex S. Auguſtino &

PARS I. Art. 5. §. 4. *aliis Patribus.*

candi voluntas deponatur, & nova secundùm Christum vita inchoetur. Voluntas porrò peccandi non deponitur, nisi quis justitiam, id est, Deum ipsum amet: neque novam vitam auspicatur quandiu solo timore pœnæ abstinet à peccato: siquidem timor ille ab opere quidem peccati revocat, sed affectionem animi à peccato non avertit: Justus itaque nemo homo esse potest, nisi Dei amore à peccato abstineat. Præclarum illud principium tradit *S. Augustinus*, Libro *De Spiritu & Littera* Cap. 8. ubi de Judæis sic loquitur: *Illis Lex iram operabatur, abundante peccato, quod à scientibus perpetrabatur: quia & quicumque faciebant quod Lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiùsque ex illo rei tenebantur, quòd eos noverat malle, si fieri posset, impunè committere*. Et Cap. 14. *Mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit: non enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit*.

396. Illud ipsum inculcat Libro *De Natura & Gratia*, Cap. 57. *Sub Lege est*, inquit, *qui timore supplicii, quod Lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccati. In ipsa enim voluntate*

reus

reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat. PARS I. Art. 5. §. 4.

397. Idem confirmat disertissimis verbis Epistolâ 145. aliàs 144. ad Anastasium: *Inaniter*, inquit, *putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis, Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.... Tantùm porrò quisque peccatum odit, quantùm justitiam diligit, quod non poterit* Lege *terrente per litteram, sed Spiritu sanante per gratiam.*

398. *S. Petrus Chrysologus*, Sermone nonagesimo-quarto: *Audistis*, inquit, *quemadmodum cœlestis Creditor totum debitum caritate compensat, & ad incrementum totius fœnoris Amoris solius exigit & requirit usuram. Plectendus debitor, qui dilectione solâ suam negligit redimere cautionem. Vis scire, homo, quid Deo debeas? Quòd factus es, Dei creditum est: quòd es rationis capax, Dei fœnus est: quòd discretionem boni malive possides, accepisti: & quòd vivendi normam acceperis, per chirographum legis stipulanti Deo spopondisse te, non* *S. Petrus Chrysologus.*

PARS I. Art. . §. 4.

potes diffiteri. Sed dum te per vitia carnis in lutum instar suis demergis, & quadrupedum more vivens, quâ præditus es ratione privaris, & in gurgite criminum, boni malive perditâ discretione, confundis, & divinæ legis substantiam dissipas, mundana voluptate captivus, factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus: cui deficientibus virtutum lucris, criminum multiplicatur usura. Sed licèt in hac re cecideris, licèt fueris in ista devolutus, vide ne desperes: homo, remansit tibi unde piissimo satisfacias Creditori. ABSOLVI VIS? AMA. *Caritas cooperiet multitudinem peccatorum...... Ama ergo homo Deum, & ama totus, ut possis omnia sine labore vincere peccata.*

S. Thomas

399. Accedit *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum* Dist. 20. Quæst. 1. A. 1. Quæstiuncula 1. in Responsione ad primum. *Antiochus*, inquit, *veniam consecutus fuisset, si verè pœnituisset: sed non habuit veram Pœnitentiam, quia non ex amore iustitiæ de peccatis commissis dolebat; sed timore pœnæ quam expectabat, vel dolore pœnæ quam sustinebat. Et hoc etiam in multis in fine Pœnitentibus contingit; quia non est facile ut affectus quem homo toto tempore vitæ suæ inclinavit in aliquid, subitò ad contrarium retrahatur.*

400. Item in Quæstionibus Disputatis, Quæst. 7. A. 11. in Responsione ad tertium. *Ejusdem*, inquit, *rationis est, quòd volun-*

tas

tas feratur in appetitum contrarii, & in deteſtationem alterius. Nullus autem uſum habens liberi arbitrii poteſt inchoare novam vitam, quæ eſt per gratiæ infuſionem, niſi amet & appetat gtatiæ bonum: & ideo oportet quòd deteſtetur omne malum repugnans.

401. Et 3. P. Quæſt. 85. A. 6. *Actus*, inquit, *virtutis Pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei*. Articulo 3. ejuſdem Quæſtionis docet, Pœnitentiam virtutem ſpecialem non eſſe eo ſolùm nomine quòd ſit dolor de malo perpetrato, (ad hoc enim ſufficeret caritas) *Sed ex eo quòd Pœnitens dolet de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei, cum emendationis propoſito*. Dolor porrò de peccato quatenus eſt offenſa Dei, oritur ex caritate.

402. Idem confirmat Quæſtione 86. A. 3. *Peccatum mortale*, inquit, *non poteſt ſine verâ Pœnitentiâ remitti, ad quam pertinet deſerere peccatum, in quantum eſt contra Deum. Quod quidem eſt commune omnibus peccatis mortalibus. Unde non poteſt eſſe verè Pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim diſpliceret ei illud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ Pœnitentiæ) ſequeretur quòd de omnibus peccatis pœniteret*. Veræ igitur Pœnitentiæ character eſt, ſecundùm *S. Thomam*, ut ſit dolor de peccato, quatenus eſt

con-

PARS I. Art 5. §. 4. Concilii Tridentinum.

contra Deum super omnia dilectum.

403. His, ut opinor, momentis adducti Sacræ Synodi Tridentinæ Patres,) quamvis Quæstionem, quam tractamus, finire noluerint) Sententiæ tamen amoris divini, saltem inchoati necessitatem ad justificationem peccatoris, etiam in Sacramento Pœnitentiæ, afferenti,& Attritionem ex solo pœnæ timore conceptam, vel cum ipso Sacramento sufficere neganti, non obscurè faverunt. Docet nimirum Sacra Synodus Sessione sexta, Cap. sexto, Homines adultos justificari, *Dum peccatores se esse intelligentes à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illùmque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*. Ex quibus colligitur, inter dispositiones ad justificationem necessarias à Concilio Tridentino inchoatum Dei amorem postulari. Qui quidem non est merus amor spei, sed benevolentiæ, quo Deus super omnia diligitur. Præter spem enim in quam peccatores eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, Sacra Synodus postulat amorem, quo ipsum *Tanquam fontem omnis justitiæ diligere incipiant*. At

amor

amor à ſpe diſtinctus eſt amor benevolentiæ: Concilium igitur poſtulat amorem benevolentiæ ceu diſpoſitionem omnino neceſsariam ad juſtificationem primam, quæ fit per Baptiſmum.

404. Confirmatur ex Canone tertio ita ſanciente: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus-Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.* Quo ex Canone liquet, non ſolùm fidem & ſpem, ſed & dilectionem, quâ Deum ſicut oportet, id eſt, ſuper omnia diligamus, à Concilio ſtatui inter diſpoſitiones neceſſarias ad juſtificationem: adeoque non de ſolo amore ſpei, qui à ſpe ipſa indiſtinctus eſt, ſed de amore benevolentiæ eſſe intelligendum. Ex quibus rurſus colligitur, multò magis amorem Dei ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſarium eſſe; cùm longè major diſpoſitio deſideretur ad juſtificationem peccatoris poſt Baptiſma, quàm ante Pœnitentis. Quocirca Tridentinum Concilium Seſſione 14. Cap. ſecundo, ait: *Ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente juſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus: ut meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmi à SS. Patribus dictus fuerit.*

Amor Dei multò magis ad juſtificationem requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, quàm Baptiſmi.

405. Id

PARS I. Art. 5. §. 4.

405. Id evidentiùs colligitur ex Cap. 4. ejuſdem Seſſionis, ubi *Contritionis motum quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum neceſſarium fuiſſe docet*. Declarat ſecundò, *Hanc Contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem; ſed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis; & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*. Tertiò docet, *Contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe, hominëmque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur*. Quo tamen caſu juſtificatio ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſt adſcribenda. Poſtremò docet, *Illam Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus-Sancti impulſum, nondum quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis; quo Pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timo-*

more utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, Pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Ex quibus colligo, Concilii Tridentini Patres in eam propensos fuisse Sententiam, quæ Attritionem ex solo gehennæ metu conceptam, etiam cum Sacramento non sufficere ad justificationem asserit, sed necessarium esse Dei amorem, saltem inchoatum & imperfectum, propugnat: primò, quia eum dolorem Sacra Synodus postulat, qui peccandi voluntatem excludat. Peccandi porrò voluntas non excluditur nisi contrariâ voluntate, scilicet amore justitiæ, sive amore Dei super omnia. Timor enim pœnæ voluntatem nõ mutat. *Qui enim metuit, reprimitur, non emendatur*; (inquit *S. Ambrosius*, Lib. 8. in Lucam.)

PARS I. Art. 5. §. 4.

406. Secundò, quovis tempore Contritionis motum ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse docet Sacra Synodus. Si quovis tempore, non igitur extra Sacramentum duntaxat, sed etiam in Sacramento. Cùm igitur Contritio sit dolor de peccato, quatenus Dei offensa est, ex amore ipsius super omnia conceptus; & Contritio perfecta & imperfecta, quam Attritionem vocamus, differant tantùm ut perfectum & imperfectum sub eodem Contritionis genere, ut innuit Sacra Synodus his verbis: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur*, &c. Sequitur

Attritio à Contri-

PARS I. Art. 5. §. 4.

...tione non differt nisi ut imperfectum à perfecto in eodem genere.

Attritionem non ex solo pœnarum timore conceptam esse debere, ut sit dispositio ad justificationem sufficiens cum Sacramento; sed admixtum habere Dei amorem super omnia, saltem inchoatum & imperfectum. Quod autem dixi, Attritionem à Contritione non differre, nisi ut imperfectum à perfecto intra idem genus, veterum Theologorum Sententia est, inprimis *Guillelmi Parisiensis*, Tractatu *De Sacramento Pœnitentiæ*, Cap. 6. *Attritio*, inquit, *ad Contritionem sic est, sicut vulneratio non lethalis ad occisionem, & gratia præveniens ac præparans ad gratiam gratum facientem, sicut calefactio ad arsionem, & sicut illuminatio quæ est umbra ad irradiationem, hoc est, sicut umbra crepusculi ad radium*. Et paulò post; *Amor quo iste amat Deum, sunt unius & ejusdem, videlicet Dei, & secundùm idem, & propter idem: sunt ergo unius & ejusdem speciei, & non differunt nisi secundùm magis & minus*. Et infrà: *Amore autem preparatorio amatur Deus secundùm quòd Deus, & propter id quod Deus, quemadmodum amore qui caritas dicitur*. Amorem præparatorium Attritionem vocat: caritatem verò amorem qui in Contritione perfecta continetur.

407. Ita *S. Thomas*, in quartum Sententiarum, Dist. 15. Quæst. 2. Articulo 1. Quæstiuncula secunda ad tertium: *Attritio*, inquit, *dicit accessum ad perfectam Contritio-*

tionem: unde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo sunt comminuta, sed non perfectè: sed Contritio dicitur, quando omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima: & ideo significat Attritio in spiritualibus quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; Contritio autem perfectam. Et Articulo 5. Quæstiuncula 3. *Contritio*, inquit, *habet duplicem dolorem: unum rationis, qui est displicentia peccati commissi; & hic potest esse adeo parvus quòd non sufficiet ad rationem Contritionis, ut si minùs displiceret ei peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine, sicut etiam amor potest esse remissus, quòd non sufficit ad rationem caritatis. Alium dolorem habet in sensu*, &c.

408. Tertiò declarat Sacra Synodus, hanc Contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor novum.* Atqui cor novum fieri non potest sine Dei amore. Ut enim ait *S. Augustinus*, Libro contra *Adimantum* Manichæum, Cap. 17. *Hæc est brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor: illud ad hominem veterem, hoc ad novum pertinet.* In illam ergo sententiam propensa fuit Sacra Synodus Tridentina, quæ Dei amorem ceu dispositionem necessariam ad

PARS I. Art. 5. §. 4. justificationem postulat.

409. Quartò, in exemplum affert Sacra Synodos Pœnitentiam Ninivitarum, qui timore utiliter concussi, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, Pœnitentiam egerunt. Atqui Pœnitentia Ninivitarum aliquem caritatis actum admixtum habuit. Nam *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala*, &c. Deus porrò nullam rationem habet operum in ordine ad justificationem, nisi procedant ex fide quæ per dilectionem operatur. Ut enim ait *S. Augustinus*, Sermone 88. aliàs 50. *De Verbis Domini*, Cap. 2. *Adde caritatem, prosunt omnia: detrahe caritatem, nihil prosunt cetera*.

410. Et Tractatu V. in Joannem: *Per hanc dilectionem peccata solvuntur. Hæc si non teneatur, & grave peccatum est, & radix omnium peccatorum*. Synodus itaque Tridentina in eam propensa fuit Sententiam, quæ Contritionem imperfectam aliquem gradum amoris Dei includere necessariò debere asserit, ut cum Sacramento justificet.

Objectio. 411. Objicitur, Si amorem Dei super omnia necessariò continere debet Attritio cum Sacramento Pœnitentiæ conjuncta, ut peccator justificetur, sequitur inutiles esse Ecclesiæ claves, inane & otiosum Sacramentum: siquidem Amor Dei super omnia justificat peccatorem ante Sacramentum, & absque Sacramento.

412. Re-

412 Respondetur, Id non sequi quod objiciunt. Optimè enim conciliatur & Contritionis saltem imperfectæ, & Sacramenti necessitas. Hunc inter alios *Vviclefi* Articulum damnavit Synodus Constansiensis: *Si homo fuerit debitè contritus, omnis Confessio exterior seu Sacramentalis, est sibi superflua & inutilis.* Et redeuntes ex illa Secta ad Ecclesiam Hæreticos *Martinus Quintus* interrogari jubet, *Utrum credant quòd Christianus ultra Contritionem cordis, habitâ copiâ Sacerdotis idonei, de necessitate salutis ei confiteri teneatur*. Idem docet Sacra Synodus Tridentina Sessione 13. Cap. 7. statuens *Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*, &c. Et Canone undecimo *Statuit atque declarat, illis quos conscientia mortalis peccati gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem* antequam Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum sumant. *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat*. Inutiles itaque Ecclesiæ claves, otiosum & inane Sacramentum Sacra Synodus non existimavit, etiamsi Contritio perfecta necessaria censeretur; multò minùs

PARS I. Art. 5. §. 4. *Responsio.*

PARS I. Art. 5. §. 4.

si Contritio dumtaxat imperfecta Amorem Dei super omnia inchoatum includens necessaria cum Sacramento afferatur. Nec verò inutile fore Sacramentum judicarunt ipsi Theologi, qui Contritionem perfectam ad remissionem peccati etiam in Sacramento velut necessariam postularunt: quia non remitti peccatum per Contritionem nisi in ordine ad Claves Ecclesiæ agnovere; adeóque non uni Contritioni, sed Sacramento Pœnitentiæ, cujus illa votum includit, peccatorum remissionem tribuendam. Absolutionem enim Sacramentalem in iis operari qui ad ipsam votis ferventissimis inhiant, sicut Christi Passio in iis operabatur qui in Christum venturum credebant, antequam re ipsa consummata esset. Verùm opinionem illam; quæ sine Contritione perfecta peccatorem etiam in Sacramenti susceptione non justificari asserit, meritò rejicimus & improbamus. Nam & *Pius Quintus* Sanctissimus Pontifex Propositiones illas *Michaëlis Baii* anno millesimo quingentesimo sexagesimo-septimo damnavit: *Caritas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, in Cathecumenis & Pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum. Caritas illa quæ est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum*. Quod autem objicitur, Amorem Dei super omnia justificare peccatorem absque Sacramento, id concedimus de amore per-

Meritò rejicitur opinio Cõtritionem perfectam etiam in Sacramẽto, ad justificationem esse necessariam asserens.

perfecto, non de amore inchoato. Quæ responsio ex Tridentino Concilio colligitur. *Et si*, inquit *Contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare priùs quàm hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramēti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Idemque confirmat Concilii Catechismus P. 2. *De Pœnitentia* §. 46. *Ut enim hoc concedamus*, inquit, *Contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferríque possit*. Hæc est Contritio caritate perfecta, qua justificatur peccator absque actuali Sacramenti susceptione cum solo illius voto. De imperfecta verò subdit: *At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut à paucissimis hâc viâ peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cùm claves Regni cœlestis Ecclesiæ tradidit. Etenim ex Fidei Catholicæ doctrina, omnibus credendum & constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simúlque in posterum non peccare constituat: & si hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse pos-*

PARS I. Art. 5. §. 4.

PARS I. Art. 5. §. 4.

possit : ei tamen , cùm peccata Sacerdoti rite confessus fuerit , vi clavium scelera omnia remitti ac condonari : ut meritò à sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit , Ecclesiæ clavibus aditum in cœlum aperiri : de quo nemini dubitare fas est , cùm à Florentino Concilio Decretum legamus , Pœnitentiæ effectum esse Absolutionem à peccatis .

Objectio altera .

413. Verùm (inquies) spiritualiter vivit qui Deum amat : quid igitur præstabit Sacramentum , si Amor Dei super omnia necessariò præcedere debet Absolutionem Sacramentalem ? Et quomodo Pœnitentia verè dici poterit Sacramentum mortuorum ?

Solutio. Varii spiritualis vitæ gradus.

414. Respondetur, Varios esse vitæ spiritualis gradus . Habet illa exordium suum, progressum , perfectionem . Amor vita cordis est . Amor inchoatus est initium vitæ spiritualis : amor provectus est progressus vitæ spiritualis : amor perfectus est perfectio vitæ spiritualis ; secundùm illud S. Augustini : *Inchoata caritas , inchoata justitia est : provecta caritas , provecta justitia est : perfecta caritas perfecta justitia est .* Peccator itaque imperfectè contritus , sive attritus , Deúmque ut omnis justitiæ fontem diligere incipiens , vivit vitâ inchoatâ , quæ dispositio est ad vitam perfectam ex caritate perfectâ , & à Sacramento ipsam conferente procedentem . Duplicis hujus vitæ distinctionem approbavit *Pius Quintus* Sanctissimus

Pon-

Pontifex, cùm *Michaëlis Baii* Propositionem sexagesimam-tertiam his verbis conceptam inter alias damnavit: *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius quâ vivificatur peccator dum ei Pœnitenti & vitæ novæ propositum, & inchoatio per gratiam inspiratur: alterius, qua vivificatur qui verè iustificatur, & palmes vivus in Christo vite efficitur, commentitia est, & Scripturis minimè conveniens judicatur.* Et quamvis ante susceptionem Sacramenti seu ante Absolutionem Sacramentalem vivat Pœnitens, seu vitâ inchoatâ & imperfectâ, cùm imperfectè contritus est, seu vitâ perfectâ, cùm perfectam Contritionem habet; Pœnitentia nihilominus Sacramentum est mortuorum, quia peccatores vivificat per dispositiones vel partes sibi prævias, sibíque connexas, quæ etiam efficaciam ab ipsa mutuantur. PARS I. Art. 5. §. 4.

415. Cęterũ, qui nihil timet magis quàm à Deo separari, ejúsque Visione beatifica privari, sufficienter cõtritus censendus est ut Sacramentali Absolutione donetur. Hic enim Deum tanquam omnis justitiæ fontem, gratìs amore casto diligit, ut docet *S. Augustinus* Sermone 78. aliàs 19. *De Verbis Apostoli*, Cap. 10. *Aliud est*, inquit, *timere pœnam; aliud est amare justitiam. Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre, non cælum & terram, non campos liquidos maris,* *Qui timet à Deo separari est sufficienter contritus ad Absolutionem accipiendam.*

ris, non spectacula nugatoria, non fulgores nitorésque gemmarum: sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum: quia dictum est: „ Dilectissimi, filii Dei sumus, &

1. Ioan. 3. „ nondum apparuit quod erimus. Scimus „ autem quia cùm apparuerit, similes ei eri„ mus, quoniam videbimus eum sicuti est. *Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras; ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi: Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam; quicquid libuerit licitum puta; non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantùm tibi negabo. Si expavisti, amasti; si hoc quod dictum est, Faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam pœnam putasti; gratis amasti.*

Qui diligit Deum ut bonum suum, illum diligit amore amicitiæ.

416. Quicumque ergò Deum ut bonum suum ac æternam suam beatitudinem diligit, illum amicitiæ, non concupiscentiæ desiderio expetit. Non enim illum ad commodum suum deprimit, verùm diligit ut se illi omnino subdat, illi obtemperet, in illoque tanquam in fine suo ultimo requiescat. Castus quidem non est amor, quo Deus ut origo & autor bonorum externorum, fonsque terrenæ felicitatis tantùm diligitur. Qui

Deum

Deum hoc modo diligunt, illum non tam propter ipsum, quàm propter ista, quæ ab ipso accipiunt, ut sperant bona, diligunt. Hinc *S. Augustinus* Enaratione in Psalmum 43. ait: *Exigitur à te ut tu eum gratis colas, non quia dat temporalia; sed quia præstat æterna.* Sed castus est amor, quo quis Deum diligit tanquam suum & omnis creaturæ rationalis beatificum bonum.

PARS I. Art. 5. §. 4.

417. Id confirmat *S. Bernardus*, Sermone 8. De Diversis: *Numquid*, inquit, *mercenarium eum quis æstimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eámque toto affectu expetit & exspectat, quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii, Propheta testatur?* Cùm dederit, *inquit*, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris. *Invenitur tamen alter gradus sublimior, & affectus dignior isto, cùm penitus castificato corde nihil aliud desiderat anima, nihil aliud à Deo querit, quàm ipsum Deum. Crebro siquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, ita ut jam ex affectu cordis atque ex sententia clamet illud in Psalmo:* „ Quid enim mihi in cœlo, & à te „ quid volui sui super terram? Defecit caro „ mea & cor meum, Deus cordis mei, & „ pars mea Deus in æternum. „ *Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam pri-*

Qui Deũ diligit ut finem suæ beatitudinis, non est mercenarius.

PARS I. Art. 5. §. 4. *vato sui ipsius amore desiderat anima quæ ejusmodi est: sed tota pergit in Deum, unicúmque ei ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur.*

Purus amor Dei non excludit ipsius desiderium quatenus beatitudo nostra est.

418. Id etiam confirmat *Hugo à S. Victore*, Lib. 2. *De Sacramentis*, Cap. 8. *Sed fortè*, inquit, *mercenarius eris, si diligis Deum, & servis ei, ut præmium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidam, & tam stulti ut se ipsos non intelligant: Diligimus Deum, & servimus illi: sed non quærimus præmium, ut mercenarii simus: etiam ipsum non quærimus. Dabit si voluerit, sed nos non quærimus. In tantum enim excutimus manus ab omni munere, ut etiam ipsum non quæramus, quem diligimus. Purâ enim & gratuitâ, & finali dilectione diligimus, nihil quærimus. Ipse cogitet si quid dare voluerit, nos nihil requirimus. Diligimus ipsum, sed non quærimus aliquid, etiam ipsum non quærimus quem diligimus. Audite, homines sapientes. Diligimus, inquiunt, ipsum; sed non quærimus ipsum. Hoc est dicere, Diligimus ipsum; sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem à vobis, Si me sic diligeretis, ut de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem. Vos videritis, si dignum est ut Deo offeratis, quod homo dignè respueret. Quomodo, inquiunt, mercenarii non sumus, si Deum propter hoc diligimus, ut præmium* ab

ab ipso accipiamus, Non est gratis hoc amare, neque amor iste filialis, sed mercenarii & servi, qui pretium quærit pro servitute sua. Qui hoc dicunt, virtutem dilectionis non intelligunt. Quid est enim diligere, nisi ipsum velle habere? Non aliud ab ipso, sed ipsum hoc est gratis: si aliud quęreres ab ipso, gratis non amares. Nunc autem non aliud quęris pro eo, quod amas, & tamen aliquid quęris & desideras in eo ipso quod amas. Alioquin non amares, si non desiderares. Sed aliud est pro ipso, aliud in ipso. Si pro ipso aliquid amas, mercenarius. Si in ipso amas, & ipsum amas, filius es.

Qui desiderat amare Deũ, Deum amat.

419. Similiter, qui dolet quòd Deum, ut par est, non diligat, ipsúmque magis diligere desiderat, Deum ut omnis justitiæ fontem diligere incipit; ac proinde sufficienter contritus censendus est ad Absolutionem Sacramentalem recipiendam. Desiderium enim amoris, initium amoris est. Siquidem, aut ait *Guillelmus Parisiensis*, Lib. *De Sacramento Pœnitentiæ*, Cap. 6. *Qui quęrit amare Deum, utique jam amat Deum, licèt nondum ex amore quem quęrit. Cùm enim quęrat amare Deum, utique desiderat amare Deum: qui autem desiderat, amat. Amat ergo amare Deum, & non amat illud nisi propter Deum.* Hinc à *S. Augustino* Epistolâ 127. aliàs 45. scriptum est: *Justa vita, cùm volumus, adest, quia eam ipsam plenè velle, justitia est; nec plus aliquid perficienda justitia,*

PARS I. Art. 5. §. 4. *ſtitia, quàm perfectam voluntatem requirit. Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt .... Sed hæc voluntas ut plena ſit, oportet ut ſana ſit. Erit autam ſana; ſi Medicum non refugiat, cujus ſolius gratiâ ſanari poteſt à morbo deſideriorum noxiorum.* Igitur & qui Deum vera & ſincera voluntate vult amare, ipſum amare incipit. Quicumque enim actus ita à voluntate dependent, ut ad eos producendos externis membris aut inſtrumentis minimè indigeat, illi hoc ipſo producuntur, quo eos ipſa verè & ſincerè, fortiter & integrè vult eſſe productos. Poteſt quis verè & ſincerè velle ambulare, ſcribere, ædificare, qui tamen nec ambulet, nec ſcribat, nec ædificet, quòd vires corporis, inſtrumenta, & facultates voluntatem deficiant. Verùm nemo ſincerè vult amare, qui reverà amare non incipiat. Hunc enim actum ſi voluntas omnino & ſincerè velit, ſtatim adeſſe neceſſe eſt, cùm eum producere nihil aliud ſit, quàm illum velle. Qui autem firmum propoſitum habet non peccandi de cętero, quod neceſſarium eſt ad fructum Abſolutionis conſequendum, is certè Dum amare firmo propoſito decrevit. Habet enim propoſitum ſervandi mandata Dei, ac proinde ſervandi primum & maximum mandatum, hoc eſt, amandi Dominum Deum ſuum ex toto corde. Illum igitur amare incipit. Nonnè enimvero fur eſt, quiſquis gerit furandi propoſitum? Nonnè adulter eſt, quiſquis firmum

mum adulterandi propositum concepit? Nonnè avarus, sive amator pecuniæ est, quisquis firmo proposito decrevit pecuniam amare? Eâdem igitur ratione Dei amator est, quisquis firmo proposito decrevit Jesum amare. Quisquis autem peccatum sincerè detestatur, & deinceps non peccare decrevit, Deum amare sincerè desiderat ac firmiter decernit. Quomodo enim illum veteris amoris pœniteret, qui novo amore succendi non inciperet? Quomodo creaturarum cupiditatem detestaretur, qui cor suum non devoveret Creatori? Quomodo diceret, *Iniquitatem odio habui & abominatus sum*, qui unà non diceret, *Legem autem tuam dilexi*?

Dilectio non diligitur, nisi habeatur.

420. Propositionem nostram confirmat *S. Fulgentius*, Epistolâ ad *Eugypium*, ostenditque sine Caritate fieri non posse ut quis Deum diligere velit. *Dilectio*, inquit, *nullatenus diligetur, nisi dilectio habeatur, quâ ipsa dilectio diligatur. A se ipsa igitur dilectio diligitur, quia tunc diligitur, cùm habetur, nec diligitur nisi habeatur. Equidem potest diligi à nobis, etiam cùm petimus ut augeatur in nobis: sed non diligit ejus augmentum, qui non habet initium. Non ergo sic caritas diligitur sicut nummus, aut aliquid ejusmodi. Potest enim quisque unum non habere nummum, & multitudinem diligere ac desiderare nummorum. Diligit ergo iste nummorum multitudinem, cùm ne unius quidem nummi habeat facultatem ... Caritas*

PARS I. Art. 5. §. 4.

tas tamen non habetur, si non diligatur; nec diligitur, si non habeatur.

Pœnitentis animus explorandus, non tentandus

421. Quamvis Confessarius explorare debeat animum Pœnitentis, an sit verè contritus, ipsum tamen interrogare non debet, an hæc & illa supplicia, verbi gratiâ rotas, ignes, pellis detractionem, &c. uxoris, filiorum, bonorum omnium amissionem, pœnas ipsas inferni, seclusâ Dei offensâ, pati mallet, quàm vel unum peccatum mortale perpetrare. *S.Thomas*, Quæst.3. Supplementi, Art. 1. ad quartum. *Sciendum est*, inquit, *quòd quamvis talis debeat esse contriti dispositio, non tamen de eis tentandus est, quia affectus suos homo non de facili mensurare potest: & quandoque illud quod minùs displicet, videtur magis displicere: quia est propinquius nocumento sensibili, quod magis est nobis notum.*

Veræ Contritionis, & sinceræ conversionis indicia.

422. Porrò veræ contritionis, & sinceræ ad Deum conversionis indicia sunt occasionum peccandi fuga. Frequens de Deo cogitatio. Studium ardens quærendi Deum, cùm illum nostris peccatis amisimus. Studium bonorum operum, & desiderium quo anima fertur ad omnia quæ Deo sunt placita: Constantia & perseverantia in fuga peccati & observatione divinorum mandatorum.

Quando obligat præceptū

423. Ad Contritionis actum eliciendum tenetur homo in periculo mortis, & quotiescumque Sacramentum aliquod susci-

pien-

piendum vel administrandum est: quoties tandem se à Deo aversum esse per peccatum mortale cognoscit, de quo aliàs contritus non fuit. *S. Thomas*, Quæst. 3. Supplementi, Articulo 5.

PARS I. Art. 5. §. 4. *Contritionis.*

Præceptũ de Contritione affirmativũ.

424. Nec obstat, quòd præceptum de contritione sit affirmativum, quod etsi obliget semper, non tamen pro semper. Nec enim dicimus pro semper teneri hominem ad excitandam contritionem, *sed pro loco & tempore, videlicet cùm recogitat mala sua, in quibus offendit Deum*; (inquit *S. Bonaventura* in 4. *Sententiarum*, Dist. 16. Quæstione 2. primæ Partis.)

425. Idem confirmat *S. Antoninus* 3. P. Tit. 14. Cap. 18. *Quantùm*, inquit, *ad peccata mortalia, de quibus nondum quis habuit contritionem, videtur quòd semper teneatur, quando peccatum menti occurrit, ad actu odiendum & detestandum peccatum. Aliàs peccat mortaliter peccato omissionis, quousque conteratur. Dicit enim Thomas, quòd post mortale peccatum non tenetur quis ad statim confitendum: tenetur tamen ad statim conterendum: nec enim per momentum licet stare in peccato. Unde Eccli.* 21. *dicitur*: Quasi à facie colubri fuge peccatum. *Imminet enim tali maximum periculum: cùm enim nulla necessitas excuset à Contritione, si moriatur ante Contritionem, etiamsi non potuit confiteri, quia subitò moritur, nihilominus damnatur.*

S 426. Et

PARS I. Art. 5. §. 4.

426. Et certè graviter peccare hominem, qui se à Deo aversum animadvertens, Pœnitentiam differt, confirmat sacrum oraculum Eccli. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Quæ verba consilium dumtaxat, non præceptum exprimere, perabsurdè diceretur. Præterea, Lex naturæ docet nos reconciliationem cum eo quem offendimus, non esse differendam, ubi datur opportunitas: quò pertinet illud Domini mandatum, Matth. 5. *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Et filium nemo novi criminis reum non censeret, qui monitus ut patrem offensum placare conetur, cùm facilè id possit, nihilominus in ejus inimicitia adhuc permanere vellet: quantò magis reus est, qui simul ac cognoscit Deum à se offensum, eum sibi reconciliare ac propitium reddere verâ & sincerâ contritione non studet?

427. Denique cor humanum servit rei quam propter se ipsam amore prædominante diligit. Servit igitur creaturæ, qui diligit ipsam præ Creatore. Debet ergo homo simul ac perversitatem illam in se cognoscit, tam citò resipiscere ab amore quo creaturam super omnia diligit, quàm citò ab idola-

lolatria recedere; eúmque sensum abjicere, quo creaturæ potiùs servitur quàm Creatori. *Hoc enim colitur, quod diligitur: unde quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur*; inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum 77. PARS I. Art. 5. §. 5.

§. V.

De Confessionis Sacramentalis Definitione, præcepto & necessitate.

428. Confessio definitur in Catechismo Concilii Tridentini, *Peccatorum accusatio, ad Sacramenti genus pertinens, eò suscepta, ut veniam virtute clavium impetremus.* *Confessionis definitio.*

429. Unusquisque Christianus, cùm ad annos discretionis pervenerit, id est, ad eam ætatem quâ rationis usum habere potest, & inter bonum ac malum discernere, Confessionis lege tenetur. Colligitur ex Concilio Lateranensi 4. Canone 21. cujus initium est, *Omnis utriusque sexus*. Neque tamen ea ætas certo aliquo annorum numero definita est, (inquit Catechismus Concilii Tridentini.) *Sed illud universè statuendum videtur, ab eo tempore Confessionem, puero indictam esse, cùm inter bonum & malum discernendi vim habet, in ejúsque mentem dolus cadere potest. Nam cùm ad id vitæ tempus* *Necessitas & Præceptum.*

PARS I. Art. 5. §. 5.

pus quisque pervenerit, in quo de salute æterna deliberandum est, tum primùm Sacerdoti peccata confiteri debet: cùm aliter salutem sperare nemini liceat, qui scelerum conscientiâ premitur.

430. *Optimæ verò consuetudinis erit* (inquit *S. Carolus* in Instructione Confessorum) *puellos & puellulas, etiamsi sex tantùm annorum, accersere, ut paulatim à primâ ætate edoceantur, & ad hujus Sacramenti usum & cognitionem assuefiant. Observent tamen Sacerdotes Sacramentalem eis Absolutionem non largiri, in quibus materia non solet reperiri, nec talis rationis usus unde eos ad hoc Sacramentum suscipiendum capaces judicent. Qui verò ad septem aut octo annos pervenerint, pro modulo de necessitate & virtute Sacramenti, illúdque frequentandi modo instruantur.*

Obligat ante Eucharistiæ susceptionem.

431. Quisquis sibi mortalis peccati conscius est, & ad Sacramentum Eucharistiæ vult accedere, Confessionis Sacramentalis lege est adstrictus. Concilium Tridentinum, Sessione 13. Cap. 7. *Communicare volenti*, inquit, *revocandum est in memoriam Apostoli præceptum*: Probet autem se ipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christia-*

stianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò servandum esse decrévit. Et Canone 11. *Ne tantum Sacramentum indignè atque ideo in mortem & condemnationem sumatur; statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumserit, eo ipso excommunicatus existat.*

PARS I. Art. 5. §. 5.

432. Confessionis lege tenemur, quoties mortis periculum imminet. Ita *S. Thomas* in quartum Sententiarum Dist. 17. Quęstione 3. Articulo 1. Quæstiuncula 4. Hinc Medicis præceptum est, sub pœna Excommunicationis, ut ad infirmos periculosè decumbentes vocati, *Ipsos ante omnia moneant ut Medicos advocent animarum.* Ita statuit Concilium Lateranense quartum sub *Innocentio III.* Canone 22. Eamdem Constitutionem innovavit *Clemens Quintus* Pontifex Maximus in Concilio Ravennate 2. Cap. 15. *De Pęnitentiis*, prohibuítque ne Medici ad infirmos vocati ulteriùs redeāt, & eosdem curare pergant, *Nisi priùs eis constiterit, quod infirmi prædicti Medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de ani-*

In Mortis periculo imminenti.

PARS I. Art. 5. §. 5. *marum salute provisum*. Eamdem Sanctionem confirmavit Beatus Pontifex *Pius Quintus* Constitutione quæ incipit, *Super gregem*, edita 8. Martii, anno 1566. cujus executionem imperat *S. Carolus* in Concilio Mediolanensi 2. Decreto 17. *Quod*, inquit, *Summus Pontifex* PIUS QUINTUS *propositis Excommunicationis, aliisque pœnis jussit, Medicos ab ægrotantis curatione post triduum abstinére, nisi eò tridui spatio de peccatis suis confessus ille sit; id Episcopus curet quàm diligentissimè observari. Rationémque prætereà aliquam statuat, quâ Medicis ipsis faciliùs exploratum esse possit, ægrum peccata sua verè confessum esse.* Idem edixerunt Concilia Gallicana, Bituricense anno 1584. Tit. 21. *De Pœnitentia & ejus partibus*, Canone 14. Aquense anno 1585. Tit. *Quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent*, & Narbonense anno 1609. *De Sacramento Pœnitentiæ* Cap. 16.

Vel etiam probabili. 433. Juxta quæ Confessionis præcepto tenentur Fideles, qui se in mortis discrimen adducendos probabiliter prævident, verbi gratiâ mulieres puerperæ, Milites in procinctu certaminis, item quicumque periculosas navigationes vel infestum iter ineunt. Ita statuit *S. Carolus* in Concilio Mediolanensi 5. Tit. Quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent.

In periculo obli- 434. Præceptum Confessionis obligat, cùm veremur ne nos alicujus culpæ lethalis, quam

quam admiserimus, oblivio capiat: vel ne Confessarii copiam intra annum non habeamus, cui peccatum mortale, cujus fortè rei sumus, confiteri possimus. Primam partem docet Concilii Tridentini Cathechismus; & meritò: neque enim peccata confiteri possumus quæ non meminimus: neque peccatorum veniam à Domino impetramus, nisi ea Pœnitentiæ Sacramentum per Confessionem deleat. Partem alteram docet *S. Antoninus* P. 2. Tit. 9. Cap. 13. §. 4. *vionis peccatorum vel defectus Confessarii.*

435. Confessionis præceptum non obligat statim atque aliquis in mortale peccatum lapsus est. Confessionis enim præceptum ex iis est, quæ affirmativa dicuntur à Theologis, quæ obligant semper, sed non ad semper (ut loquuntur) cùm è contrario præcepta negativa semper & ad semper obligent. Unde quia rei alienæ retentio invito domino repugnat præcepto negativo, semper & statim ad restitutionem tenetur, qui rem alienam injustè retinet, si restituere possit. Præterea, *Eadem ratio esse videtur de Confessione & de Baptismo differendo*, inquit S. Thomas, *quia utrumque est Sacramentum necessitatis. Ad Baptismum autem percipiendum non tenetur aliquis statim postquam habet propositum Baptismi, ita quòd peccet mortaliter nisi statim baptizetur: nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si Baptismum differat, peccatum mortale incurrat. Sed potest contingere quòd in di-* *Non immediatè post peccatum cōmissum.*

PARS I. Art. 5. §. 5.

latione Baptismi mortale erat peccatum, vel non erit: & hoc pensandum est ex causa dilationis. Unde si causa dilationis Baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpote si propter contemtum vel aliquid hujusmodi Baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale; aliàs non. Et ideo idem videtur esse de Confessione, quæ non est majoris necessitatis quàm Baptismus. Ita *S. Thomas*, in Quartum Sententiarum, Dist. 17. Quæst. 3. Articulo 1. Quæstiuncula 14. *Consilium tamen sanum est, ut omnes qui in mortale peccatum lapsi sunt, quàm citiùs possunt, confiteantur: non enim videtur verè contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum.* De his *itaque generaliter asserere quòd possunt usque ad Pascha differre, videtur periculosum* (inquit *S. Bonaventura* in quartum Sententiarum Dist. 17. Quæst. 2. P. 2.

Præceptū annuæ Confessionis.

436. Præcepto Confessionis semel in anno faciendæ omnes & singuli Fideles sunt adstricti. Ecclesiastico Jure hæc obligatio Christianis omnibus imposita est. Id scilicet præcepit Ecclesia in Concilio Lateranensi Quarto congregata, Canone 21. relato Extra, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, cujus hæc sunt verba: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi Pœnitentiam studeat*

deat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum .... Alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christianâ careat Sepulturâ. Unde hoc salutare Statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. PARS I. Art. 5. §. 5.

437. Idem confirmat *S. Thomas*, in quartum *Sententiarum*, Dist. 17. Quæstione 3. Articulo 1. Quæstiuncula 3. *Ad Confessionem*, inquit, *dupliciter obligamur: uno modo ex Jure divino, ex hoc quòd est medicina: & secundùm hoc non omnes tenentur ad Confessionem, sed illi tantùm qui peccatum mortale incurrunt post Baptismum. Alio modo ex præcepto Juris positivi: & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio Generali sub Innocentio III. Tum ut quilibet se peccatorem recognoscat, quia* Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei: *tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedat: tum ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.*

438. Quamvis annuæ Confessioni nullum certum tempus Ecclesiæ præcepto præfixum sit, ratione tamen Communionis Paschalis in Paschate implendum est. *In Paschate implendum.*

839. Cum enim ad Eucharistiam accedere nemini liceat, qui sibi mortalis peccati conscius fuerit, nisi Confessione Sacramen-

PARS I. Art. 5. § 5.

mentali priùs fuerit expiatus; peccatìque mortalis reus ſit, qui Eccleſiæ præceptum de annua Confeſſione contemnit vel negligit: ſequitur illud in Paſchate impleri ab illis neceſſariò oportere, qui infra annum eo Chriſtianæ religionis & obſervantiæ functi non ſunt officio: alioqui Euchariſtiam indignè ſumerent, & Apoſtolicum, imò divinum ab Apoſtolo promulgatum præceptum violarent: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de Pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

Sacrilega Confeſſione non impletur.

440. Annuæ Confeſſiònis præceptum ſacrilegâ Confeſſione non impletur. Una eadémque Confeſſio à Deo & ab Eccleſia præcipitur: Eccleſiæque præceptum determinatio eſt divini præcepti ad certum tempus. Nemo autem dixerit, ſacrilegâ Confeſſione divinum præceptum impleri. Deus enim Confeſſionem præcepit ex veræ & ſinceræ Pœnitentiæ affectu editam; adeóque conjunctam cum omnium peccatorum mortalium, quæ ſingulatim apud Sacerdotem deponit, *Contritione*, ſaltem imperfectâ, *quæ eſt de eſſentia Sacramenti*, ut docet *S. Thomas*, Quæſtione 8. Supplementi, Articulo 2. ad primum: & quæ *Primum locum tenet inter actus Pœnitentiæ, fuitque quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum neceſſaria*; ut docet Tridentina Synodus.

dus. Quamobrem qui Confessionem invalidam fecit, ut Ecclesiæ præceptum implere videretur, non solùm accusare se debet de sacrilegio, sed etiam de violatione Præcepti Ecclesiastici. PARS I. Art. 5. § . 5.

441. Tandem ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo inter alias Propositiones, die 14. Septemb. anno 1656. hæc etiam damnata est ordine decima quarta: *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* *Propositio damnata.*

442. Confessionis præceptum non impleret, qui scripto vel nutu, non ore proprio confiteretur, nisi loquendi facultate seu libertate destitutus esset. Confessio enimverò quatenus pars est Sacramenti, habet determinatum actum, sicut & alia Sacramenta habent determinatam materiam: *Et sicut in Baptismo ad significandam interiorem ablutionem, assumitur illud elementum, cujus est maximus usus in abluendo; ita in Confessione Sacramentali, ad manifestandum ordinariè assumitur ille actus, quo maximè consuevimus manifestare, scilicet proprium verbum. Alii autem modi sunt inducti in supplementum istius,* (inquit *S. Thomas*, in Quartum *Sententiarum*, Distinctione decima-septima Quæstio 3. Articulo 4. Quæstiuncula 3. *An scripto vel nutu Confessionis præceptum impleatur?*

443. Confessio quomodocumque facta Sacerdoti absenti invalida est. Probatur id in primis ex Canone, *Quem pœnitet,* *Per litteras aut per internuncium*

Di-

PARS I. Art. 5. §. 5. *absenti Sacerdoti peccata confiteri non licet.*

Distinctione 1. *De Pœnitentia*, ubi de Leprosis à Christo mundatis, & ad Sacerdotes missis dicitur: *Præcepit Dominus mundandis ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata; non per nuntium aut per scriptum manifestanda: dixit enim, Ora monstrate, & Omnes, non unus pro omnibus: non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum; sed, Qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. In hoc enim quòd per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis.* Qui Canon ex Cap. 10. Libri *De vera & falsa Pœnitentia*, olim *S. Augustino* adscripti, sumtus est.

Clementis VIII. Decretum.

444. Confirmatur ex Decreto *Clementis Octavi* Pontificis Maximi, anno secundo supra sexcentesimum & millesimum, quo hanc Propositionem, *Licere per Litteras, seu per Internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem petere*; ad minus *Uti falsam, temerariam, & scandalosam* se *damnare ac prohibere* declaravit; imò præcepit ne deinceps ista Propositio in publicis privatísque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, néve unquam *tanquam aliquo casu probabilis* defendatur, aut imprimatur, aut quovis modo ad praxim deducatur, *Sub pœna Excommunicationis latæ*

sen-

sententia, Summo ipsi Pontifici reservata. PARS I. Art. 5. §. 5.

444. Fuere qui Propositionem à Clemente VIII. in sensu dumtaxat complexo, & copulativo, non in sensu disjunctivo damnatam esse propugnarent: adeóque Pœnitentem posse in aliquo casu per Litteras vel internuntium confiteri absenti, etsi non posit ab absente absolvi. Verùm partem utramque Propositionis à Summo Pontifice fuisse damnatam; inde constat quòd Sectionem in quâ celeber Theologus Clementis VIII. Decretum in eum sensum detorquebat, ex ejus Commentariis eradi jusserit ipse Pontifex; & doctissimus Cardinalis Bellarminus, necnon Armacanus Archiepiscopus Petrus Lombardus, qui Clementem VIII. privatim rogarunt quænam ipsius mens fuisset, testati sunt Sanctitatem suam declarasse, partem utramque Propositionis à se fuisse damnatam laudato Decreto; & prohibuisse ne Confessio fiat absenti, quamvis Absolutio in præsentia danda esset.

Perperàm à nonnullis explicatum.

446. Denique Concilii Tridentini Catechismus, P. 2. de Pœnitentia, §. 69. docet, Nemini omnino licere neque per nuntium, neque per litteras peccata confiteri; quoniam ea ratione nihil jam occultè agi potest.

447. *Qui* tamen *usum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit quòd per scriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur; quia non exi-*

Excusat linguæ defectus.

gi-

PARS I. Art. 5. §. 6.

gitur ab homine plus quàm possit: quamvis homo non possit vel debeat Baptismum accipere nisi in aqua, quæ est omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur: sed actus Confessionis est ab intra & à nobis: & ideo quando non possumus uno modo, debemus, secundùm quòd possumus, confiteri. (inquit *S. Thomas* loco supra laudato in Responsione ad secundum.)

§. VI.

De Conditionibus Confessionis.

Confessionis integritas.

448. Præcipua conditio est, ut integra & absoluta sit. Quæ quidem integritas in eo est posita, ut omnia peccata mortalia Sacerdoti aperiantur. Nam venialia, quæ nos à Dei gratia non divellunt, & in quæ frequentiùs labimur, tametsi rectè atque utiliter, quod Piorum usus demonstrat, confitemur; tamen sine culpa prætermitti, multísque aliis rationibus expiari possunt. At mortifera peccata singula enumeranda sunt, quamvis etiam occultissimè lateant, & ejus generis sint, quæ duobus tantùm extremis Decalogi capitibus interdicuntur, solóque desiderio & cogitatione perpetrata sint. Concilium Tridentinum, Sessione 14. Cap. 5.

Circumstantias

449. Ad integritatem quoque Confessionis pertinet circumstantiarum quæ spe-

ciem

ciem peccati mutant, declaratio. Si quis enim hominem interemerit, explicandum est utrùm ille Sacris initiatus, an profanus fuerit. Item si cum muliere concubuit, aperiendum est, an Matrimonii lege libera sit, an alterius uxor, an propinqua, aut alicujus voti sponsione Deo consecrata. Hæc enim diversa peccatorum genera constituunt; primum quidem simplicis fornicationis, alterum adulterii, tertium incestus, quartum sacrilegii. Furtum etiam in peccatis numerandum est: verùm si quis rem sacram furetur, malitiam furti cumulat sacrilegiô: similiter si quis in loco sacro occidat hominem aut graviter percutiat; vel fornicetur, seu quodvis aliud peccatum luxuriæ perpetret. Hæ igitur circumstantiæ sunt enumerandæ, *Cùm sine illis peccata ipsa neque à Pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis Pœnitentibus imponere*; (inquit Tridentina Synodus Sessione 14. Cap. 5.) Quod fidei dogma est, quantùm ad circumstantias speciem mutantes, ut constat ex Canone 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta,*

PARS I. Art. 5. § 6. *peccati speciem mutantes confiteri necesse est?*

PARS I. Art. 5. §. 6.

cepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantùm esse utilem ad erudiendum & consolandum Pœnitentem, & olim observatam fuisse tantùm ad Satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia; Anatema sit.

Circumstantias malitiam peccati plurimùm augentes confiteri necesse est.

450. De circumstantiis malitiam peccati intra eamdem speciem augentibus paulò major difficultas est, utrùm earum explicatio ad Confessionis integritatem sit omnino necessaria. Quâ de re etsi nihil sit à Sacra Synodo Tridentina definitum, Catechismus tamen Concilii, P. 2. *De Pœnitentia*, §. 63. illas etiam circumstantias declarandas esse docet. *Furtum etiam*, inquit, *in pecatis numerandum est: verùm si quis aureum nummum furetur, leviùs omninò peccat, quàm is qui centum vel ducentos, vel ingentem aliquam aurei vim, præsertim verò qui sacram pecuniam abstulit. Quæ etiam ratio ad locum & tempus pertinet. Hæc igitur enumeranda sunt: quæ verò pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.* Censet igitur Ecclesia, cujus doctrina censenda est, quæ in illo Catechismo traditur, circumstantias illas, quæ pravitatem facinoris magnoperè augent, sine crimine omit-

ti

ti non posse. *Hinc S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Confessorum monet Confessariũ apprimè scire debere *Circumstãtias peccati speciem mutantes, aut augentes: nam hæ duæ circumstantiarum species debent necessariò explicari*. V.G. vir conjugatus, qui commisit adulterium cum aliena conjuge, debet circumstantiam illam confiteri, quæ tametsi peccati speciem non mutet, certè plurimùm auget malitiam. Qui commisit incestum, explicare debet in quo gradu consanguinitatis vel affinitatis conjunctus sit cum muliere cui stuprum intulit. Qui puellam alteri pactam & sponsaliorum solemni Ritu destinatam violavit, circumstantiam illam tenetur exprimere, quæ plurimùm auget gravitatem facinoris, facítque ut proximè ad adulterium accedat. Qui furatus est, pecuniæ summam, aut rei ablatæ naturam, quantitatem, & pretium declarare tenetur quantùm potest. Qui lethalia peccata ex habitu & consuetudine commisit, circumstantiam consuetudinis explicare debet. Unde *Innocentius Undecimus* Pontifex Maximus hanc inter alias sexaginta quinque Propositionem damnavit 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Et certè ratio, quâ Concilium Tridentinum probat circumstantias peccati speciem mutantes in Confessione aperiendas esse, probat pariter illas oportere declarari, quæ intra eamdem

PARS I. Art. 5. §. 6.

Propositio damnata.

PARS I. Art. 5. §. 6.

ſpeciem plurimùm augent malitiam peccati, ſcilicet *Quòd ſine illis peccata ipſa neque à Pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innoteſcant; & fieri nequeat ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis Pœnitentibus imponere*. Congruam namque Pœnitentiam ſpectatis peccatorum circumſtantiis imponendam, ſacri Canones ſtatuunt. *Innocentius III.* Cap. *Deus qui*, Extra, De Pœnitentiis & Remiſſionibus: *Conſideratis*, inquit, *circumſtantiis omnibus, competentem Pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire*. Et Cap. *Omnis utriuſque*, ibidem: *Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti Medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati: quibus prudenter intelligat quale debeat illi præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum*. Hæc ſententia probabilior & tutior eſt, & in praxi omnino ſequenda.

Gradus malitiæ & peccati qualitas individua exprimi debent.

451. Ad integritatem Confeſſionis pertinet multò magis ut gradus malitiæ, & qualitas individua peccati exprimatur. Unde qui copulam habuit cum muliere Matrimonii lege ſoluta, integram Confeſſionem non facit, dicendo ſe grave peccatum contra caſtitatem cum ſoluta commiſiſſe. Idcirco

Ale-

Alexander Septimus inter plurimas alias Propositiones hanc damnavit ordine vigesimam-quintam: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Pars I. Art. 5. §. 6. *Propositio damnata.*

452. Ad integritatem denique Confessionis pertinet, ut numerus peccatorum, quoad fieri potest, explicetur. Si qui pudore impediti, vel timore deterriti, peccata confiteri non audent, Confessarius ipsis animos addere debet, & monere, nihil esse, quòd vitia sua aperire vereantur, neminem hominem esse qui infirmus fragilisque non sit, & in gravia peccata cadere non possit: Sacerdotem hominem esse Pœnitentibus similem, peccatorem, qui compati sciat peccatoribus: Christum non Angelis, sed hominibus administrandæ Pœnitentiæ auctoritatem commisisse, ne homines peccata sua detegere vererentur iis, qui nullam ad peccandum proclivitatem haberent. Pudorem & cruciatum æternum temporali pudore & dolore redimi. Eos qui stultâ quâdam verecundiâ peccatum aliquod mortale, aut circumstantias speciem peccati mutantes, vel aggravantes in Confessione studiosè omittunt, pudore suffundendos coram Christo & Angelis ejus, omnibúsque Sanctis, quibus eorum peccata in supremi Judicii die manifesta erunt. Timendum non esse, cùm se non habeat Confesio Pœnitentium, ut

Numerus peccatorũ exprimendus.

Nec pudore, nec timore, deterreri debent peccatores ab integritate Confessioni.

PARS I. Art. 5. §. 6.

Confeſsio reorum coram ſæculari Judice: iſtos torqueri ut crimen fateantur, confeſſos ad patibulum duci: illos Dei benignitate & patientiâ ad peccatorum Confeſsionem invitari; confeſſos abſolvi, & in Regnum cœlorum recipi.

Præcedentis doctrinæ conſectarium primum.

453. Hinc qui peccatum aliquod mortale, circumſtantiam qua ſpecies peccati mutetur, vel plurimùm aggravetur, deditâ operâ celaverit, Confeſſionem ſacrilegam edidit & nullam; quam proinde iterare tenetur. Concilii Tridentini Catechiſmus, Parte 2. *De Pœnitentia*, §. 64. ex *S. Thoma* in 4. *Sententiarum*, Diſt. 17.

Conſectarium ſecundum.

454. Qui Confeſſionem diviſit, uni Sacerdoti peccatorum partem, alteram alteri deditâ operâ declarans, nullam Confeſſionem fecit: adeóque omnia & ſingula peccata uni & eidem Sacerdoti tenetur iterum confiteri. *S. Thomas*, in 4. Sententiarum Diſtinctione 17. Quæſt. 3. Articulo 4. Quæſtiuncula 2. ad primum. *Etſi*, inquit, *erubeſcentia ſit multiplicior quando dividit diverſa peccata diverſis, tamen omnes ſimul non ſunt ita magnæ ſicut illâ una quâ quis omnia peccata ſua ſimul confitetur; quia unum peccatum per ſe conſideratum non ita demonſtrat malam diſpoſitionem peccantis, ſicut quando cum pluribus aliis conſideratur: quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia vel infirmitate labitur; ſed multitudo peccatorum demonſtrat mali-*

tiam

tiam peccantis, vel magnam corruptionem ejusdem. Et in Responsione ad secundum *Pœna*, inquit, *à diversis Sacerdotibus imposita non esset sufficiens: quia quilibet consideraret tantùm unum peccatum per se, & non gravitatem ipsius, quam habet ex adjunctione alterius; & quandoque pœna quæ contra unum peccatum daretur, esset promotiva alterius peccati. Præterea, Sacerdos Confessionem audiens vicem Dei gerit; & ideo debet ei hoc modo fieri Confessio, sicùt fit Deo in Contritione: unde sicut non esset Contritio, nisi quis de omnibus contereretur; ita non esset Confessio, nisi quis de omnibus quæ memoriæ occurrunt, confiteatur.* PARS I, Art. 5. §. 6.

455. Hypocrisis reus est, & periculo peccandi mortaliter se exponit, qui duos eligit Confessarios, quorum uni venialia dumtaxat, alteri verò lethalia peccata aperiat. Peccat enim ille contra sinceritatem Pœnitentiæ Sacramento debitam; & inanis gloriæ studio inflammatus, suæ potiùs famæ & existimationi, quàm animæ saluti, & gloriæ Dei consulit: ac præterea exponit se periculo frequentioris prolapsionis in peccata mortalia, si Confessarium adeat vel imperitum, vel cui est ignotus, qui proinde opportuna Pœnitentiæ & Satisfactionis remedia non applicet. Can. *Consideret*, Dist. *De Pœnitent.* Qui autem ita est affectus, ut Confessario suo mortale peccatum non aperiret, si alterius Confessarii copiam non haberet, *Hypocrisis damnanda.*

PARS I. Art. 5. §. 6.

procul dubio peccat lethaliter.

Peccata in Confessione oblita si postea memoriæ occurrunt, confitenda sunt.

456. Qui peccati alicujus mortalis declarationem omisit, vel ex oblivione, vel ex minùs sufficienti conscientiæ discussione, adhibitâ tamen diligentiâ juxta conditionem scientiámque suam, Confessionem iterare non tenetur; sed tamen ea peccata quorum oblitus est, cofiteri debet, ubi memoriæ occurrerint. Concilium Tridentinum Sessione 14. Cap. 5. Neque necesse est ut illa peccata aperiat eidem Sacerdoti, cui cetera confessus est, si fortè ipsum adire facilè non possit; aut ut alteri eadem peccata declaret, quæ priùs confessus fuerat; sed sufficit ut illa quorum oblitus fuerat, singulatim explicet, alia verò generatim, dicendo, quòd cùm alia multa confiteretur, horum oblitus fuit; ut docet *S. Thomas* loco proximè citato, in Responsione ad tertium. Denique *Alexander Septimus* Pontifex Maximus plurimas inter Propositiones die 14. Septembris anno 1665. damnatas, hanc ordine undecimam confixit:

Propositio damnata.

Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

Confessio negligenter peracta quando iteranda.

457. Qui conscientiam adeò negligenter discussit, ut videri possit parvifacere alicujus peccati mortalis, aut circumstantiæ necessariò explicandæ omissionem, Confessionem iterare debet.

Conscien-

458. Accuratum & diligens examen con-

conſcientiæ cenſendum eſt, in quo ea diligentia adhibetur, quæ in gravioris momenti negotiis adhiberi ſolet. *S. Carolus* in Inſtructione Confeſſorum, Pœnitentem interrogari jubet à Sacerdote, *Num in examinanda conſcientia diligentiam debitam adhibuerit, eàmque qualem æquum eſt exigi in negotio tanti momenti.* Modum autem hujus examinis inſtituendi varium eſſe nemo „ neſcit. In eo Pœnitenti rudiori opitulari „ debere Confeſſarium, monet *S. Carolus*, „ ac docere quâ ratione peccata cum cir- „ cumſtantiis in memoriam poſſint revoca- „ ri, animô ſcilicet vitam percurrendo, aut „ per ætates, pueritiam, juventutem, &c. „ vel per ſtatus varios, putà quomodo ſe „ geſſerit ante Matrimonium, aut poſt ip- „ ſum: vel per varios proſperitatis, aut ad- „ verſitatis, ſanæ vel infirmæ valetudinis „ caſus, per temporum diverſitates, per offi- „ cia quæ adminiſtravit, ſocietates quas „ frequentavit, loca, regiones, domos, in „ quibus converſatus eſt; in his denique „ aliiſque rebus, num corde, aut lingua, „ aut opere peccaverit, examinet.

PARS I. Art. 5. §. 6. *...tiæ examen accuraum.*

459. Confeſſionem dividi poſſe vulgò Theologi cenſent, ubi probabile periculum eſt ne Sacerdos Pœnitentem ad peccatum ſolicitet, ne Confeſſionem revelet; adeóque ne certi cujuſdam peccati, aut circumſtantiæ declaratione, Pœnitens ſe ipſum aut alium in ſalutis æternæ, vitæ, aut famæ diſcri-

Poſſit-ne dividi Confeſſio?

PARS I. Art. 5. §. 6. scrimen adducat. Verumtamen hanc doctrinam plebi tradi non expedit.

Explicatur. 460. Juris positivi præcepta (inquiunt Theologi) cum tanto periculo non obligant: ac proinde in illa hypothesi stricto jure non obligat Confessio, & perinde se habet Pœnitens ac si copiam Confessarii non haberet. Vel, si Confessio facienda sit, nec obtineri potest facultas, aut non habetur opportunitas alterum Confessarium adeundi, explicanda sunt cetera; illud verò peccatum, seu circumstantiæ, ex quibus periculum meritò timetur, eâdem Confessione generatim, & implicitè (ut loquuntur) includendæ sunt, cum proposito illud, vel illas explicandi, ubi primùm copia idonei Confessarii habebitur. Túncque Confessio integra non erit per accidens (ut aiunt) id est, non ex intentione Pœnitentis, sed ex defectu Confessarii integri. Meliùs autem (inquiunt) videtur provideri conscientiis communicantium, si hoc modo confiteantur, quam si ad Eucharistiam accedant totâ Confessione dilatâ. Cavendum tamen ne leves suspiciones, inanésque timores peccatorem abducant ab alicujus peccati lethalis, aut circumstantiæ necessariò explicandæ, Confessione. Ideo plebi hæc doctrina tradenda non est, ne ipsâ abutatur, ut est hominum genus ad suspiciones & inanes timores pronum.

An qui habet re- 461. Qui Reservatorum Criminum reus est, & apud Sacerdotem confitetur qui potesta-

reservata, possit dividere Confessionem?

ſtatem non habet à Caſibus Reſervatis abſolvendi, tenetur nihilominus omnia peccata mortalia confiteri, tam reſervata quàm non reſervata: & de his quidem quamvis ab inferiori poſſet abſolvi, & ad Superiorem remitti ut à reſervatis abſolveretur: convenientior tamen illa videtur Diſciplinæ ratio, ut ab omnibus ſimul abſolvatur ab eo qui poteſtatem habuerit, integrâ peccatorum Confeſſione apud ipſum editâ.

S. Thomas

462. *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Diſt. 17. Quæſt. 3. Articulo 4. Quæſtiuncula ſecunda ad quartum. *Dicendum*, inquit, *quòd etiamſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tenetur ea omnia confiteri; ut quantitatem totius culpæ cognoſcat, & de illis de quibus non poteſt abſolvere, ad Superiorem remittat*.

Quid in ſuppoſito, quod poſſit dividi Confeſſio.

463. Si verò inferior auditâ omnium peccatorum Confeſſione Pœnitentem abſolveret ab iis à quibus poteſt, quod plerique Doctiſſimi Theologi jure fieri poſſe cenſent, remitterentur illi omnia peccata, modò rectè diſpoſitus eſſet; cum ordine tamen ad Abſolutionem alteram quam paratus eſſet poſtulare ac recipere ab eo ad quem remitteretur, acceptâ congruâ Pœnitentiâ. Ex utraque enim illa Abſolutione partiali Sacramentum unum eo in caſu confici, & quaſi unam moraliter Abſolutionem unamque Confeſſionem cenſendam, Theologi illi ſentiunt. Ceterùm, quòd Deum ſpectat, unum

PARS I. Art. 5. §. 6.

unum peccatum ſine altero non poſſe remitti, certiſſimum eſt; cùm homo ex parte Dei amicus,& ex parte inimicus eſse non poſſit, nullumque mortale peccatum cum gratia & caritate, quæ filios Dei faciunt, poſſit conſiſtere.

Peccata de quibus dubitatur an ſint mortalia, confitenda ſunt.

464. Etſi venialium peccatorum Confeſſio non ſit neceſſaria, illa tamen confiteri oportet de quibus dubitatur an mortalia ſint, an venialia. Alioqui Pœnitens exponit ſe periculo celandi peccatum aliquod mortale in Confeſſione,proindéque ſacrilegium committit, & Confeſſionem iterare debet. Confirmatur ex *S. Thoma*, Quæſtione 6. Supplementi Articulo 3. ad tertium. *Quando*, inquit, *aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente. Quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter, diſcrimini ſe committens. Et ſimiliter periculo ſe committit, qui de hoc quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri: non tamen debet aſſerere illud mortale eſſe, ſed dubitativè loqui, & judicium Sacerdotis exſpectare, cujus eſt diſcernere inter lepram & lepram.*

Mendacium in Confeſſione quam grave crimen?

465. Quamvis mendacium in Confeſſione venialium commiſſum, cùm alia ſuppetit Sacramenti materia, lethale peccatum non eſſet, certè periculoſiſſimum eſt. Mentiri verò circa peccata mortalia, eſt abſque dubio lethale peccatum. Quamquam enim

qui-

quibusdam Theologis materiæ levitas mendacium circa venialia peccata in Confessione admissum, cùm alia confitetur Pœnitens, nec debitam Sacramento materiam subtrahit, à peccato mortali excusare videatur: non tamen hominibus mentitur, sed Deo, injuriámque Sacramento facit, qui mendacium hujusmodi committit. A nemine verò in dubium revocatur, quia mendacium circa peccata mortalia, aut venialia quæ sola Pœnitens confitetur, sit peccatum lethale. Cùm enim in judicio etiam civili mentiri in re gravi ad judicium ipsum pertinente, lethale peccatum sit: lethale pariter peccatum esse, & quidem longè gravius, nemo negaverit, in sacro Judicio, scilicet in Confessione sacramentali mentiri de rebus ad ipsam Confessionem pertinentibus. Si quis ergo à Confessario interrogatus de aliquo peccato lethali, illud se commisisse neget, cùm revera commiserit, & se commisisse meminerit, sacrilegii reus est, & Confessionem iterare tenetur, si Absolutionem illo in statu recipiat. Idem esto judicium, si quis de aliquo mortali certò se accuset, quod non commisit, aut quod se commisisse haud ipsi certum est. Judicem enim à Deo constitutum decipit, occasionémque illi præbet, abutendi Clave scientiæ, inimicum Dei ipsum judicando, & lethali peccato, cujus non est reus, frustra ipsum absolvendo. Ne verò quis existimet humilitatis causâ id licere, cùm falsa

PARS I. Art. 5. §. 6. fit humilitas, quæ veritatem oppugnat; Undè *S. Augustinus*, Sermone 181. aliàs 39. *De Verbis Apostoli*, Cap. 4. ait: *Cùm humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator antequàm mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?* Neque id repugnat celebri *S. Gregorii* Sententiæ: *Bonarum mentium est, ibi culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.* Id enim unum significat, justos etiam vereri debere ne opera sua sordibus ac nævis aliquibus inficiantur, quibus Deo displiceant, secundùm illud Job. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Debet etiam justus se peccatorem confiteri in genere, juxta illud *Tertulliani*, Libro de Pœnitentia, *Peccator omnium notarum cùm sim, nulli rei nisi Pœnitentiæ natus*, &c. Quia nemo sine peccato vivit: *In specie verò non dicat se perpetrasse peccatum; nisi sciat, vel credat ita esse*; inquit *S. Raymundus* (Lib. 3. §. 24.) Vel (ut ait *S. Thomas*) agnoscere culpam ubi culpa non est, dupliciter intelligitur: *Uno modo quantùm ad substantiam actûs, & sic non est verum. Non enim ad bonam mentem pertinet, sed ad errantem, ut se actum aliquem commisisse agnoscat, quem non commisit. Alio modo quantùm ad conditionem actûs, & sic verum est quod*

S. Gre-

S. Gregorius dicit, quia justus in actu qui de se bonus est, formidat ne aliquis defectus ex parte sua fuerit. Et sic dicitur Job IX. Verebar omnia opera mea. *Et ideo ad bonam mentem etiam pertinet, ut hanc formidinem, quam corde tenet, linguâ accuset.* Tandem *Per Confessionem debet Pœnitens se Confessori suo manifestare. Qui autem aliud Sacerdoti de se loquitur quàm in suâ conscientiâ habeat, sive bonum, sive malum, non se Sacerdoti manifestat, sed magis occultat: & ideo non est idonea Confessio, nisi os cordi concordet; ut solùm hoc os accuset, quod conscientia tenet.* Hæc *S. Thomas*, loco supra citato, & in 4. *Sententiarum*, Dist. 21. Quæst. 2. Art. 3.

PARS I. Art. 5. §. 6.

466. Fidelem Confessionem non facit, lethalisque peccati reus est, qui circumstantias opus à peccato prorsus excusantes, aut ita minuentes ut veniale faciant, quod aliàs esset mortale, silentio premit. Ille enim Confessarium decipit in re gravi, neque cor suum effundit sicut aquam in conspectu Dei, & Ministri ejus; cùm aliud profiteatur ore, ab eo quod in animo gerit. Si quis, verbi gratiâ, occidit aggressorem cum inculpatæ tutelæ moderamine, (ut loquuntur Theologi) id est, necessariâ vitæ suæ defensione compulsus; vel in bello justo hostes interfecerit; & homicidia se perpetrasse simpliciter declaret, confitetur ut mortale peccatum, quod nullum reverà peccatum est, *Circumstantiæ opus à peccato excusantes, aut peccatum minuentes non dissimulandæ.*

adeó-

sit humilitas, quæ veritatem oppugnat. Undè *S. Augustinus*, Sermone 181. aliàs 39. *De Verbis Apostoli*, Cap. 4. ait: *Cùm humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator antequàm mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?* Neque id repugnat celebri *S. Gregorii* Sententiæ: *Bonarum mentium est, ibi culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.* Id enim unum significat, justos etiam vereri debere ne opera sua sordibus ac nævis aliquibus inficiantur, quibus Deo displiceant, secundùm illud Job. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Debet etiam justus se peccatorem confiteri in genere, juxta illud *Tertulliani*, Libro de Pœnitentia, *Peccator omnium notarum cùm sim, nulli rei nisi Pœnitentiæ natus*, &c. Quia nemo sine peccato vivit: *In specie verò non dicat se perpetrasse peccatum; nisi sciat, vel credat ita esse*; inquit *S. Raymundus*(Lib. 3. §. 24.) Vel (ut ait *S. Thomas*) agnoscere culpam ubi culpa non est, dupliciter intelligitur: *Uno modo quantùm ad substantiam actûs, & sic non est verum. Non enim ad bonam mentem pertinet, sed ad errantem, ut se actum aliquem commisisse agnoscat, quem non commisit. Alio modo quantùm ad conditionem actûs, & sic verum est quod S. Gre-*

S. Gregorius dicit, quia justus in actu qui de se bonus est, formidat ne aliquis defectus ex parte sua fuerit. Et sic dicitur Job IX. Verebar omnia opera mea. *Et ideo ad bonam mentem etiam pertinet, ut hanc formidinem, quam corde tenet, linguâ accuset.* Tandem *Per Confessionem debet Pœnitens se Confessori suo manifestare. Qui autem aliud Sacerdoti de se loquitur quàm in suâ conscientiâ habeat, sive bonum, sive malum, non se Sacerdoti manifestat, sed magis occultat: & ideo non est idonea Confessio, nisi os cordi concordet; ut solùm hoc os accuset, quod conscientia tenet.* Hæc *S. Thomas,* loco supra citato, & in 4. *Sententiarum,* Dist. 21. Quæst. 2. Art. 3.

PARS I. Art. 5. §. 6.

466. Fidelem Confessionem non facit, lethalisque peccati reus est, qui circumstantias opus à peccato prorsus excusantes, aut ita minuentes ut veniale faciant, quod aliàs esset mortale, silentio premit. Ille enim Confessarium decipit in re gravi, neque cor suum effundit sicut aquam in conspectu Dei, & Ministri ejus; cùm aliud profiteatur ore, ab eo quod in animo gerit. Si quis, verbi gratiâ, occidit aggressorem cum inculpatæ tutelæ moderamine, (ut loquuntur Theologi) id est, necessariâ vitæ suæ defensione compulsus; vel in bello justo hostes interfecerit; & homicidia se perpetrasse simpliciter declaret, confitetur ut mortale peccatum, quod nullum reverà peccatum est, adeó-

Circumstantiæ opus à peccato excusantes, aut peccatum minuentes non dissimulandæ?

PARS I. Art. 5. §. 6.

adeóque mortaliter peccat. Item si quis de violato jejunio quadragesimali se accuset, qui ob infirmitatem jejunare non potuit, nec circumstantiam infirmitatis aperiat, lethali peccato se obstringit. Lethalis tamen peccati reos non censerem homines simplices, rudes, imperitos, qui circumstantias illas malo animo, vel ex industria, Confessariũ non celarent: illorum enim simplicitati & imperitiæ prudens Confessarius succurrere debet.

Recidivæ & consuetudinis circumstantiam confiteri necesse est.

467. Pœnitens confiteri tenetur circumstantiam Relapsûs in eadem peccata. Hæc enim circumstantia peccati gravitatem plurimùm auget: *Fiuntque novissima hominis* ita relapsi *pejora prioribus*, ut Christus docet Luc. 11. 26. *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 22. Quæst. 1. Articulo 3. ubi eorum opinionem refellit, qui hanc circumstantiam non esse necessariò in Confessione aperiendam contendebant: *Sed ex hac opinione*, inquit, *videtur relinqui quòd non possit plenè recidivantis morbo remedium adhiberi: multa enim expediunt ad spiritualem salutem recidivantis, quæ non sunt necessaria innocenti; ut scilicet circa eum major cautela adhibeatur*. Unde inter varias corruptæ Moralis Propositiones *Innocentius XI*, Pontifex Maximus hanc damnavit 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*

Propositio damnata.

Clerus etiam Gallicanus in generalibus Comitiis An. 1700. hanc Propositionem confixit

xit his verbis: *Falsa est, temeraria, in errorem inducit, sacrilegiis favet, Christianæ simplicitati, Ministrorum Christi judiciariæ potestati Confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni ac fini derogat*.

An multorum Confessiones simul audiri aliquando possint?

468. Imminente naufragio, vel prælio, aut alio præsente periculo, ex quo nullus pateat exitus, si Sacerdos omnium Pœnitentiæ remedium postulantium Confessiones integras excipere non possit, plures simul peccatum aliquod suum confessos, aut generatim dumtaxat se de peccatis accusantes, & signa Contritionis dantes, absolvere Sacramentaliter potest & debet. Cùm enim Ecclesiæ Clavibus se subjiciant, faciántque in illis angustiis, quod in se est, remedio à Christo instituto, & Ecclesiæ commisso, lapsísque in mortale peccatum post Baptisma necessario, privari non debent, ne ligati exeant ex hoc mundo. Si tamen ex eo periculo evaserint, omnia peccata sua sigillatim ac soli tenentur Sacerdoti confiteri.

Extra necessitatem non licet.

469. Lethaliter peccaret Sacerdos, qui extra hujusmodi periculorum extrema, multorum simul Confessiones audiret, etiam puerorum doli capacium. Præceptum enim Ecclesiæ violare non vereretur, quæ Confessionem secretam esse jubet, atque à solo Pœnitente fieri, Canone 21. Concilii Lateranensis 4. *Omnis utriusque sexus*.

Quomodo se gerere debeat

470. Sacerdos vocatus ad infirmum, qui obmutuit, aut rationis usu destitutus est, ipsum

PARS I. Art. 5. §. 6. *Confessarius erga infirmum qui obmutuit, & rationis usu destitutus est, dum vocatus ad illum veniret?*

sum absolvere potest & debet ex aliorum testimonio, asserentium Pœnitentis animi signa ipsum exhibuisse, & Confessarium postulasse. *S. Augustinus* Libro 1. *De Adulterinis Conjugiis*, Cap. 26. & 28. ubi Catechumenos in extremis constitutos, etiamsi nec ad interrogata respondere, nec Baptismum petere possint, esse nihilominus baptizandos docet; & similiter moribundis Pœnitentibus Reconciliationem sive Asolutionem concedendam, etiamsi ipsos vox & sensus defecerint. *Catechumenis*, inquit, *in ultimo vitæ hujus constitutis, si morbo vel casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quòd eorum in Fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit*. Et postquam significavit eos non esse judicandos, qui contrariam disciplinam usurpant, & baptizare non audent eos qui pro se respondere nequiverint, ne fortè contrarium gerant voluntatis arbitrium, eorum scrupulum his verbis amolitur: *Sed non solùm incredibile est nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle: verùm etiam si voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare; ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta per-*

ci-

cipere, sine quibus jam credidit se non oportere de corpore exire. Et inferiùs, hypothesi facta de Catechumeno adultero, constituto in extremis, & vocis usu sensuúmque destituto, eum etiam baptizandum esse censet. *Ego*, inquit, *non solùm alios Catechumenos, verùm etiam eos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvo corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati, & intra se Pœnitentes tacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris Lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad Baptismum statuerant detineri?* Tandem eamdem esse Pœnitentiæ rationem asserit, id est, eam Fideli moribundo, ante Sacerdotis adventum vocis usum amittenti administrandam esse. *Quæ autem Baptismatis, eadem Reconciliationis est causa, si fortè Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suę pacis exire velle debet Mater Ecclesia.*

PARS I. Art. 5. §. 6.

Rituale Romanū.

471. Idem confirmat Rituale Romanum, de moribundo ita loquens: *Si petiit Sacerdotem ut confiteatur, ostendit se facere velle omnia quæ debet, & interea factus est mutus vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo Confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat Absolutio-*

nem ab omni sententia & peccato: & potest injungere circumstantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus aut consanguineis pro ejus Anima, si volunt acceptare. Deinde debet ei dari Eucharistia, si non sit confessus.

De moribundo sensibus destituto.

472. Homines moribundos, quos vox & sensus defecit antequàm ullum Pœnitentis animi signum darent, ac Sacerdotem postularent, absolvere non licet, si constet vitiis deditos fuisse, aut peccandi proximis occasionibus implicatos. In voluntate namque peccandi perseverare censentur, donec eam se deposuisse demonstraverint. Nec aliud colligi potest ex loco *S. Augustini* superiùs citato, ubi Catechumenos qui adulterina retinent consortia, baptizandos esse docet, si infirmitate correpti vocis & sensûs usum subitò amiserint, eamdémque esse Pœnitentiæ rationem. Supponit enim *S. Augustinus*, illos in adulterinæ carnis illecebra perseverare noluisse, & propositum illis fuisse concubinas dimittere ante Baptismum, atque peccato nuntium omninò remittere; & in illis angustiis illos *Intra se pœnitere*, quod credibile faciebat Catechumenorum status, quem sponte susceperant, & Baptismi suscipiendi voluntas, quæ conjuncta præsumebatur cum voluntate sincera præstandi ea omnia, sine quibus Ecclesia ipsos ad Baptismum non admisisset. Illos ergo vitio deditos homines; aut etiam vagos, & ignotos, qui-

quibus nullum testimonium fide dignum perhibetur quòd piè & Christianè vixerint, nullus Sacerdos absolvat. PARS I. Art. 5. §. 6.

473. Qui peccatum aliquod mortale in Confessione prætermisit ex Divini Juris ignorantia, Confessionem iterare tenetur: si verò ex ignorantiâ facti, sufficit ut illud confiteatur, nec ceterorum Confessionem repetere necesse est. *Confessio nulla ex ignorantia juris non ex ignorantia facti.*

474. Ita *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 21. Quæstione 2. Articulo 2. ad quartum. *Ignorantia Juris*, inquit, *non excusat, quia ipsa peccatum est; sed ignorantia facti excusat. Unde aliquis de hoc quòd non confitetur peccata, quæ nescit esse peccata propter ignorantiam juris divini, non excusatur à fictione: excusaretur autem, si nesciret ea esse peccata propter ignorantiam particularis circumstantiæ; ut si cognovit alienam, quam credidit esse suam: sed oblivio de actu peccati habet ignorantiam facti: & ideo excusat à peccato fictionis in Confessione, quod fructum Absolutionis & Confessionis impedit.*

475. Virginibus & Devotis Feminis summopere cavendum est, ne ex frequentibus venialium peccatorum Confessionibus, & occasione Confessionum, collocutionibus cum Confessariis & Moderatoribus Conscientiarum, nimia ad ipsos Confessarios & Directores adhæsio, & impuri vel inquieti affectus nascantur. *Cautio Devotis feminis necessaria.*

 476. Mo-

PARS I. Art. 5. §. 6. *Mora diuturnior cum ipsis non trabenda.*

476. Moram diuturniorem in frequentibus Devotarum Feminarum Confessionibus audiendis, & prolixiora cum ipsis sive in Confessione, sive extra sacrum Tribunal colloquia Directionis specie, tam ipsis mulierculis, quàm Confessariis admodum periculosa censuerunt Venerabilis *Umbertus* Ordinis FF. Prædicatorum Generalis Magister, Libro De Officiis ejusdem Ordinis, & *S. Antoninus*, 3.P. Tit.17. Cap.19. *Audiendo mulieres*, inquiunt, *caveat ne nisi in publico audiat, & nisi ab aliquo vel aliquibus videatur, nec multùm immoretur, nisi quantùm necessitas Confessionis requirit. Et eis quæ nimis frequenter confiteri volunt, assignet certum tempus extra quod ipsas non audiat, nec aliis colloquiis se eis exponat. Et semper verbis duris & rigidis circa illas utatur potiùs quàm mollibus.* Hæc ex *B. Umberto* laudat *S. Antoninus*, subdítque: *Et hoc est contra illos qui quotidie audiunt mulierculas, & faciunt eis longas Prædicationes. Unde amittunt multùm temporis, & scandalum communiter sequitur in ipsis, & in Populis.*

Nequidem specie caritatis.

477. Specie caritatis moram diuturniorem, aut frequentationem nimiam devotarum feminarum frustra excusarent imprudentes conscientiarum moderatores. Timendum enim ne *sani* non sint *in caritate*. Timendum frigus caritatis, vento flante ab Aquilone, unde omne malum. *De hoc fri-*

S.Hieron.

gore caritatis & Ammon in sorore sua Thamar obriguerat. Timendum ergo ne fortè & nos hac infirmitate caritatis aliquando superemur. Nonnunquàm enim evenit, ut primùm à nobis in virginem sive in quamlibet feminam sit sancta dilectio, & cùm mollita mens fuerit in affectus, paulatim sanitas caritatis languore pallescat, & infirmari incipiat, & ad extremam mortem diligentem ferat. Unde Apostolus cautè & prudenter Timotheo præcipit, ut exhortetur adolescentulas in omni castitate. Omnis autem castitas in carne & spiritu, & anima est: ne scandalizetur oculus: ne in pulchritudine vultûs feminæ hærentes pendeamus: ne blanda nos audire verba delectet, ne ad simulatos sermones mens priùs dura marcescat. Caveant ergo tam juvenes quàm senes, tam adolescentulæ quàm vetulæ, & omni diligentiâ custodiant cor suum: ne sanitatem dilectionis morbus caritatis introëat, & per amorem sanctum fiat non sancta dilectio, quæ illos pertrahat in gehenam (inquit S. Hieronymus.)

PARS I. Art. 5. §. 6. in cap. 2. Epist. ad Titum.

478. Confessiones, præsertim mulierum, in Ecclesia, in loco patenti, non in angulis, abditisve locis, aut Capellis minùs latè patentibus excipi debent. Sic enim in plerisque Conciliis statutum est.

Locus ubi Confessiones excipiendæ.

479. Conscios sive complices criminum in Confessione declarare tenetur Pœnitens, tacito eorum nomine, cùm id ad Confessio-

Quando conscii sive complices spec-

PARS I. Art. 5. §. 6. nis integritatem necessarium est, scilicet cùm peccatum ratione complicis speciem mutat, vel gravius evadit.

...catorum in Confessione declarandi?

Concil. Tribur. 480. Canone 43. Concilii Triburiensis. *Si quis*, inquit, *cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente filius ejus, vel frater ejusdem & rei inscius, cum eadem se polluerit; & postquam se pollutum esse cognovit confessus fuerit, quia hoc pœnituit, & confessus fuit, post peractam congruam Pœnitentiam, legitimo utatur Matrimonio.*

481. Item Concilii Vvormatiensis Ca-
Concil. Vvormat. none 62. *Si quis*, inquit, *cum matre & filia in adulterio mansit, nesciente matre quòd cum filia mansisset, similiter & filiâ nesciâ, & postea ille vir si acceperit mulierem, dimittat eam, & usque in diem mortis suæ non habeat uxorem: & illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum. Et illa mater & filia, cum quibus in adulterio mansit, ambabus nescientibus quòd cum matre & filia mansisset, habeant viros. Nam in notitiam earum si venerit hoc scelus, dimittant maritos, & agant Pœnitentiam.* Idem ibi decernitur de noverca & filiastra, & duabus sororibus. Idem prope referunt *Burchardus*, Libro 17. Cap. 12. & *Ivo Carnotensis*, P. 9. Cap. 72. ex Canone 4. Concilii apud *Vermerias*, & *Gratianus*, Causâ 34. Quæst. 1. Cap. 9. ex Concilio Triburiensi. Similia pleráque leguntur in Pœnitentiali Romano, Tit. 3. Capp. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14.

482. Ne-

482. Neque verò de publicis tantùm peccatis, sed etiam de occultis loquuntur illi Canones. Vix enim hujusmodi crimina publicantur, siquidem intra domesticos parietes perpetrantur, & sceleris occultandi & perpetrandi facilitatem maximam præbet consanguinitatis & affinitatis propinquitas.

Occulta etiam Consciorum crimina in Confessione quandoque aperienda

483. Deinde Canones non explicant an sæpius, aut cum scandalo hæc crimina commiserint illi quibus Pœnitentia constituitur, an semel. At sanè crimina illa omnia ex una aut altera perpetratione aspergi suspicione vix possunt, nedum divulgari. Denique occultissima esse crimina ipsi Canones apertissimè testantur, cùm hypothesim statuant, duorum affinium vel consanguineorum circa eamdem personam etiam ipsis affinem vel consanguineam crimen perpetrantium, neutrum crimen alterius cognoscere. Confessarius porrò Pœnitentiam in sacro Tribunali injungens, nosse non poterat gravitatem incestûs, nisi Pœnitentium aliquis criminis conscios Confessario declarasset. Eadem autem ratio nunc obligat Pœnitentes ad revelationem consciorum sive complicum in Confessione Sacramentali: sæpe enim contingit ut peccati species Sacerdoti aperiri non possit, vel gravitas innotescere, nisi criminum conscii declarentur. Cùm igitur Confessio jure divino integra esse debeat, eodem quoque jure conscios criminis Confessario declarare necesse est, quoties id postulat

PARS I. Art. 5. §. 6.

stulat Confessionis integritas.

Neque detrabere censendus est, qui conscium revelat.

484. Neque verò famæ proximi detrahere censendus est, qui conscium revelat Confessario, integræ Confessionis faciendæ necessitate compulsus; sicut nec maledicus censetur reus, qui à seculari judice legitimè interrogatus, criminis conscios declarat; nec maledicentiæ rei sunt, qui alterius crimen occultum Principi, Episcopo, patri, amico denuntiant, ut grave imminénsque malum avertant ab Ecclesia, à Principe, à Republicâ, à familiâ, à Principis, ab amici, vel proximi capite, famâ, fortunis; quod obviis exemplis explicari potest. Non enim maligno animo, non ex odio, aut invidiâ in proximum hæc fiunt, sed ex officio justitiæ, caritatis, vel amicitiæ; & si quod malum inde redundet in reos, id per se non intenditur à denuntiatoribus, quibus publicum dumtaxat bonum, vel salus Principis, aut amici, vel proximi utilitas studio est: & si quod reis malum eveniat, id sibi tribuere debent, qui criminis perpetratione se in illud periculum conjecerunt. Quantò minùs censendi sunt detractores & maledici, qui divina lege de Confessionis integritate compulsi, conscios criminis, ut ei pareant, in Confessione sacramentali declarant Sacerdoti, vice Dei sacrum Judicium exercenti, jus habenti Pœnitentem de omnibus quæ ad ipsius peccatum pertinent, interrogandi, arcani religione obstricto, prudenti; non ut noceat, sed

ut

ut profit ipsi Pœnitenti, imò & conscio, si opportunitas detur, ut ipsos cum Deo reconciliet, ut salutem illis æternam procuret?

485. Hæc doctrina traditur à *S.Thoma*, Opusculo 12. ad *F. Gerardum*, Lectorem Bisuntinum, O. P. Quæstione 6. *De expressione autem personæ, cum qua aliquis peccavit, videtur mihi quòd non sit in Confessione facienda, quando potest vitiari. Primò quidem, quia prodere crimen alterius. & lædere famam, est peccatum, quod maximè vitandum est in Confessione, per quam quis quærit præterita peccata delere. Secundò, quia à Domino, (Matth.XVIII.) est forma denuntiandi peccatum proximi descripta, contra quam agere non licet. Tertiò, quia in Confessione est credendum peccatori confitenti, & pro se, & contra se, sed contra alium nullo modo est ei credendum: alioquin daretur multis occasio fictæ Confessionis, & fraudulentæ infamationis. Et ideo, si potest speciem peccati confiteri non innotescendo personam cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, nisi fortè salvato correctionis ordine, quem Dominus statuit. Si verò speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, putà si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed, si fieri potest, debet quærere talem Confessorem, qui personam sororis*

S.Thomas

peni-

PARS I. Art. 5. §. 7. *penitus non cognoſcat*.

S. Raymundus. 486. Idem docet *S. Raymundus*, Libro 3. §. 24. *S. Bonaventura*, in 4. *Sententiarum*, Diſt. 21. Quæſtione 3. P. 2. Articulo 1. Sanctus etiam *Antoninus* 3. P. Tit. 14. Cap. 19, §. 2.

Ubi imminet periculum complex revelari non debet. 487. Si ex complicis revelatione in Confeſſione ſacramentali facta, grave damnum animæ vel corporis, vel famæ probabiliter imminent ſive Pœnitenti, ſive Confeſſario, ſive ipſi complici, aut aliis, Pœnitens facultatem petere debet alteri confitendi: quam ſi obtinere nequeat, reliqua peccata confiteri debet, circumſtantiam verò ſi reticeat, ex qua perſona complicis innoteſcere poſſet, cum propoſito illam confitendi opportunitate datâ, nulla propterea Confeſſio cenſeri non debet.

S. Thomas 488. *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Diſt. 17. Quæſtione 3. Articulo 3. Quæſtiuncula 4. ad quintum.

§. VII.

De Miniſtro Confeſſionis & Caſuum reſervatione.

De Pœnitentiæ & Confeſſionis Miniſtro. 489. Solus Sacerdos Miniſter eſt Confeſſionis & Pœnitentiæ. Illuſtre hujus Miniſterii teſtimonium præbent illa Chriſti Domini verba, Joannis 20. *Accipite Spiritum-Sanctum*: *Quorum remiſe-*

miseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Neque enim omnibus, sed Apostolis tantùm hæc dicta fuisse constat, quibus in hac functione Sacerdotes succedunt.

PARS I. Art. 5. §. 7.

490. Ad Confessiones audiendas, & Ministerium Sacramenti Pœnitentiæ, non sufficit Potestas Ordinis Sacerdotalis, sed necessaria est Potestas Jurisdictionis, ordinaria, vel delegata, sive à Superiore demandata. Absolutio enim Sacerdotis à Christo instituta est *Ad instar actus judicialis, quô ab ipso velut à judice sententia pronunciatur* (inquit Tridentina Synodus Sessione 14. Cap. 6.) *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud exposcit, ut Sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti Absolutionem eam esse debere; quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet Jurisdictionem*, quod *verissimum esse* eadem Sacra Synodus confirmat Cap. 7.

Potestas Jurisdictionis Ordinaria vel delegata, in Ministro Pœnitentia necessaria.

491. Idque antea declaraverat *Eugenius Quartus* in Decreto; & ante *Eugenium Quartum* Concilium Lateranense sub *Innocentio III.* Canone 21. disertis verbis asserens, alienum Sacerdotem sine licentia proprii solvere vel ligare non posse, defectu scilicet Jurisdictionis. *Si quis autem*, inquit, *alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet & obtineat à proprio Sacerdote: cùm aliter ipse*

Eugenius IV. & Concil. Lateran.

PARS I. Art. 5. §. 7. *ipse illum non possit absolvere, vel ligare.*

S. Thomas 492. Id confirmat *S. Thomas* hac ratione. Imperare alteri nemo potest, eúmque ad pœnam satisfactoriam subeundam obligare, nisi in eum Jurisdictionem habeat: Minister autem Sacramenti Pęnitentiæ obligare potest Pœnitentem ad pœnam satisfactoriam subeundam: necessaria igitur est, ut eò ministeriò fungatur, non solùm potestas Ordinis, ut in aliis Sacramentis, sed etiam potestas Jurisdictionis. *Et ideò sicut ille qui non est Sacerdos, non potest hoc Sacramentum conferre; ita nec ille qui non habet Jurisdictionem. Et propter hoc oportet, sicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti Confessionem fieri. Cùm enim Sacerdos non absolvat, nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere, qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare.*

Concil. Trident. Catechismus. 493. Denique Concilii Tridentini Catechismus, P. 2. De Sacramento Pœnitentiæ, §. 71. ubi docuit Confessionis Ministrum habere oportere *non solùm Ordinis, verùm etiam Jurisdictionis potestatem, ordinariam, aut delegatam*; subdit: *Quanta olim religione in antiquissima Ecclesia jus Ordinarii Sacerdotis conservatum fuerit, ex veteribus Patrum Decretis facilè intelligitur: quibus cautum est, ne quis Episcopus aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid gerere auderet sine ejus auctoritate, qui illi præesset, aut nisi magna necessitas coge-*

cogere videretur. Ita verò ab Apostolo sancitum est, cùm Tito præcepit, ut in singulis civitatibus Sacerdotes constitueret: qui scilicet doctrina & Sacramentorum cœlesti pabulo Fideles alerent & educarent.

PARS. Art. 5. §. 7.

SS. Canones.

494. Disciplinam illam, quam laudat Concilii Catechismus, antiquis Canonibus sancitam legimus, scilicet, Canone *Si quis Episcoporum*, Causa 16. Quæst. 2. & Canone *Nullus*, Causa 9. Quæst. 2. Item Canone *Nullum*, ibidem, & Canone *Placuit*, Dist.6. *De Pœnitentia*, quo statuit Urbanus II. *Ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere sine ejus consensu, cui priùs se commisit, nisi pro ignorantia illius cui priùs confessus est. Qui verò contra statuta facere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit.*

Sacerdotes in sua Ordinatione potestatem Jurisdictionis nō accipiant.

495. Quamvis autem potestatem Ordinis ad remittenda peccata Sacerdotes accipiant, cùm inaugurantur, quod his verbis in ipso Ordinationis Ritu significat Episcopus Manus imponens: *Accipe Spiritum-Sanctum: Quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt*: non tamen accipiunt potestatem Jurisdictionis, nisi cùm Pastorale Beneficium accipiunt, aut ab Episcopo ad Confessiones audiendas approbantur. Ordinariam itaque Jurisdictionis potestatem habent, quicumque Animarum Regimini præficiuntur ab Eccle-

Qui ordinariā, qui delega-

PARS I. Art. 5. §. 7. *tam habeant Iurisdictionis potestatem.*

Ecclesia, scilicet Summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus quilibet in suâ Diœcesi, Episcopi quoque Pœnitentiarius; Parochus in sua Parochia, Prælatus Regularis in Regulares dumtaxat personas ipsi subditas. Delegatam verò Jurisdictionis habent potestatem, quicumque ab Episcopis ad Confessiones audiendas admittuntur.

Annua Confessio proprio facienda Sacerdoti.

496. Quilibet Fidelis tenetur semel in anno peccata sua confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia. Ita decrevit Concilium *Lateranense* Quartum sub *Innocentio III.* Canone 21. *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter proprio Sacerdoti, & injunctam sibi Pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minùs in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ. Unde hoc salutare Statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet & obtineat à proprio Sacerdote; cum aliter ille ipse non possit solvere, vel ligare.* Quam Lateranensis Concilii Constitu-

stitutionem confirmat Sacra Synodus Tridentina Sessione 14. Cap. 5. & Canone 8.

PARS I. Art. 5. §. 7.

497. Porrò, Proprii Sacerdotis nomine Parochum intelligit Lateranense Conciliũ, ut declararunt *Martinus IV. Benedictus XI. & Sixtus IV.* Quamvis autem proprii Sacerdotis nomine Parochus designetur, Regulares tamen & alii à S. Pontifice, vel ab Episcopis delegati pro ipso tempore Paschatis, vel absque ulla temporis, aut loci restrictione approbati, non excluduntur. Unde qui apud ipsos peccata deposuerunt, & absoluti sunt, ipsi Canoni paruisse sunt censendi; ut ex ipso Concilio facilè probatur, ac declaravit Leo X. Constitut. *Dum intra*.

Quis proprius Sacerdos.

498. Summus Pontifex & Episcopi jus habent graviorum quorumdam criminum Absolutionem sibi reservandi. Quamvis enim potestas Ordinis simplicibus Presbyteris in eorum Ordinatione collata se extendat ad omnia peccata remittenda; quia tamen ad usum istius potestatis necessaria Jurisdictio est, quæ à Majoribus ad inferiores descendit; ideo potest Superior sibi aliqua reservare, in quibus judicium inferiori non committat; (inquit *S. Thomas* Q.20. Suppl. A.2.)

Potestas reservandi sibi certos casus Summo Pontifici & Episcopis cōpetit.

499. Unde Sacra Synodus Tridentina Sessione 14. Cap.7. ait: *Magnopere ad Christiani Populi disciplinam pertinere, Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quadam & graviora crimina non à qui-*

Concilium Trident.

PARS I. Art. 5. § 7.

busvis, sed à Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde meritò Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare, Neque dubitandum est; quando omnia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus Excommunicationis Censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est Divinæ Auctoritati, non tantùm in externa politia; sed etiam coram Deo vim habere.

500. Et Canone 11. Anathemate ferit eos qui dixerint, *Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam Politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominùs Sacerdos à reservatis verè absolvat.*

Causa duplex reservationis Casuum.

501. Causa autem reservandi duplex est, prima ut hominum propensio ad peccandum quodam verecundiæ frenô coërceatur, dum Summus Pontifex, vel Episcopi sunt adeundi ad obtinendam Absolutionem. Secunda, ut morbi graviores Medicis peritioribus curandi serventur.

Discrimen inter

502. Id verò discriminis est inter Casum reservatum, & Censuram, quòd Censura

ſura ſit pœna quædam Eccleſiaſtica: Caſus verò reſervatus ſit peccatum, ſive adjunctam habeat Cenſuram, ſive non. Sunt enim aliqui Caſus Epiſcopis reſervati, quibus nulla Cenſura annexa eſt. Sunt etiam Cenſuræ quædam illis reſervatæ, peccatis, ob quæ illæ feruntur, minimè reſervatis, ut Suſpenſiones, & quædam Irregularitates.

PARS I Art. 5. §. 7. Caſum reſervatum & Cenſuram.

503. Reſervationem duplicem eſſe Tridentinum Concilium declarat, Epiſcopalem ſcilicet ac Pontificiam.

Duplex eſt reſervatio. Epiſcopalis & Pontificia,

504. Quod Epiſcopos attinet, jampridem graviora crimina, pro quibus imponebatur antiquitus Pœnitentia publica, ipſis reſervata erant; ſiquidem publicè Pœnitentium reconciliatio penes ſolos Epiſcopos erat; neque ſecundi Ordinis Sacerdotibus fas erat Pœnitentes reconciliare, niſi vel Epiſcopo abſente, vel urgente neceſſitate; vel ex ſpeciali mandato Epiſcopi. Cùm autem publica Pœnitentia in deſuetudinem abiiſſet, Epiſcopi nihilominus graviorum quorumdam criminum abſolutionem ſibi reſervarunt, ut populus majorem eorum horrorem conciperet, ac difficultas abſolutionis minueret facilitatem peccandi; ſicut è contrario facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. Ut autem hic reſervationis finis faciliùs obtineretur, Epiſcopi raró admodum, & paucis ſecundi Ordinis Sacerdotibus facultatem à reſervatis abſolvendi indulgebant: ſed volebant ut graviorum

illorum criminum rei ad se pro absolutione obtinenda accederent.

505. Hinc Arelatense Concilium anno millesimo ducentesimo sexagesimo, Canone decimo-sexto, ait, propter *imbecillium*, & *impotentium*, & *pauperum occupationes*, & *penuriam*, consuevisse aliquando Episcopos per villas & oppida *Pœnitentiarios* suos in Quadragesima destinare, qui eos *à Casibus*, qui *Majoribus reservabantur*, absolverent: quod indicium manifestum est, inferioribus Confessariis per villas, & oppida constitutis facultatem à reservatis absolvendi non fuisse communicatam: neque Pœnitentiarios ab Episcopis destinatos potuisse quoslibet à casibus reservatis absolvere, sed illos dumtaxat qui ratione impotentiæ aut penuriæ ad Episcopum accedere facilè non valebant; quod Synodus ipsa in fine ejusdem Canonis clarissimis verbis expressit: *Nec Prælati*, inquit, *super casibus sibi reservatis, ad Parochianos suos Pœnitentiarios destinent, nisi eos qui commodè suos Prælatos adire non possunt*.

506. Et Synodus altera ejusdem Provinciæ anno millesimo ducentesimo sexagesimo-quinto celebrata, prohibet Canone 13. ne Sacerdotes qui Confessiones audiunt se intromittant de absolutionibus peccatorum reservatorum, *Nisi personæ quæ in aliquos prædictorum casuum inciderint, fuerint adeo senes vel valetudinariæ, quòd ad Episcopos*

copos vel eorum Pœnitentiarios venire non possint, vel nisi fuerint in mortis articulo constitutæ. Et tunc eis nihilominus injungatur, quòd si recuperaverint sanitatem, pro prædictis se debeant Episcoporum aspectibus præsentare.

507. Quod spectat reservationem Pontificiam Casuum, Summi Poutifices jure illo, quô per totam Ecclesiam possunt sibi reservare casus, decem sçculorum spatio non sunt usi. Plenam enim & omnimodam auctoritatem absolvendi in foro Pœnitentiali cujuscumque quamvis atrocis criminis reos, Episcopis relinquebant. At sæculo undecimo cœperunt ipsi Episcopi nonnullos graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere, vel ut à Summo Pontifice reconciliarentur, vel ut ab ejus Sanctitate Pçnitentia ipsis imponeretur; quâ demum peracta ab Episcopis suis absolverentur. Nec tantùm in particulari aliquo casu pœnitentes ad Sedem Apostolicam mittebant; quod ex Concilio Lemovicensi secundo constat anno trigesimo-primo supra millesimum celebrato, ex Hildeberto Cenomanensi Episcopo Epistola 60. & ex Yvone Carnotensi Epistolis 98. & 160. Sed quandoque etiam generali Decreto criminis alicujus reos non ab Episcopis, sed à solo Pontifice Maximo absolvendos decernebant. Sic Episcopi Gallicani in Concilio Remensi anno millesimo centesimo trigesimo-primo Canone 13. In-

PARS I. Art. 5. §. 7. nocentio II. Præside decreverunt ut *Nullus Episcoporum* illum qui violentas manus in Clericos vel Monachos injecerit, *præsumat absolvere, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Simile Decretum edidit Concilium Londinense anno 1142. Sed & Concilium Avenionense quatuor Provinciarum, Arelatensis, Viennensis, Ebredunensis & Aquensis anno 129. celebratum, publici perjurii reos, & Censurarum Ecclesiasticarum contemptores, à solo Romano Pontifice absolvendos Canone 13. statuit. *Contra publicè perjuros, seu convictos de perjurio, & eos qui pertinaciter in excommunicatione per sex menses permanserint, pro eo quòd faciles sunt homines ad perjuria & ad censuram Ecclesiasticam contemnendam, specialem & novum Canonem promulgamus, scilicet, ut nulli Episcoporum liceat hujusmodi anathematizatot absolvere, sed ad Sedem Apostolicam, sicut sacrilegi & incendiarii absalvendi mittantur. Perjuri verò, præter aliam satisfactionem, dictam Sedem in præsentia visitare cogantur.* Secutis sæculis Romani Pontifices plures sibi Casus reservarunt, & absolvendi ab iis potestatem inferioribus Confessarius delegare cœperunt, ut caritatis, non minùs quàm potestatis plenitudinem exercerent.

Confessio facta non 508. Igitur nulla est Confessio, quæ fit Sacerdoti Potestatem Jurisdictionis non ha-

habenti, aut qui legitimam formam non adhibuerit; aut quæ ad Pœnitentiæ Sacramenti Administrationem omninò necessaria sunt penitus ignoraverit. *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum. *Debet*, inquit, *interrogare de actis antea Confessionibus, in quantum ei necessarium fuerit, ut resciat, num in aliquem casum inciderit, ex quo, cùm nullæ hæ fuerint, iterandæ sint: putà, num confessus fuerit Sacerdoti absolvendi potestatem non habenti; aut qui legitimam in Absolutione formam non adhibuerit; aut quæ sunt ad hoc Sacramentum ministrandum necessaria, penitus ignoraverit? aut si Pœnitens ipse sciens & ex animo peccatum omiserit; aut Confessionem ita diviserit, ut Confessori peccatorum partem, & alteri partem aliam deposuerit; aut sine ullo peccatorum dolore, & emendandi proposito accesserit; aut pro excutiendis inveniendisque peccatis debitam diligentiam non adhibuerit.* PARS I. Art. 5. §. 7. *habenti Iurisdictionem nulla est.*

509. *Et quia negligentia in Confessionibus solet multa committi, ab iis potissimùm qui nullum vel levem de Deo timorem habent, aut curam de anima; ita ut potiùs ex usu, quàm ex peccatorum horrore, & emendandi desiderio confiteantur: & pro utilitate maxima quæ ex Confessionibus generalibus semper oritur, maximè conversionis meliorisque frugis initio; debent Confessores loco & tempore, juxta personarum qualita-* *Confessionis Generalis utilitas.*

tem, ad Confessionem generalem Pœnitentes exhortari, ut ejus ope, vitæ suæ affectionibus ita propositis, ardentiùs ad Deum convertantur, & pro omnibus peccatis, & defectibus, quos noverint, satisfaciant.

Nullus Sacerdos nisi Parochus vel approbatus Confessiones excipere potest.

510. Nullus Sacerdos, etiam Regularis, Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire potest, nisi Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopo fuerit approbatus. Sacra Synodus Tridentina, Sessione 23. Cap. 15. *Quamvis*, inquit, *Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, posse audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

Privilegia Regularium quoad hoc abrogata.

511. Quamobrem vetera Privilegia Regularium, quibus eis, ab Episcopo approbatis, aut injustè recusatis, licebat Confessiones audire, hôc Tridentini Concili Decreto penitus abrogata sunt.

Pius V. & Gregorius XV.

512. Hanc Disciplinam confirmarunt *Pius Quintus* Constitutione quæ incipit, *Romani Pontificis*, Lectores etiam, aut in Theologia Graduatos, huic legi subditos esse declarans, *Gregorius XV.* Constitutione

quæ

quæ incipit, *Inſcrutabili* aliíque Pontifices.

PARS I. Art. 5. §. 7.

513. Unde *Alexander VII.* inter plures alias Propoſitiones erroneas die 14. Septembris 1665. damnatas hanc confixit 13. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſtè reprobato.* Et in Brevi Apoſtolico, dato die 26. Februarii, anno 1659. in cauſa Andegavenſis Epiſcopi, & Regularium ejuſdem Urbis, hanc Propoſitionem damnat: *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut Confeſſiones ſæcularium audire poſſint; neque ex illius Concilii auctoritate Privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cùm in Galliis receptum non ſit, præter quàm in deciſionibus fidei, neque etiam Bulla Pii Quarti pro Confirmatione illius Concilii promulgata.* Hanc (inquam) Propoſitionem Summus Pontifex damnat his verbis: *Eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, in hereſim & ſchiſma inducens, ſacro Concilio Tridentino, & Sedi Apoſtolicæ injurioſa.*

Propoſitiones damnatæ.

514. Ne venialium quidem peccatorum Confeſſiones excipere, & ab illis abſolvere poteſt Sacerdos, ſive ſæcularis, ſive Regularis, ab Epiſcopo non approbatus. Quamvis enim peccata venialia confiteri neceſſarium non ſit, ex quo tamen Eccleſiæ Clavibus ſubjiciuntur, neceſſaria eſt ad eorum ſacramentalem Confeſſionem excipiendam,

Nequidem venialium Confeſſionem excipere poteſt non approbatus.

PARS I. Art. 5. §. 7. *Decretum S. Congregationis.*

dam, potestas Jurisdictionis.

515. Unde Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, Decreto edito die 12. Februarii anno 1670. approbante *Innocentio Undecimo* Pontifice Maximo, prohibuit, *Ne venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo se rationem reddituros esse; neque defuturam Episcoporum & Ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis & Ordinariis per hoc Decretum, per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum Relatione, Sanctitas sua probavit, ac præsens Decretum typis mandari ac publicari voluit.*

Quorum Confessiones excipere possint Regulares à suis dumtaxat Superioribus approbati.

516. Sacerdotes Regulares à suis Superioribus approbati, possunt absque approbatione Episcopi excipere Confessiones Virorum Regularium sui Ordinis, immò & sæcularium ad familiam verè pertinentium. Synodus enim Tridentina id unum statuit ac declarat, *Nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat*. De Regularium Confessione nihil statuit; adeóque supponit ipsos posse cum sola Superio-

rum

rum suorum approbatione Confessiones Religiosorum ejusdem Ordinis hominum excipere. PARS I. Art. 5. §. 7.

517. Dubitationem omnem sustulit *Clemens* X. Pontifex Maximus, Constitutione quæ incipit *Suprema*, editâ undecimo Kalendas Julii, anno 1670. *Ceterùm, inquit, in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia Instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum audire Confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales; non autem illorum qui tantùm ipsis deserviunt.* Idem ante *Clementem X.* declaraverat *Gregorius XV.* Constitutione quæ incipit, *Inscrutabili*, editâ Nonis Februarii, anno 1627. *Clemens X. Constitutio.*

518. Sacerdotes tum Sæculares, tum Regulares generatim in aliqua Diœcesi ad audiendas Confessiones ab Episcopo approbati, ad audiendas Monialium Confessiones propterea non censentur approbati, sed approbatione singulari indigent. Qui sunt etiam approbati ad audiendas Monialium unius Monasterii Confessiones, novâ indigent approbatione, ut in alio Monasterio Confessiones excipiant. Extraordinarii denique Confessores pro unâ vice ab Episcopo deputati, novâ indigent approbatione ut eamdem functionem aliâ vice exerceant. *Pro Confessionibus Monialium specialis Episcopi approbatio seu deputatio necessaria est.*

519. Ita

PARS I. Art. 5. §. 7.

Declaratio S. Congregationis.

519. Ita declaravit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Decretum legitur apud *Barbosam*, P. 2. *De Officio & Potestate Episcopi*, Allegatione 25, §. 71.

Constitutio Clementis X.

520. Ita declaravit & *Clemens X.* Constitutione mox laudatâ: *Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium Confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse expletâ deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum Confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

Etiam Regularibus respectu Monialium sibi subjectarum.

521. Regulares Sacerdotes Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, excipere non possunt absque approbatione Episcopi.

Constitutio Gregorii XV.

522. Ita statuit *Gregorius XV.* Constitutione quæ incipit, *Inscrutabili*, superiùs laudatâ §. 5. *Confessores verò, sive Sæculares, sive Regulares quomodocumque exemti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad*

Con-

Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut hujusmodi Confessores amoveant, iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores amovendi, quoties & quando opus esse judicaverit.

PARS I. Art. 5. §. 7.

An teneãtur Episcopi causam amotionis Cõfessariorũ aperire?

523. Non tenentur autem Episcopi Superioribus Regularibus ejusmodi causam significare, sed hoc relinqui prudentiæ & arbitrio Episcoporum, declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Declarationem refert *Barbosa*, loco supra laudato.

Approbatus in una Diœcesi non censetur approbatus in alia.

524. Sacerdos tum Sæcularis, tum Regularis, in una Diœcesi generatim approbatus, Confessiones in altera Diœcesi audire non potest sine approbatione Episcopi Diœcesani.

Clementina Dudum *De Sepulturis.*

525. Id constat ex Clementina *Dudum*, Tit. *De Sepulturis*, quoad hoc caput non revocata, imò potiùs ab Apostolica Sede confirmata: *Magistri*, inquit, *Priores, Provinciales, & Ministri Ordinum prædictorum, eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vitâ probatas, discretas, modestas, atque peritas; ad tam salubre Ministerium &*

PARS I. Art. 5. §. 7. *& Officium exequendum: quas sic ab ipsis electas repræsentent vel faciant præsentari Prælatis, ut de eorum licentiâ, gratiâ, & beneplacito in Civitatibus & Diœcesibus eorumdem hujusmodi personæ sic electæ Confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant Pœnitentias salutares, & beneficium Absolutionis impendant: extra Civitates & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, Confessiones nullatenus audituræ.*

Congregationis Cōcilii declaratio. 526. Præterea Congregatio Concilii, die sextâ Junii anno 1608. declaravit, *Tam Sæcularem, quàm Regularem in unâ Diœcesi approbatos ad audiendas personarum sæcularium Confessiones, non posse in alia easdem Confessiones audire absque Episcopi Diœcesis approbatione.* Refert *Barbosa*, P. 2. *De Officio & Potestate Episcopi*, Allegatione 25. §. 32.

Clementis X. Constitutio. 527. Id confirmavit *Clemens X.* Constitutione superiùs laudatâ. *Ad hæc,* inquit, *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Secularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis Pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.*

Parochi tamen possunt subditorum suorum Con- 528. Parochi tamen subditorum suorum Cōfessiones in alienæ Parochiæ territorio, & in aliena etiam Diœcesi audire possunt. Ordinariam enim in illos auctoritatem habent, quam exercere possunt ubique, quoad ea

quæ

quæ fiunt sine strepitu Judicii, qualis est Confessio. Et certè Concilium Lateranense Canone 21. statuit ut Fideles semel in anno confiteantur *Proprio Sacerdoti*, nulla factâ mentione loci, in quo Confessiones illorum excipere debet vel potest.

PARS I. Art. 5. §. 7. *fessiones excipere in aliena Parochia.*

529. Idem dicendum est de Cohortium & Classium Eleemosynariis, qui quidem approbari debent ab Episcopo de cujus Diœcesi locus est, in quo stationem habent Cohortes, vel unde discedunt ad Bellum, cùm Eleemosynarii assumuntur, vel de cujus Diœcesi Portus est, in quo armatur, & è quo solvit Classis: opus tamen nova approbatione non videtur, quoties Castra de una in aliam Diœcesim moventur, vel Classis in varias Diœceses appellit. Quia Eleemosynarii Cohortium Naviumque sunt quasi Parochi Militum ac cæterorum, qui Castra sequuntur, vel navi vehuntur, quoad functionem audiendi eorum Confessiones & Sacramenta morientium etiam administrandi in Castris, in Xenodochiis Exercitûs, & in Navibus præsertim, quando è Portu solverunt. Sunt, inquam, quasi illorum Parochi ex omnium Episcoporum Indulgentia & consuetudine, qui tamen ipsos à munere audiendi Confessiones possunt suspendere, & ad examen revocare ex causa maximè ad eas confessiones audiendas pertinente.

Quid de Cohortiũ, & Classium Eleemosynariis.

530. Sacerdotum, sive Sæcularium, sive Regularium approbationes certis limitibus

Approbationes pos-

PARS I. Art. 5. §. 7. *sunt restringi.*

bus circumscribere possunt Episcopi, & ad certas personas, loca, vel tempora restringere. Id constat ex *S. Carolo* in Instructionibus Confessorum.

Decretum S. Congregationis.

531. Idem confirmatur ex Decreto Congregationis Concilii Tridentini Interpretis dato die secunda Julii, anno 1587. *Regulares*, inquit, *qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorúmve Examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorúmve locorum, aut generis personarum, admittantur in Diœcesi propria. De ceteris verò qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Orginariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate; prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere.*

Propositio damnata.

532. Unde *Alexander VII.* in Causâ Andegavensis Episcopi & Regularium, hāc Propositionem ut *Falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam* damnavit anno 1659. *Non possunt Episcopi limitare seu restringere Approbationes quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Idem confirmat *Clemens X.* Constitutione quæ incipit, *Suprema magni Patris-familias*, §. 4.

Clementis X. Constitutio.

An Approbationes possint

533. Episcopus singulos, sive Sæculares, sive Regulares Sacerdotes, simpliciter & absolutè à se approbatos, ab audiendis Con-

Confessionibus suspendere potest ex nova causa, ad Confessiones pertinente. Imò Confessarios omnes & singulos, sive Sæculares, sive Regulares, à Vicario suo Generali, aut à Decessore suo approbatos, Episcopus ad Examen revocare potest.

PARS I. Art. 5. §. 7. *revocari.*

534. Ita *Clemens X.* Constitutione quæ incipit, *Supr ema magni Patris-familiâs* §. 5. cujus hæc sunt verba: *Regulares verò ad ejusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo: secus autem ab ejus Vicario, aut Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi novâ superveniente causâ, quæ ipsas Confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse ut in Actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cùm præcipua Ministri Sacramenti Penitentiæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas; utique eam causam ad Confessionis Ministerium pertinere, ac proinde nihil obsta-*

Clementis X. Constitutio.

re,

PARS I. Art. 5. §. 7.

re, quo minùs ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis.

Parochi simplicem Sacerdotem sibi Confessarium eligere non possunt.

535. Parochi non possunt eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem, sive Sæcularem, sive Regularem, ab Episcopo non approbatum.

536. Simplex enim Sacerdos, absque approbatione Episcopi Jurisdictionem nullam habet, adóque nullam Confessiones excipiendi & absolvendi potestatem.

Propositio damnata.

537. Unde *Alexander VII.* Pontifex Maximus inter plurimas alias Propositiones die 14. Septemb. 1665. hanc ordine decimam-sextam damnavit: *Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Sed approbatum dumtaxat ab Ordinario.

538. Possunt tamen eligere sibi, quem voluerint, Confessarium ab Episcopo approbatum. Id constat ex Cap. *Ne pro dilatione*, Extra, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, cujus hæc sunt verba: *Ne pro dilatione Pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere Confessorem.* Hâc voce, *& aliis Superioribus*, Parochos etiam significari viris doctissimis videtur, tum quia *Beneficia Principum sunt interpretanda largissimè*, ut

Superiorum nomine etiā Parochi intelligun tur.

ut habetur Cap. *Olim*, De *Regulis Juris*, & *Favores convenit ampliari*: tum quia Parochos maximè spectat ratio Canonis, *Ne* scilicet *periculum immineat animarum*. Cùm enim frequens Sacrosancti Sacrificii celebratio, & quotidiana Sacramentorum administratio illis incumbat, in magno salutis periculo versarentur, nisi quem vellent, eligere sibi possent Confessarium ex approbatis ab Episcopo. PARS I. Art. 5. §. 7.

539. Accedit, quod Superiorum nomine Parochos etiam intelligere conveniens sit, qui Christianæ plebi præsunt, qui *Prælationis Officio funguntur*, ut ait *Clemens III.* Cap. *Tua nos*, Extra, *De Clerico ægrotante*, & quos *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. 188. Articulis 4. & 5. *Prælatos inferiores*, & 3. P. Quæst. 67. Articulo secundo ad secundum, *Ecclesiarum minores Principes* vocat. Unde & ad ipsos videtur pertinere quod idem Angelicus Doctor scribit Quæst. 8. Supplem. Art. 4. *Quia Prælatis incumbit Sacramenta dispensare, quæ nonnisi mundi tractare debent: ideo concessum est eis à Jure, quòd possint sibi eligere proprios Sacerdotes Confessores, qui quantùm ad hoc sunt eis superiores; sicut etiam unus Medicus ab alio curatur, non in quantùm Medicus, sed in quantum infirmus.*

Parochi Prælati inferiores, & Ecclesiarum Minores Principes à S. Thoma nuncupati.

540. Antiquâ etiam consuetudine id Juris habent Parochi: quæ consuetudo, cùm sit *Rationabilis*, & *legitimè sit præscripta*, in

Ius Parochorum etiam ex antiqua

PARS I. Art. 5. §. 7. *consuetudine probatur.*

in Ecclesia vim legis habet, ex Cap. *Cùm tanto*, Extra, *De Consuetudine*. Quam consuetudinem convellere, aut immutare non expedit, secundùm praclaram illam *S. Augustini* Regulam Epistolà 54. aliàs 118. ad *Januarium*, Cap. 5. *His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quę adiuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quę utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.*

Quid de Regulari confessiones excipiente, suo prohibente Superiore?

541. Sacerdos Regularis ab Episcopo approbatus, peccat quidem si Confessiones audiat Superiore suo prohibente: validè tamen absolvit. Peccat (inquam) ob violationem obedientiæ quam vovit: sed validè absolvit, quia Jurisdictionem non habet à suo Superiore.

Quid de Parocho qui parochiale beneficium dimisit?

542. Parochus qui Beneficium Parochiale dimisit, Confessiones excipere non potest absque novâ Episcopi approbatione. Duplici enim dumtaxat nomine Sacerdos secundi Ordinis Confessiones audire potest, secundùm Tridentini Concilii Decretum, vel quia Parochiale Beneficium obtinet, vel quia ab Episcopo est approbatus: cùm igitur ille Beneficium Parochiale ampliùs non habeat, ejus Jurisdictio desiisse censenda est, si alio titulo approbatus non fuit, adeóque nova indiget approbatione. Hinc Sacra Con-

Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum interrrogata, *An Sacerdos, qui aliquando approbatus, & idoneus judicatus sit, atque ideo in Parochum assumtus fuerit, dimissâ posteà Parochiali, haberi etiam nihilominùs debeat adhuc idoneus ad Confessiones validè audiendas, ita ut hæc particula Decreti Concilii*, Beneficium obtineat, *extendatur etiam, &c. vel obtinuerit*? Respondit, *Non haberi*. Ita refert *Barbosa*, P. 2. *De Officio & Potestate Episcopi*, Allegatione 25. §. 16.

Quibus Parochi licentiam dare possint excipiendi Confessiones in sua Parochia.

543. Parochi licentiam dare non possunt audiendi Confessiones in Parochia sua aliis Sacerdotibus ab Episcopo non approbatis. Id olim ex consuetudine recepta potuisse Parochos, quidam colligunt ex *S. Thoma* in 4. *Sententiarum*, seu Supplementi Quæst. 8. Articulo 5. sed si viguit olim ista consuetudo, nunc certè abrogata est Cap. 15. Sessionis 23. Concilii Tridentini, quod incipit, *Quamvis Presbyteri*, quo sancitum est neminem Sacerdotem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad hoc idoneum censeri, nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopo fuerit approbatus, *Privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus*.

544. Idem confirmatur ex *S. Raymundo*, Libro 3. *De Pœnitentiis & Remissionibus*, §. 15. scribente: *Proprius Sacerdos non*

PARS I. Art. 5. §. 7.

potuit dare Jurisdictionem sive potestatem talem: sed Episcopus solus potest illis qui sunt in suo Episcopatu, non tamen aliis qui sunt in aliis Episcopatibus.

Quid possint Parochi extra suarum Parochiarum fines respectu sibi non subditorum.

545. Parochi extra suarum Parochiarum fines Confessiones audire non possunt eorum qui Parochiali suæ Curæ non sunt subditi, nisi Episcopus hanc ipsis potestatem per totam Diœcesim concesserit, aut ita se habeat consuetudo ab Episcopo approbata. Parochialis enim Beneficii titulus nullam ipsis nisi in Parochianos suos Jurisdictionem tribuit; adeoque alios absolvere non possunt, nisi ab Episcopo fuerint ad hunc finem approbati.

Parochi facilè concedere debent licentiam alteri confitendi tempore Paschali.

546. Parochi faciles esse debent ad præbendam licentiam alteri confitendi tempore Paschali. Ita *S. Thomas*, Quæst. proximè citata art. 4. ad sextum. *In hoc*, inquit, *quòd oportet Proprio Sacerdoti confiteri, non arctatur via salutis, sed sufficiens ad salutem via statuitur. Peccaret autem Sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quòd potiùs sine Confessione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt; & per consequens sibi ipsis.*

547. Confirmat id *S. Carolus Borromæus* in Synodo Diœcesana undecima, in Monitis

quæ

quæ ad Sacramenta pertinent. *Parochus unusquisque*, inquit, *in Urbe Parochiales suos generatim ineunte Quadragesimâ hoc moneat, ut cùm ipse multis occupationibus eo tempore distineatur, quicumque aliis Confessariis Sacerdotibus approbatis, quos maluerint, confiteri velint, eos ad confitendum adeant, & Confessionis testimonium scriptum ante Hebdomadam Sanctam ipsi Parocho tradant. In Diœcesi autem & generatim & sigillatim Parochus se facilem præbeat, in consentiendo Parochialibus suis, de quibus nulla sit suspicio, eos medicinæ vitandæ causâ Parochi judicium subterfugere, ut ad alios Confessarios à nobis testimoniô scriptô probatos se conferant, qui peccatorum suorum Confessionem audiant. Immò verò eam facultatem sponte sigillatim offerre debet iis, qui lites, controversias, dissensionésve secum exercuerint, exercéntve, de iis præsertim rebus, quæ ad munus spirituale Parochialis Curæ non attinent. Quâ in re si Parochus defuerit, tunc Vicarius foraneus facultatem concedat licet, ut alios Confessarios adire possint. Verùm ne idem Vicarius foraneus & Parochus generatim consentiat, eos à quo maluerint Confessario audiri, sed ab eo quem ipse, vel Parochus, vel Vicarius maluerit, vel ab illo quem ex pluribus piis & peritis ab eodem Parocho & Vicario propositis, Pœnitens ipse sibi delégerit.*

PARS I. Art. 5. §. 7.

S. Carolus Borromæus.

548. Diœcesana Synodus Lingonensis anno

Synodus

PARS I. Art. 5. § 7. *Lingonensis.*

anno 1084. idem decreverat. *Quia, inquit, tam de Jure, quàm per Doctores; sunt causæ propter quas aliquis Parochianus justè posset refutare confiteri Curato, vel Vicario suæ Parochiæ, quas non posset faciliter coram Superiore proponere; idcirco statuimus, quòd cùm aliquis Parochianus de cetero à Curato vel Vicario petet sibi dari licentiam alteri confitendi, Curatus concedat faciliter absque magna inquisitione causæ. Quòd si Curatus recusaret, Nos tenore præsentis Statuti, petitâ priùs à Curato, & non concessâ eidem de gratia concedimus, salvo in aliis jure Curati.*

Advenæ, peregrini, vagi &c.

549. Advenæ, peregrini, vagi, & qui plura domicilia in diversis Parochiis habent, Confessionis annuæ præcepto satisfaciunt, si Parocho seu Coadjutoribus illius Parochi confiteantur, in cujus Parochiæ territorio Paschali tempore commorantur. Ita *S. Carolus* in Concilio Diœcesano undecimo.

Confessiones infirmorum.

550. Regulares, ab Episcopo generatim, & absque ulla prorsus exceptione & restrictione approbati, Confessiones sæcularium infirmorum audire possunt: tenentur tamen Parochum de hujusmodi Confessionibus certiorem facere. Expedit etiam ut Parochum adeant antequam Confessionem excipiant, & cum illo de statu infirmi conferant, si id fieri possit. Diœcesana denique Statuta & Mandata Episcoporum observanda sunt.

551. *Cle-*

551. *Clementis X.* Constitutio, quæ incipit, *Superna magni Patris-familiâs*, edita Tom.V. Bullarii Romani, pag.494. quâ declarat Summus Pontifex, *Semel simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum Confessiones audire absque ulla Parochorum licentia. De qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna Suspensionis à facultate audiendi Confessiones præcipi: sufficere tamen ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.*

PARS I. Art. 5. §. 7. *Clementis X. Constitutio.*

552. Parochos inter & Regulares Confessores, concordia maxima esse debet ad Animarum salutem promovendam, & Fidelium ædificationem. *S. Carolus Borromeus*; in Instructionibus Confessorum hæc habet, *Confessores Regulares, qui potissimùm extra Urbem degunt, cum locorum Parochis, ubi aut habent Monasteria, aut concionantur, aut quacumque ex causa ibi Confessiones audiunt, ita conveniant, ut Pœnitentes non absolvant, qui viventes cum scandalo in peccato perseverant, aut Pœnitentiis publicis ipso facto subjiciuntur, aut ad legatorum piorum, similiúmque rerum restitutionem tenentur, qui propterea à Parochis non absolverentur, nisi priùs his obligationibus satisfe-*

De Concordia Parochos inter & Regulares.

PARS I. Art. 5. § 7.

tisfecissent. Ideo Regularium Superiores Confessarios suos sæpius moneant, & ad hanc animorum unionem, in Fidelium ædificationem adhortentur: curéntque inprimis, ut dum in casuum resolutione diversa inter eos & Parochos sententia fuerit, prudenter in eo se gerant, & ad Laïcorum notitiam id non veniat, sed ad nos pro decisione recurrant. Et S. Thomas *Supplem*. Q. 8. A. 5. ad 4. BONUM EST, inquit, QUOD ILLE QUI AUCTORITATE EPISCOPI CONFESSIONEM AUDIT, INDUCAT CONFITENTEM AD HOC QUOD CONFITEATUR PROPRIO SACERDOTI: *Quod si noluerit, nihilominùs eum absolvere debet*. Ad reverentiam erga proprium Sacerdotem, ad fiduciam in Pastore animarum suarum, adhortari fideles, nostrô certè ministeriô dignum fuerit.

Regulares non possunt absolvere à casibus reservatis absque speciali facultate.

553. Confessarii Regulares ab Episcopo approbati, absolvere non possunt à Casibus Summo Pontifici, aut ipsi Episcopo reservatis, nisi specialem ab ipsis acceperint potestatem: nulláque illis Privilegia quoad hoc suffragantur. Hinc *Alexander VII*. plurimas inter Propositiones, quas minimùm tanquam scandalosas damnavit, & publicè vel privatim propugnari aut doceri prohibuit sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendâ, & ad praxim deduci sub interminatione divini Judicii, die 24. Septembris, A. 1665. hanc ordine duodecimam

Propositiones damnatæ.

Apo-

Apoſtolicâ cēſurâ confixit: *Mendicantes poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.* Et rurſus die 18. Martii, A. 1666. hanc inter alias Propoſitionem damnavit pariterque prohibuit ordine trigeſimam-ſextam: *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti Privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.* PARS I. Art. 15. §. 7.

554. *Et Clemens X.* Conſtitutione quæ incipit, *Suprema magni Patris-familias*, declarat, *Ex facultatibus per Mare Magnum, aliáve Privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam* JESU, *conceſsis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in Caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per Confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulas à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſse Privilegia, priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à Caſibus Epiſcopo reſervatis.* *Clementis X. Conſtitutio.*

555. Habentes facultatem abſolvendi ab omnibus Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo à Caſibus Epiſcopo reſervatis, poſsunt abſolvere. Hanc Regulam iiſdem verbis tradit *Clemens X.* in Conſtitutione mox laudata. Cuique enim Epiſcopo ſuam Juriſdictionem integram ſervare Summi Pontifices volunt, juxta illud S. Gregorii Ma- *Qui poſſunt abſolvere à reſervatis Papæ, non ideò poſſunt à reſervatis Epiſcopo.*

PARS I. Art. 5. §. 7.

Magni: *Si sua unicuique Episcopo Jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per Nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit Ordo, confundatur?*

A quibus possit Confessarius absolvere pœnitentes ex aliena Diœcesi confluentes.

556. Confessarius tum sæcularis, tum Regularis Pœnitentes ex alia Diœcesi ad se confluentes absolvere potest à Casibus in illa Diœcesi, non autem in Diœcesi ipsius Confessarii reservatis, modò deditâ operâ, & in fraudem reservationis ad alienæ Diœceseos Confessarium sese non contulerint. Ita *Clemens X.* in Cōstitutione mox laudata. Nempe, reus judicari solet juxta Leges, & Cōsuetudines loci in quo reperitur; iter itaque agentes, sive peregrini, Casus habentes reservatos Episcopo proprii domicilii, non autem Episcopo loci in quo reperiuntur, ab iis absolvi possunt à quocumque Confessario approbato in ea Diœcesi, in qua negotiorum causâ versantur, aut per quam transeunt. Siquidem reservatio non afficit Confessarium, sed Pœnitentem, qui sortitur forum Pœnitentiale ubi moram trahit, quod ab *Eugenio IV.* declaratum observat *Cajetanus* in Summa, verbo *Absolutio*.

Qui potest à reservatis Papæ, potest à Censuris.

557. Qui facultatem habent absolvendi à Casibus Summo Pontifici reservatis, possunt etiam absolvere à Censuris. Cum enim nulli Casus Summo Pontifici reservati sint absque Censura, concessâ facultate absolvendi à Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, concessa censetur & facultas absolvendi à Censuris.

558. Si

558. Si periculum mortis immineat, desítque Confessarius approbatus, quilibet Sacerdos potest à quibuscumque peccatis & Censuris absolvere. Concil. Trident. Sessione 14. *De Pœnitentia*, Cap. 7. *Piè admodum*, inquit, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possunt*. Quoslibet Sacerdotes in articulo mortis à quibusvis peccatis & censuris absolvere posse cùm declarat Sacra Synodus, suspensos, excommunicatos, degradatos, schismaticos, hereticos non excludit, factâ hypothesi quòd nullus præsto sit Sacerdos Catholicus, vel à Censuris liber. Censet tamen *S. Raymundus*, neminem teneri in ea hypothesi confiteri peccata Sacerdoti Heretico, Schismatico, vel Excommunicato; immò Confessionem hujusmodi hominibus etiam in mortis articulo dissuadet ob subversionis periculum. (Lib. 3. §. 16.) Cùm etiam in mortis articulo nullam esse reservationem Concilium ait, de mortis periculo idem intelligendum est, ut explicat Rituale Romanum. Accedit, quòd Canones absolvendi potestatem concedentes non distinguunt inter articulum & periculum mortis, ut constat ex Cap. *Eos qui*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto. Et ex Can. *Si quis*,

PARS I. Art. 5. §. 7. *In articulo mortis nullus Casus est reservatus.*

Quid de absolutione ab excommunicatis, degradatis, hereticis, &c. data.

Non solùm in mortis articulo, sed & in periculo nulla est reservatio.

quis, Causâ 17. Quæst. 4. & ex Cap. *Ea noscitur*, Extra, *De Sententia Excommunicationis*. Et *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, seu Quæstione 8. Supplementi, Articulo sexto.

Ad quid teneantur qui in mortis periculo absoluti sunt à reservatis.

559. Qui ob mortis periculum fuerint absoluti à Censuris Superiori reservatis, sistere se tenentur ei cui reservata sunt, quamprimùm convaluerint, non quidem ut rursus absolvantur, sed ut Mandatis ejus pareant: idque nisi præstiterint, in easdem Censuras incurrunt. Cap. *Eos qui*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto, *S. Thomas*, Quæstione & Articulo supra citatis, in Responsione ad secundum.

Casus reservatos nosse debent Confessarii

560. Casus Summo Pontifici & Episcopis reservatos singuli Confessarii nosse debent, eûsque apud se descriptos, aut ipsis Confessionalibus intus affixos habere decet. Ita statuit *S. Carolus* in Conciliis plerìsque suis, & in Instructionibus. (Casus illos vide Tom. 2. sive 2. Part. hujus Compendii Articul. 2.)

Casus quos Superiores Regularium sibi reservare possunt.

561. Superiores Regularium certos dumtaxat Casus sibi reservare possunt. *Clemens VIII.* Pontifex Maximus Decreto edito anno 1543. quo sanxit ne subditorum Absolutiones sibi reservarent, nisi in Casibus sequentibus, cùm hæc scilicet crimina, aut aliquod ex illis commiserunt:

562. I. *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

II. *Apo-*

II. *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo perveniret, ut extra septa Monasterii seu Conventûs fiat egressio, etiam non animo apostatandi facta.* PARS I. Art. 5. §. 7.

III. *Proprietas contra votum paupertatis*, quæ sit *Peccatum mortale*; qualis est receptio, detentio, vel donatio rei notabilis absque Superiorum licentia.

IV. *Juramentum falsum in Judicio Regulari, seu legitimo.*

V. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendnm animati fœtus, etiam effectu non sequuto.*

VI. *Falsificatio manûs aut sigilli Officialium, Monasterii aut Conventûs.*

VII. *Furtum de rebus Monasterii seu Conventus, in eâ quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

VIII. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus*; quo nomine non sola copula, sed voluntariæ etiam & solitariæ pollutiones intelliguntur.

IX. *Occisio, seu vulneratio, aut gravis percussio cujuscumque personæ.*

X. *Malitiosum impedimentum, seu retardatio aut apertio litterarum à Superioriori ad inferiores, aut ab inferioribus ad Superiores.*

Si quid aliud Superioribus reservandum videbitur, *Pro Religionis conservatione, aut conscientiæ puritate*, id fieri Pontifex non permittit, nisi ex deliberatione & consensu

PARS I. Art. 5. §. 7.

Generalis Capituli, in Ordine; aut Provincialis in Provincia.

Quid facere debeat Confessarius, qui eum à casibus reservatis absolvit quem absolvere non poterat.

563. Confessarius qui legitimâ potestate destitutus Pœnitentem à Casibus reservatis absolvit, illum ad sacrum Tribunal, si fieri potest, revocare tenetur, & obtentâ facultate absolvere, aut monere de errore, ut Superiorem adeat: si verò non potest, Pœnitentiam agere ipse debet. Sic respondet *S. Antoninus*, 3.P. Tit. 17. Cap. 12.

Qui sic absolvit, Excommunicationem ipso facto incurrit.

564. Nullam quidem *S. Antonini* tempore sic absolventes: sed nunc Excommunicationem ipso facto incurrunt, qui absolvere audent vel præsumunt à Casibus Sedi Apostolicæ, aut Ordinariis locorum reservatis, ut constat ex Decretis Sacræ Congregationis Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præpositorum à *Clemente VIII. Paulo V.* & *Urbano VIII.* confirmatis. Audent autem & præsumunt, qui scientes absolvunt, vel ex ignorantiâ Juris crassâ aut affectatâ.

Confessarius Ordinarius, sine causa non mutandus.

565. Confessarius Ordinarius sine causa mutari non debet. *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Confessorum: *Si aliqui sine causa Confessorem Ordinarium, ipsis ad animæ salutem admodùm utilem cognitum reliquerint; quo poterit modo, ad eumdem remittantur; & eorum negligentiam Confessor insectabitur, qui pro Confessore virum spiritualem & peritum non solent eligere, aut qui damnô suô frequenter adeò mutant.*

Nam

Nam sicut Medici, qui naturam & infirmorum temperamentum ex praxi norunt, utpote remediorum ad infirmitatem curandam magis utilium peritiores, facilè non mutantur; sic etiam nec Pœnitentes suum debent dimittere spiritualem Medicum, qui eorum animæ necessitatum peritus, opportuniora magísque utilia remedia potest eis assignare. Si tamen aliqua ex causa admittat aliquem alteri probo Confessori confiteri solitum, cum hujus participatione id fieri juvat, vel cùm Pœnitens ab eo licentiam priùs habuerit.

PARS I. Art. 5. §. 7.

566. At neminem juramento vel voto devincire potest Sacerdos, ut alium Confessarium non eligat: & hujusmodi promissio, etiam juramento aut voto firmata, irrita est. Has enim promissiones periculi plenas esse & multis sacrilegiis viam aperire, certum est. Quamobrem Concilium Mechliniense anno 1607. celebratum, & à *Paulo V.* Pontifice Max. confirmatum ita statuit: *Nemo aliquem ad sibi soli perpetuò confitendum obliget, & ejusmodi promissionem etiam juratam, tanquam irrationabilem & indiscretam, hæc Synodus irritam esse declarat, & quatenus opus est, irritat.*

Nec Voto nec juramento devinciendus pœnitens.

567. Sacerdos ad Confessionem admittere non debet imparatos. Ita statuit *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum. *Monemus* (inquit) *ne ad Confessiones admittant, quos sine debita interiori aut exteriori*

Imparati ad Confessionem non admittendi.

PARS I. Art. 5. §. 7. *ri præparatione accedentes viderint: eos ideo verbis quidem lenioribus pro cujusque capacitate, præparandos dimittant.*

Nec Mulieres cũ vano nimis ornamento accedentes. *Nullus Confessor mulieres excipiat, quæ ad eum accedunt cum pigmentis, fugo, inauribus, variis ornamentis, & ex auro phrygio vestibus, aliòque vano simili apparatu, sed quæ nonnisi habitu modesto & simplici induantur, & velato capite, ita ut velum non sit subtilius, sed pannum sit ex lino, aut lanæ, aut sericum colore obscuro tinctum: cum ea denique quæ ad tantum Sacramentum, & ad compunctionem, seu contritionem, cum qua ad Dei tremendi Tribunal & Judicium, misericordiam & veniam imploratura peccatrix sisti debet, reverentiâ requiretur.*

Nec Viri pariter. *Idem cum viris observetur: nec ad Confessionem ii admittantur, qui variis ornamentis, auro aut argento, aut pileorum ornatibus exculti, aut cum armis, & hujusmodi rebus, ad Sacramentum audent accedere.*

Animi præparatio inprimis necessaria. *Sed inprimis attendant ad animi præparationem ad hoc Sacramentum accedentibus necessariam; quæ in peccatorum discussione consistit, in dolore de peccatis, & pro iis satisfaciendi & imposterum emendandi proposito. Qui ergo sine tali præparatione inventi fuerint, eos Confessor moneat & instruat, ut alia vice cum præparatione debitâ revertantur.*

Argu-

Argumenta autem unde cognoſci poſſit num imparati Pœnitentes accedant, ſunt: ſi ab aliquo temporali exercitio ad Confeſſionem tranſeant, non interpoſito debito pro oratione temporis ſpatio: aut ſi peccatorum commiſſorum non recordari dignoſcantur: aut ſi Confeſſor aliunde noverit eos adhuc in illicitis exercitiis, aut in peccato, aut in occaſione ad illud inducente; quam vitare non ſincerè polliceantur, verſari: aut ſi, cùm potuerint, bona aliena non reſtituerint.

PARS I. Art. 5. §. 8. *Imparati animi argumenta.*

§. VIII.

De Sigillo Confeſſionis.

Sacrum Confeſſionis arcanũ, quàm rigorosè obligat.

568. Violatio ſigilli Confeſſionis mortale ſemper peccatum eſt, ſeu mortalia, ſeu venialia dumtaxat peccata Pœnitentis revelet Confeſſarius. Fit enim gravis injuria Sacramento, & Confeſſio redditur odioſa & oneroſa, etiamſi peccatum dumtaxat veniale in Confeſſione auditum ſpeciatim reveletur. Dixi ſpeciatim, quia ſigilli non cenſetur infractor, qui Pœnitentem venialia ſibi confeſſum eſſe ait, cùm nemo ad Confeſſionem accedat, niſi peccata ſaltem venialia deponere velit apud Sacerdotem: quæ autem venialia ſit confeſſus, non aperit. Si tamen plurium Confeſſiones exceperit, & dicat; Talis ſola venialia mihi confeſſus eſt, ſigillum violat, ſiquidem taci-

PARS I, Art. 5. §. 8.

De auditis vel factis in Confessione periculosè loquuntur Confessarii.

tacitè innuit alios sibi peccata lethalia fuisse confessos.

569. Periculo violandi sigillum Confessionis exponit se Sacerdos, qui de rebus in Confessione auditis vel à se factis imprudenter loquitur. Periculum enim est, ne personam Pœnitentis manifestet; aut ne audientes in illius cognitionem aut suspicionem veniant.

Exempla periculosæ de auditis in Confessione locutionis.

570. Exemplis rem illustro. Confessarius loquax & imprudens ait: Titius mihi gravia peccata, vel Casum reservatum confessus est. Hunc ad Pœnitentiarium remisi. Hanc injunxi Pœnitentiam Petro: & ante, vel postea dixit, Hanc impono Pœnitentiam illis qui ita deliquerunt. Alius de loco angusto, in quo Confessiones excepit, multos ait esse fures, fornicatores, adulteros: aut in quopiam Monasterio plures esse proprietarios, aut impudicos. Alius ait: Utinam omnes mulieres, quarum Confessiones excipio, æquè castæ essent ac Susanna! vel, ex omnibus quas audivi, puellis, paucæ sunt virgines. Alter dicit: Aliquis ex isto Collegio, vel ex ista Communitate tale delictum admisit. Alter Patri-familiâs, aut Superiori alicujus Religiosæ Domûs, aut Ecclesiasticæ vel Laïcæ Societatis ait; Attende, vigila, observa, Unus è tua familia, domo, societate fur est; aut mortem tibi machinatur; aut filiæ tuæ pudicitia in domo tua tuta non est. Alius ait: Prima mulier, cujus Confessio-

fessionem audivi, fidem fefellerat marito. Alius alicui ex suis Pœnitentibus in jurgio ait: Novi qualis sis: vel, Probè nosti me scire unde pudore suffundi deberes. His omnibus modis sigillum Confessionis violatur; quia vel manifestatur personâ peccatoris, vel audientibus aperitur via ut in illius cognitionem aut suspicionem veniant. Qui autem jocando referunt peccata in Confessione auditâ, etsi nullum esse videatur periculum infamiæ in Pœnitentem derivandæ; graviter tamen peccant contra Religionem Sacramento debitam.

Qui fegerere debeat, qui per Confessionem novit peccatū vergens in magnum Ecclesiæ vel Reipublicæ damnum.

571. Qui per Confessionem novit peccatum vergens in magnum Ecclesiæ vel Reipublicæ damnum, illius reos detegere absque sacrilegio non potest. Ita docet *S. Thomas*, Quodlibeto 12. Quæst. 10. Art. 1.

572. *Nec tamen* (inquit idem Sanctus Doctor in 4. *Sententiarum*, sive Supplementi Quæst. 11. Art. 1. ad primum) *Sigillum Confessionis contra caritatem militat, quia caritas non requirit quòd apponatur remedium peccato quod homo nescit. Illud autem quod Confessione scitur, est quasi nescitum, cùm illud nesciat aliquis ut homo, sed ut Deus.* * *Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis Casibus, quantùm potest sine revelatione Confessionis, sicut monendo eos qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quòd di-*

* *Sive ut Dei Minister.*

PARS I. Art. 5. §. 8.

ligentiùs vigilet super gregem suum : ita tamen ut non dicat aliquid per quod verbo vel nutu confitentem prodat.

Testimonium de Vita & Moribus denegari non potest ob crimen ex sola Confessione notum.

573. Nec Parochus, nec Seminarii Superior, sive Moderator ac Director Ordinandorum, Clerico, ob crimen in Confessione auditum,& ex solâ Confessione notum, denegare testimonium de vita & moribus, aut de spiritualibus Exercitiis ritè peractis potest: nec Parochus à Matrimonio repellere Pœnitentem ob impedimentum occultum, ex sola Confessione sibi cognitum. Violarent enim sigillum Confessionis, ipsam redderent odiosam, & injuriam facerent Sacramento. Unde sicut occulto peccatori Eucharistiam publicè petenti Sacerdos negare non potest, nec debet; sed privatim tantùm monere tenetur, ne ad Eucharistiam accedat antequàm se probaverit, & conscientiam expurgaverit, fueritque sacramentaliter absolutus; (ut docet *S. Thomas* 3. P. Q. 80. A. 6.) Ita Seminarii Superior, aut Director Ordinandorum, & Parochus, monere quidem debent, & divini Judicii metu à Sacris Ordinationibus, aut à Matrimonio deterrere eos, quorum crimina vel impedimenta occulta ex solâ Confessione noverunt, quibus indigni, vel inhabiles (ut ita loquar) facti sunt ad Ordinem suscipiendum, aut Matrimonium contrahendum: debent illis in foro Pœnitentiæ Dei Omnipotentis nomine prohibere, ne se si-

stant

ſtant Ordinandos, aut Matrimonium contrahant impedimentis manentibus: ſed nec Epiſcopus Ordines, nec Seminarii Superior, aut Ordinandorum Director teſtimonium; nec Prælatus Regularis licentiam; nec Parochus Nuptialem Benedictionem, negare debent eis, quorum crimen vel impedimentum ex ſolâ Confeſsione noverunt: niſi alia ratio legitima & ſufficiens, & extra Confeſsionem cognita, ſufficiat ad hæc illis deneganda.

Nullo præcepto, aut cenſura adigi poteſt Confeſſarius ad revelandũ crimen ex ſola Confeſsione notum.

574. Qui crimen ab aliquo perpetratum ex ſola illius Confeſsione novit, nullâ Eccleſiæ Cenſurâ, nullô Superiorum præceptô ad illud revelandum cogi poteſt. Cap. *Dilectus*, Extra, *De exceſſibus Prælatorum*. *S. Thomas*, in 4. Sententiarum, ſive Supplementi Quæſt. 11. Art. 1. ad ſecundum.

Quid à Iudice interrogatus Confeſſarius de crimine ex ſola Confeſsione noto reſpondere debeat?

575. Si quis Confeſſarius in Jus vocetur ad dicendum teſtimonium, & interrogetur à Judice de crimine quod ex ſolâ Confeſſione novit, illud revelare non tenetur, nec poteſt, ſed tutâ conſcientiâ reſpondebit, Se neſcire. Nam, (ut ait *S. Thomas* in Reſponſione ad tertium.) *Homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo: & ideo ſine læſione conſcientiæ poteſt jurare ſe neſcire, quod ſcit tantùm ut Deus*. Si autem interrogetur utrum Confeſſionem *Titii* audiverit, reſpondere debet ſe audiviſſe. At ſi Judex urgeat, quærátque num tale peccatum confeſſus fuerit, reſpondere debet, Hanc impiam

PARS I. Art. 5. §. 8.

esse quæstionem, se ad respondendum huic interrogationi non teneri, se penitus nescire. Si rursus quærat, an ipsum absolverit: respondere debet, Se partes suas implevisse. Cùm enim ex Absolutionis negatione colligi possit hominem gravis alicujus peccati reum esse, quod dimittere nolit; sacrum sigillum violat, qui Absolutionis Beneficium se negasse ait tali homini, cujus Confessionem excepit.

Regularium Superioribus, ne notitia per Confessionem parta, quovis modo utatur vetitum est.

576. Quamvis re absolutè spectatâ licitum videatur Prælato subditum ab Officio removere propter crimen quod ex solâ Confessione novit, ubi revelandæ Confessionis periculum abest: Ecclesiastica tamen Lege id omnino prohibetur. Nam *Clemens VIII.* Pontifex Maximus Decreto edito die 16. Maii anno 1514. Regularium Superioribus vetuit, ne notitiâ per Confessionem partâ ad exteriorem gubernationem quovis modo uterentur. *Tam Superiores* (inquit) *pro tempore existentes, quàm Confessarii qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, fieri mandavit.

An negari possit Suffragiũ ob

577. Sacerdos qui ex sola Confessione novit aliquem indignum esse Ecclesiastica Dignitate vel Præfectura, suffragium illi negare

gare poteſt, & illius electioni contradicere. Multis enim aliis rationibus moveri aliquis poteſt ad ſuffragium alteri negandum, quàm ex peccato cognito, nempe ex defectu ætatis, ſcientiæ, induſtriæ, &c. & quia novit alios digniores. *Ex multis aliis cauſis* (inquit S. Thomas) *redditur quis indignus ad Prælationis Officium, quàm ex peccato; ſicut ex defectu ſcientiæ vel ætatis, vel alicujus hujuſmodi; & ideo qui contradicit, nec ſuſpicionem de crimine inducit, nec Confeſſionem revelat.*

PARS I. Art. 5. §. 8. *Notitiam habitam in Confeſſione?* *S. Thomas*

578. Idem docet *S. Antoninus* 3. P. Tit. 16. Cap. 22. *Qui liberam electionem habet*, inquit, *licèt per ſolam Confeſſionem ſciat aliquem indignum ad Prælaturam, ad quam eligitur, quem aliàs putabat dignum, non debet eligere ex conſcientiâ ſibi ſic dictante: quia eligendo ſcienter dignum vel indignum, negotium geritur inter ipſum & Deum; unde poteſt etiam ex his quæ ſcit ut Deus, judicare in propoſito.*

S. Antoninus.

579. Qui publici peccatoris Confeſſionem excepit, negare illi Euchariſtiam publicè etiam petenti poteſt ac debet, ſi ad Sacram Menſam accedat antequàm ſcandalum palam removerit, & manifeſta Converſionis dederit argumenta. Publico enim peccatori ante Pœnitentiam neganda eſt Euchariſtia, ne *Sanctum detur canibus*: at quantumvis confeſſus fuerit, publicus peccator eſt, niſi ſcandalum tollat, verbi gratiâ,

Qui publici peccatoris Confeſſionem excepit negare illi Euchariſtiâ poteſt; ac debet etiâ publicè petenti

PARS I. Art. 5. §. 8. *absq. sigilli violatione.*

tiâ, nisi concubinam ejiciat concubinarius; fœnus exercere desinat, usurásque restituat usurarius, theatrum dimittat histrio, &c. Removendus est igitur ab Altari.

Quomodo hic se gerere debeât Confessarius.

580. Nec propterea sacrum Confessionis sigillum violatur, modò Confessarius non dicat, Se illum non absolvisse, aut ex ejus Confessione compertum & exploratum habere quòd Pœnitentiam non egerit; sed ita se gerat ac si Confessionem illius non excepisset, dicátque: Iste hactenus publicus concubinarius fuit, vel publicus usurarius, vel histrio, vel publicas inimicitias exercuit, & in eodem peccato manere videtur. Publico autem peccatori Communionem publicè præbere non licet, donec publicè constet ipsum peccatum dimisisse: proptereà illi Corpus Christi non præbeo.

Confessio qualibet Sacramentalis, etiã invalida, sigilli necessitatem includit.

581. Confessio quælibet Sacramentalis, quæ scilicet fit Sacerdoti, aut qui Sacerdos esse creditur, animo se accusandi, & peccata sua Clavibus Ecclesiæ subjiciendi, quamvis sit invalida, sacri sigilli necessitatem inducit. Cap. *Quod quidam*, Extra, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, quod est *Alexandri III.* Responsum.

Quid hic Confessio Sacramentalis?

582. Si quis igitur bona fide accedat ad pedes Sacerdotis, sine contritione quidem, sine melioris vitæ proposito, sed tamen eo animo ut se accuset coram illo ceu Dei Ministro, ut aliquo modo Ecclesiæ satisfaciat, ut Confessarii consiliis juvetur, hujusmodi

Con-

Confessio Sacramentalis est, & peccata in ea declarata sigillô celanda sunt: alioqui fidelibus fiducia omnis tolleretur, & Confessio odiosa redderetur. At verò si peccator specie Confessionis ad Sacerdotis pedes provolvatur, non tamen ut se de peccatis accuset, ut conscientiæ suæ pondus exponat, sed solo animo irridendi, decipiendi, corrumpendi Confessarium, sive ipsum in consortium sui peccati, verbi gratiâ hæresis, schismatis, conjurationis, libidinis pertrahendi, Confessio illa non est Sacramentalis, nec sigilli religionem inducit.

PARS I. Art. 5. §. 8.

Si animo fiat irridendi aut decipiendi, non est Sacramētalis, nec sigilli obligationem inducit.

483. Peccata consciorum, vel aliorum à Pœnitente in Sacramentali Confessione Sacerdoti declarata, eodem sigillo celanda sunt quô peccata ipsius Pœnitentis. Hæc enim vel ad Confessionis integritatem spectant; vel propriorum peccatorum expositioni à Pœnitente rudi & imperito conjuncta sunt. Deinde ex peccato complicis plerúmque agnosci potest peccatum Pœnitentis. Tandem Confessio alioquin odiosa & onerosa fieret.

Peccata consciorum à Cōfessore celanda.

584. Sigillô Confessionis ea omnia claudi debent, quæ in Confessione audita sunt; sive ut famæ ac pudori Pœnitentis consulatur, sive ut scandalum vitetur. *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, sive Supplementi Quæstione 11. Articulo 2. Sacrilegii ergo reus esset Confessarius, qui vel natalium defectum, vel aliquem alium defectum naturalem, aut in-

Et quidquid in Confessione auditum est, quod pœnitenti posset damnum afferre.

PARS I. Art. 5. §. 8.

infamiæ notam Pœnitenti vel ejus familiæ inustam, & in Confessione Sacramentali ab illo sibi declaratam, nec aliunde notam, aut quidvis aliud in ipsa Confessione auditum, (quamvis ad ipsam non pertinens) ex quo pudor, dedecus, aut quodvis damnum inferri vel accidere posset Pœnitenti, aut mala de ipso suspicio generari, quovis modo revelaret.

Quinam præter Confessarium Sacri Sigilli lege teneantur.

585. Non solus Sacerdos Pœnitentiæ Minister, sed omnes & singuli qui peccata Pœnitentis ex Confessione, aut cum ordine ad illam, sive immediatè, sive mediatè noverunt, eâdem sacri sigilli lege tenentur. Illi scilicet, qui vel maligno animo, vel casu, & sine culpâ, aliquid ad Confessionem pertinent audiverunt; ille qui cùm Sacerdos non sit, tanquàm Sacerdotem se gerens, aut furtim in Sacrum Tribunal irrepens, Confessionem excipere præsumit, aut divinum illud Ministerium sibi palam arrogat, sicut olim Abbatissæ quædam Monialium sibi subditarum Confessiones audiebant, quarum absurdam audaciam coërcet *Clemens III.* Cap. *Nova quædam*, Extra; *De Pœnitentiis & Remissionibus*: item illi quibus peregrinæ linguæ homines Confessionum suarum interpretibus utuntur. Item illi, quibus Confessarius vel ex deliberata malitia, vel imprudenter, consilium petendo, aut aliis de rebus intemperanter loquendo, peccata in Confessione audita revelat. Item qui char-

chartam in quâ peccata Confessario exposita descripta sunt, invenit, legit, vel ejus lectionem audivit. Hi, inquam, omnes sacrilegii rei sunt, si peccatum Pœnitentis, etsi veniale dumtaxat, vel aliquid ad Confessionem pertinens, & unde peccatum & persona, quæ illud commisit, innotescere potest, revelent: quamvis longè gravius sit Sacerdotis qui Confessionem excepit, quàm aliorum sacrilegium. Unde & pœnæ canonicæ in Confessarium dumtaxat sacrum sigillum violantem decretæ sunt.

Quatenus arcanum celare tenetur, qui illud quasi sub sigillo confessionis accepit.

586. Ille cujus fidei creditur aliquod arcanum, illúdque excipit quasi sub sigillo Confessionis, illud jure naturæ celare tenetur, illúdque revelando peccat contra fidelitatem, sed sigillum Confessionis non frangit. Sacri enim sigilli obligatio ex sola Confessione Sacramentali oritur, nec ex hominum institutione aut voluntate originem ducit. Sicut enim ex hominum arbitrio non pendet Sacramenti natura, efficientia, Minister; ita nec in eorum potestate est ut arcanum aliquod extra Sacramentalem Confessionem alterius fidei commissum, obliget ut sigillum Confessionis, ita ut prodi non possit absque sacrilegio. Quamobrem, si hujusmodi arcanum vergeret in damnum Ecclesiæ, Reipublicæ, Principis, alicujus tertii, illud revelare non solùm posset, sed deberet qui illud excepit quasi sub Confessionis sigillo, etiamsi flexis genibus, signo crucis

se

PARS I. Art. 5. §. 8.

se muniens, & præmissô, *Confiteor*, id apud ipsum aliquis deposuerit: quia nec animo se accusandi quis arcanum suum in amici sinum effundit, aut Ecclesiæ Clavibus illud subjicit, quæ ad peccati remissionem institutæ sunt: & arcana hujusmodi non solùm profanis hominibus, sed & mulieribus, quasi sub sigillo Confessionis creduntur. Ea S. *Thomæ* mens est in 4. *Sententiarum*, sive Supplementi Quæstione 11. Art. 2. ad secundum. *Aliquis*, inquit, *non debet de facili aliquid recipere hôc modo: si tamen recipiat, tenetur ex promissione hôc modo celare ac si in Confessione haberet; quamvis sub sigillo Confessionis non habeat.*

Cum licentia pœnitentis Sacerdos peccatum quod ex illius Cōfessione novit revelare potest.

587. Sacerdos, cum licentiâ Pœnitentis, peccatum quod ex illius Confessione novit, aut alia quæ apud ipsum in sacro Tribunali deposuit, alteri revelare potest. Cùm enim id possit Pœnitens per se ipsum, quidni & eo autore Sacerdos posset? *Duo sunt* enimvero *propter quę tenetur Sacerdos peccatum occultare*: (inquit S. *Thomas* in 4. *Sententiarum*, sive Supplementi Quæstione 11. Articulo 4.) *Primò & principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia Sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cujus vicem gerit in Confessione. Alio modo propter scandalum vitandum. Potest autem confitens facere, ut illud quod Sacerdos sciebat tantùm ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum. Et ideo,*

si

si dicat, non frangit sigillum Confessionis: tamen debet cavere scandalum, dicendo, ne fractor sigilli reputetur. Neque verò *ex hoc datur aliqua impunitas malis Sacerdotibus; quia imminet eis probatio (si accusantur) quòd de licentia confitentis revelaverint.*

PARS I. Art. 5. §. 8.

588. Atque ita Sacerdos quidam *Innocentio IV.* Pontifici Maximo conjurationem in ipsum factam aperuit, ac Militem ad ejus cædem subornatum denunciavit, cùm id omne ex complicis cujusdam moribundi Sacramentali Confessione didicisset: quod volente & permittente (ut par erat) Pœnitente factum, nullus dubito, quamvis id non exprimat *Matthæus Parisius* ad annum 1247 pag. 486. hanc referens Historiam. Ita etiam Confessarius potest cum licentia Pœnitentis heredes admonere de restitutione rei alicujus facienda.

Factum singulare.

589. Cæterùm hæc licentia expressa esse debet, nec sufficit implicita, aut interpretativa. Præterea necesse est ut sponte liberéque concessa sit. Tertiò, concessam esse oportet ex causa legitima & in commodum Pœnitentis. Unde si uxor à marito coacta, potestatem faceret Confessario peccatum suum revelandi; aut si reus sponte concederet licentiam detegendi crimen propter quod capite plectendus est; aut si Confessarius ipse molestus sit Pœnitenti ut ei peccatum suum, aut complicis personam extra Confessionem aperiat, & revelandi licen-

Cautio hìc adhibenda.

PARS I. Art. 5. §. 8.

centiam concedat, hâc licentiâ uti non potest inviolatâ sigilli Religione. Et si Prælatus præcipiat Confessario, ut peccatum alicujus omnino occultum revelet, illud revelare non debet, etiam cum licentia expressa ipsius Pœnitentis, quia Prælatus non est Judex occultorum, & forum contentiosum ac Pœnitentiale non sunt miscenda. Tandem licentia quam dat Pœnitens Confessario revelandi Confessionem, quantumcumque generalis, non intelligitur nisi in bonum confitentis. Ita docet *S. Antoninus*, 3. P. Tit. 16. Cap. 22. §. 1.

Confessarius loqui non potest citra ejus consensum de peccatis in Cōfessione auditis.

590. Confessario cum Pœnitente loqui non licet, citra ejus consensum, de peccatis aliisque in ejus Confessione auditis. Vix enim hujusmodi colloquium fieri potest, nisi Pœnitens pudore suffundatur, adeóque nisi grave fiat odiosúmque Confessionis jugum. Unde *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Confessorum ait: *Si loqui cum Pœnitente necesse sit petitâ ab ipso licentiâ, tum eadem secreti Religione ac in Confessione se teneri noverit.*

Qui ex Confessione ita aliquid novit, ut aliter etiam noverit, an illud revelare possit?

591. Qui ex Confessione sacramentali ita aliquid novit, ut alio etiam modo noverit, illud revelare potest, nullâ Confessionis mentione factâ, si necessitas urgeat. Nullam enim injuriam Sacramento facit, aut Pœnitenti; cùm vi sacri Sigilli non obligetur nisi ad celandum peccata quatenus in Confessione audita sunt. Et certè gravissimum

Sa-

Sacrorum Auricularioruum onus esset, si propter Confessionem peccatoris jus amitterent illis de rebus loquendi, quæ vel ante, vel post Confessionem ipsi viderunt, vel audiverunt. Præterea, ita sibi consociatæ sunt virtutes, ut una alteram non impediat; Religio, verbi gratiâ, justitiam; impediretur autem justitia, si quis revelare non posset quod humano modo novit, etsi illud etiam per Confessionem noverit. Subditi enim Superioribus suis gravissima quæque peccata confiterentur, ne propter illa corripi ab eis vel plecti possent. Hinc *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, sive Supplementi Quæstione 11. Articulo 5. scribit: *Opinio est communior, quòd illud quod homo aliàs scit, sive ante Confessionem, sive post, non tenetur celare quantùm ad id quod scit ut homo: potest enim dicere; Scio illud, quia vidi. Tenetur tamen celare illud in quantum scit ut Deus: non enim potest dicere, Ego hoc audivi in Confessione: tamen propter scandalum vitandum, debet abstinere ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas:* imminens scilicet Ecclesiæ vel Reipublicæ periculum, vel grave damnum proximi; aut mandatum Judicis testimonium ferre jubentis; vel Superioris Ecclesiastici præceptum excommunicantis omnes qui talis facinoris autores sive conscios noverunt, & non revelaverint; aut denique necessaria propter commune bonum correptio.

592. Nec

PARS I. Art. 5. §. 8. *Objectio diluitur.*

592. Nec refert quod inde ſcandalum in infirmi animi hominibus fortè oriatur, quia (ut ait *S. Thomas* ibidem in Reſponſione ad quartum) *Non debet ita vitari ſcandalum ex una parte, quòd ex alia juſtitia relinquatur*: VERITAS ENIM NON EST PROPTER SCANDALUM DIMITTENDA. *Et ideo quando imminet periculum juſtitiæ & veritatis, non debet dimitti revelatio ejus quod quis in Confeſſione audivit, ſi aliter ſciat, propter ſcandalum; verumtamen ſcandalum, quantùm in ſe eſt, vitare tenetur.*

Confeſsio fieri non debet Sacerdoti criminis conſcio, quod in Confeſsione aperiendum eſt.

593. Conveniens eſſet ut Sacerdotibus omnibus & ſingulis cujuſcumque criminis ſociis interdiceretur, ne ſociorum & participum ejuſdem criminis Confeſsiones audirent; omníque quoad hoc Juriſdictione privarentur. Vix enim contingit ut peccatores, qui apud ipſos hujuſmodi crimen deponunt, ſinceram illius Pœnitentiam agant; vix contingit ut criminoſi illi Sacerdotes ſalutaria dent conſilia, & convenientem Satisfactionis modum præſcribant: & ſi peccata ſint impudicitiæ, periculum eſt ne nova cùm Pœnitenti tum Sacerdoti in ipſa Confeſsione peccati naſcatur occaſio. *S. Carolus Borromæus* in Synodo Mediolanẽſi Diœceſana undecima id prohibuit ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ ſibi reſervatæ.

§. IX.

§. IX.

De Satisfactione Sacramentali.

594. Satisfactio est voluntaria pœnæ à Sacerdote in Pœnitentię impositæ perpesſio, ad compenſandam injuriam Deo illatam, ipsúmque placandum, cum firmo propoſito peccata inpoſterum omni ſtudio vitandi. *Quid Satisfactio?*

595. Sacerdos Satisfactionem Pœnitentibus injungere tenetur. Pro viribus enim agere debet ut ſit integrum Pœnitentiæ Sacramentum: at ſine Satisfactione integrum non eſſet. Meritò itaque rejicienda hæc Propoſitio eſt: *Abſolvi poteſt Pœnitens nulla Satisfactione impoſitâ, ſed in Purgatorium dilata.* *Sacerdos Satisfactionem Pœnitentibus injungere tenetur. Propoſitio rejicienda*

596. Satisfactionem ante Abſolutionem imponere, convenientius eſt. Hunc enim ordinem præſcribunt Rituales Libri plerique omnes & Sacramentaria in Eccleſia recepta, & *S. Carolus* in Inſtructionibus Confeſſorum: *Si opus fuerit*, inquit, *efficiet ut rerum, aut famæ, aut honoris in quo proximum læſit, reſtitutio fiat: & indictâ ſalubri Pœnitentiâ eum abſolvet*. Deinde cùm Satisfactio ſit *quaſi materia* Sacramenti Pœnitentiæ, ſicut Contritio & Confeſſio, conveniens eſt ut ejus impoſitio præmittatur Abſolutioni, ut Pœnitentes tum voto, tum *Satisfactionem ante Abſolutionem imponere convenientius eſt.*

PARS I. Art. 5. §. 9. spontanea indictæ pœnæ susceptione satisfacere incipiant, & satisfaciendi votum, susceptióque Satisfactionis Absolutione sacramentali confirmetur. Tertiò, fieri potest ut Pœnitens congruam ac legitimam Satisfactionem suscipere nolit, ac Sacerdotis in Sacro Tribunali vice Christi Judicis parere Sententiæ; eâque inobedientiâ se Absolutione indignum prodat: priùs itaque imponi Satisfactionem conveniens est, ut exploretur animus Pœnitentis, & innotescat Sacerdoti num dignos Pœnitentiæ fructus facere velit. Si tamen post Absolutionem imponatur, perinde est ad Sacramenti perfectionem, sufficit enim ut cæteris partibus Sacramenti Satisfactionis impositio & susceptio moraliter conjungatur. Hinc *S. Antoninus* 3. P. Tit. 16. Cap. 20. *Apud multos*, inquit, *est consuetudo quòd priùs absolvatur, & Pœnitentia injungitur. Quomodocumque fiat, vel ante, vel post, sufficit. Præsupponit enim Confessor, illum habere propositum faciendi quod sibi injunget, cùm ipsum pœniteat.*

Non tamen est necesse, ut Satisfactio ante Absolutio[n]e[m] impleatur.

597. Non est necesse ut imposita satisfactio ante Absolutionem Sacramentalem impleatur. Unde *Sixtus Quartus* Pontifex Maximus Concilium Complutense confirmans, hunc *Petri Oxomensis* errorem meritò damnavit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo-octavo: *Non sunt Absolvendi Pœnitentes, nisi peracta priùs Pœnitentia eis injuncta.*

Error damnatus

598. Con-

598. Confessarius tamen Pœnitentem obligare potest ad Satisfactionem vel ex toto vel ex parte implendam, ante Absolutionem, si id ejus emendationi & saluti expedire judicaverit. Cùm enim Christus de modo & tempore implendæ Satisfactionis nihil præceperit, sed Ecclesiæ arbitrio reliquerit, ipsa verò non jubeat Satisfactionem adimpleri ante Absolutionem in Pœnitentia privata, sed nec Absolutionem differri prohibeat, donec adimpleta fuerit Satisfactio, in potestate Sacerdotis est Absolutionem Pœnitentis differre donec Satisfactionem impleverit, si id tanquam Judex & Medicus ejus curationi spirituali judicaverit expedire. Id autem peritus ac prudens Medicus opportunum proculdubio saluti Pœnitentis judicabit, cùm in eadem sæpe relapsus peccata est.

PARS I. Art. 5. §. 9. *Nihilominus id aliquando Confessarius præcipere potest.*

599. Tunc enim satisfactoriis operibus secundùm modum criminum impositis, magis solicitus fiet ac vigilans ad vitanda peccata. Nam percipiendæ Communionis difficultas major Pœnitentem humiliorem efficit & cautiorem. Ac humilitate virtutes comparantur & infiguntur altiùs; cautione peccata vitantur diligentiùs. Deinde id ipsi Sacerdoti videbitur interdum conducibile ut satisfactoriis operibus peccandi consuetudo, & pravi habitus eradicentur, & bonis operibus paulatim Pœnitens assuescat, ut purior accedat ad Sacram Eucharistiam. Necessarium denique videbitur aliquando ut ex-

Quando?

exploret Contritionem Pęnitentis, & sinceram conversionem, cujus sufficientia fortè indicia non habet ex Confessione. *Confessionis verba, quid sunt aliud nisi folia?* Non autem ex foliis, sed ex fructibus bonitas & fœcunditas arboris cognoscitur: adeóque & conversio peccatoris ex fructibus Pęnitentiæ.

600. Cùm ita se geret Sacerdos in Administratione Sacramenti Pęnitentiæ, antiquos mores sequetur. Faciet quod faciendum præscripsit *S. Innocentius* Pontifex hujus nominis primus, Epistolâ 1. *De pondere*, inquit *æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem Pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam Satisfactionem*. Faciet quod *S. Leo* suo tempore fieri consuevisse testatur & probat in sua ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum Epistola. Faciet quod *Sanctus Gregorius Magnus* faciendum esse docuit Homiliâ 26. in Evangelia: *Videndum est*, inquit, *quæ culpa præcessit, aut quæ sit Pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Sententia Pastoris absolvat. Tunc enim vera est Absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Judicis*. Quamquàm verò ita se gerere Sacerdotem aliquando conveniens sit, veterem tamen Disciplinam universim instaurare, non est pri-

Veterem disciplinam instaurare non est

va-

vatorum hominum, sed Summorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium. PAR I. Art. 5. §. 9. *privatorũ hominum.*

601. Sacerdotes tenentur imponere Pęnitentibus Satisfactiones gravitati criminum, & Pęnitentium facultati respondentes: alioqui alienorum participes fiunt peccatorum. *Quæ imponenda satisfactio.*

602. Ita Concilium Tridentinum, Sessione 14. Cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares & convenientes Satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* *Concilium Tridentinum.*

603. Et *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Sacramenti Pęnitentiæ. *Injunget*, inquit, *Penitentiam pro culpæ & personæ ratione: ita ut superbis humilitatis opera: carnis voluptatem sectantibus, jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliámque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat: in oratione negligentibus, ut singulis diebus mane saltem & vespere orationi vacent; feria secunda, & aliis certis feriis pro Defunctis orent; certis item definitísque diebus devotè visitent Stationales, & præcipuæ devotionis Ecclesias & Altaria, præsertim in Quadragesima & in Adventu. Mundi Pompas, choræas, aliáque opera Sa-* *S. Carolus Borromæus.*

PARS I. Art. 5. §. 9.

tanæ consectantibus, eam Pęnitentiam imponet, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissimè Beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi propositâ, solemnem illam sponsionem, quam per compatres in Baptismo sanctè fecerunt, redintegrent, intimè Deum precando: in qua precatione firmo stabilique animo proposito statuant, se Christo Domino adhærere, renunciaréque iterum atque iterum sæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo inprimis: cui se adversarios esse & professi sunt, & profitentur perpetuò.

Pœnitentiæ genera, quæ imponi possunt, pro ratione criminum & Personarum.

„ 604. Atque hæc quidem Pęnitentiæ „ genera à Sanctis Viris accepta, Ecclesia- „ sticæque Disciplinæ Interpretibus, pro „ peccatorum ratione adhiberi poterunt.

„ Ut Pœnitens vestium sericarum usu, „ auri ornamento, conviviorum apparatu, „ venatione, aliquo certo tempore absti- „ neat.

„ Ut egentibus hominibus cibum suppe- „ ditet ac ministret; pedes item lavet.

„ Ut peregrinos pro facultatum ratione „ hospitio excipiat.

„ Ut in publica domo hospitali, locóve „ pio aliquot dies operam navet.

„ Ut visitet qui in carcere sunt, eosdem „ consoletur, & cùm per facultates potest, „ alat certo præstituto tempore.

„ Ut se per aliquot dies in Monasterium

„ ali-

„ aliquod, aliúmve ſemotum locum abdat, „ ubi Pęnitens vivat.

„ Ut aliquot diebus carne, aut vino item „ abſtineat.

„ Ut certis diebus, præſertim feria quarta, ſexta, & Sabbato jejunet: vel etiam „ veſcatur ſolùm pane, & aquæ potu utatur.

„ Ut certo aliquo tempore non equitet.

„ Ut, ſi facultates ſuppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemoſynam pauperibus Chriſti „ conferat.

„ Ut genibus flexis, aut etiam brachiis „ extentis in modum crucis, certo tempore, & horâ præfinitâ, ante Crucem, „ aliámve Sacram Imaginem in Eccleſia „ oret.

„ Ut humi aliquandiu jaceat, cubétve.

„ Ut flagella certis præſcriptis diebus ſibi „ adhibeat.

„ Ut cilicium aliquot dies induat.

„ Ut religioſam aliquam peregrinationem „ ſuſcipiat, ſanctéque conficiat.

„ Ut ſtatos Pſalmos Pęnitentiales, aliáſque „ pęnitentiales preces piè recitet aliquot „ dierum ſpatio.

„ Ut certas Eccleſias, puta Stationales, vel „ præcipuæ devotionis viſitet.

605. Confeſſarius Canones Pęnitentiales noſſe debet, & juxta eos Pęnitentiam imponere, ſervatis prudentiæ regulis, habitſ- *Canonum Pœnitentialium.*

PARS I. Art. 5. § 9. *Scientia Confessariis necessaria.*

que ratione conditionis & diversitatis personarum, aliisque circumstantiis, & maximè contritionis Pœnitentium. *S. Celestinus* I. Pontifex Maximus Epistola 3. *Nulli*, inquit, *Sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum possit Regulis obviare.*

S. Carolus Borromæus.

606. Et *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum: *Sacerdos*, inquit, *Canones Pœnitentiales consulet, quibus licèt cum prudentiâ, discretione, & modo, pro Pœnitentis contritione, qualitate, statu, aliisque circumstantiis uti debeat, observandi tamen sunt, ita ut juxta eos quasi traditam sibi Regulam Sacerdos se gerat, proüt expedire ei visum fuerit. Et quando Pœnitentiam Canonibus antiquis præscriptam non imponet, eam tamen Penitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem injunctam Pœnitentiam ipse ardentiùs exequatur; motus scilicet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, quâ antiquioris Disciplinæ rigor mitigatur.*

S. Antoninus.

607. Id confirmat *S. Antoninus*, 3. P. Tit. 17. Cap. 21. *Quamvis*, inquit, *Pœnitentiæ injungendæ à Confessore Pœnitentibus hodie sint arbitrariæ, & ad arbitrium Judicis, id est, Confessoris imponendæ, ut habetur* 26. Quæst. 7. Can. Tempora, & De Pœnitentia Dist. 1. Can. Mensuram. *Et hanc opinionem approbat consuetudo, & generaliter hoc servatur, ut dicit Hostiensis in Summa,*

ma, Tit. de Pœnit. & Remiss. Tamen ut Sacerdos circa hujusmodi dispensationem cautiùs arbitretur, notandi sunt casus in quibus per Canones certæ Pœnitentiæ imponuntur. Nam & Canones Pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, aliàs vix in eo nomen Sacerdotis constabit. 38. *Dist.* Can. *Quæ ipsis.*

Concilium Tridentinum.

608. Denique Concilii Tridentini Catechismus P.3. §. 113. & 114. *In irroganda*, inquit, *Satisfactionis pœna, Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse; sed omnia justitiâ, prudentiâ, & pietate dirigenda existimabunt. Atque, ut hâc regulâ peccata metiri videantur, & Pœnitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit interdum eis significare quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum Canonum præscripto, qui Penitentiales vocantur, constitutæ sint. Igitur universæ Satisfactionis modum culpæ ratio temperabit.*

Canonum Pœnitentialium moderatio.

609. Porrò in Pœnitentialium Canonum moderatione justitiam, prudentiam, pietatẽ, charitatem singularem Sacerdotes adhibere debent, ita ut nimiam severitatem, æquè ac nimiam lenitatem devitent. Trullana Synodus, Canone ultimo. *Oportet*, inquit, *eos qui solvendi & ligandi potestatem à Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus qui peccavit ad cõversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam: ne si in utroque immoderatione*

utan-

PARS I. Art. 5. §. 9. *Nimia severitas æquè ac nimia lenitas devitandæ.*

utantur, ab ejus, qui laborat, salute excidant .... Neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ dissolutionem & contemptum frena relaxet: sed una quidem omnino ratione, sive per acriora & astringentia, sive per molliora & leniora medicamenta affectioni resistat, & ad ulceris obductionem annitatur, fructus Pœnitentiæ examinans, &c.

S. Thomas

610. Idem confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto 3. Quæst. 13. Art. 1. „ Videtur satis „ conveniens (inquit) quòd Sacerdos non „ oneret Pœnitentem gravi pondere Satis- „ factionis: quia sicut parvus ignis à multis „ lignis superpositis de facili extinguitur, ita „ posset contingere quòd parvus affectus „ Contritionis in Pœnitente nuper excita- „ tus, propter grave onus Satisfactionis ex- „ tingueretur, peccatore totaliter despe- „ rante. Unde melius est quòd Sacerdos Pę- „ nitenti indicet quanta Pęnitentia esset ipsi „ injungenda, & injungat nihilominus ali- „ quid quod tolerabiliter ferat; ex cujus „ impletione assuefiat ut majora impleat.

S. Carolus Borromæus.

611. Id suo etiam suffragio & approbatione munit *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Pœnitentiæ. „ In Pœnitentiâ „ imponendâ (inquit) adhibebit & pru- „ dentiam, & pietatem, & justitiam. Ha- „ bebit rationem statûs, conditionis, sexûs, „ ætatis. Videbit ne ei, qui in aliena pote- „ state est, eam Pœnitentiam injungat, quâ

„ vel

„ vel præjudicium afferatur illius juri, qui „ Pœnitentem in potestate habet; néve „ eam, quâ vel occasio detur spiritualis rui„ næ, vel Pœnitentis, alteriúsve peccatum „ detegi, vel aliquod scandalum suboriri, vel „ ipse Pœnitens nimiùm deterreri, remis„ súsve & tepidus reddi possit. Quamobrem „ talem imponet, qualem ab eo præstari pos„ se judicet. Proinde aliquando, si ita ex„ pedire viderit, illum interroget, an possit, „ anve dubitet, Pœnitentiam sibi injunctam „ peragere. Alioquin eam mutabit, aut „ minuet. Considerabit item animum men„ témque Pœnitentis, ac fletum, gemitum, „ & lacrymas intimi doloris indices.

Pro graviori peccato Pœnitentia levior quandoque imponi potest.

612. Hinc non semper peccat Sacerdos qui pro gravi peccato leviorem Pœnitentiam imponit. *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*. Dist. 20. Quæst. 1. Art. 2. Quæstiuncula 2. ad tertium: „ Sacerdos (inquit) minorem „ condigno Pœnitentiam injungens, non „ semper peccat, tum quia non potest deter„ minatè quantitatem pœnæ debitæ cogno„ scere, quamvis aliquando propriè consi„ deratis Regulis Patrum determinare pos„ sit; tum quia quandoque etiam ex indu„ stria minorem Pœnitentiam imponens, „ plus prodest Pœnitenti quàm noceat, qui „ fortè magnitudine pœnæ posset à Pœni„ tentia peragenda impediri propter debili„ tatem virtutis adhuc in eo de novo recu„ peratæ: & ideo negligit minus damnum,

„ ut

PARS I. Art. 5. §. 9.

„ ut majus evitet: & iterum paulatim con-„ fortatus in eo divinus Amor ad plura Pœ-„ nitentiæ opera peragenda ipsum incitabit „ propria sponte, quàm Sacerdos eidem se-„ cundùm quantitatem peccatorum injun-„ gere potuisset.

Pro minori peccato gravior quandoque imponenda Penitentia.

613. At verò pro minori peccato gravior quandoq. Penitentia imponenda est. Ita enim quandoque postulat spiritualis Medicinæ ratio, *Vel quia peccato unius difficiliùs potest resisti quàm peccato alterius; sicut juveni pro fornicatione imponitur major Pœnitentia quàm seni, quamvis minus peccet: vel quia in uno peccatum est periculosius, sicut in Sacerdote, quàm in alio: vel quia multitudo magis prona est ad illud peccatum; & ideò per pœnam unius alii sunt exterrendi*, (inquit *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 20. Quæst. 1. Art. 1. Quæstiuncula 1.)

Pœnitentia infirmis significanda.

614. Ægrotis significanda est Pœnitentia, quam implere teneantur, si convaluerint, eâque interim impositâ, quam in eo statu facilè possint implere, sunt absolvendi. Causâ 26. Quæstione 7. Canone *Ab infirmis*.

615. Idem confirmat *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus de Visitatione & Cura Infirmorum.

Satisfactio medicinalis.

616. In peccatorum remedia Satisfactiones quasdam imponere convenit subitò post peccatum peragendas. *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Confessorum.

„ In

„ In peccatorum, inquit, remedia imponantur Pœnitentiæ subitò post peccatum peragendæ, ut blasphemi, verbi gratiâ, terram osculentur, aut eleemosynas erogent, aut brevem recitent orationem. Aliis peccare solitis, ut quavis hebdomada, aut pro singulis diebus, ut illis suaviter suaderi poterit, confiteantur; sicque alia adhibeant remedia, quibus à peccatis abstineant, Item his qui legere noverint, pro necessitate distribuantur folia, in quibus habentur remedia pro peccatis communioribus, luxuriâ scilicet & blasphemiâ, & inter alias Pœnitentias imponatur, ut hæc legant toties per mensem aut hebdomadam, plus aut minùs, proüt necessum fuerit, usque ad proximam Confessionem, aut donec ea memoriter didicerint.

PARS I. Art. 5. §. 9.

617. Satisfactiones intricatas, & ex variis operum generibus, aut diversarum orationum magno numero compositas, Confessarium Pœnitentium vulgo imponere non expedit,

Satisfactiones intricatæ non imponendæ.

618. Concilium est *S. Francisci Salesii* in Monitis pro Confessariorum Instructione scriptis, Cap. 8. hâc ratione fultum, quòd illa diversarum orationum congeries, aut piorum operum varietas oblivionem Pœnitentiæ impositæ inducat, indéque anxietatem & scrupulos pariat in animis Pœnitentium. Deinde remittitur ac tepescit plerumque devotio, dum Pœnitens magis cogitat

Monitum S. Francisci Salesii.

gitat

PARS I. Art. 5. §. 9.

„ ut majus evitet: & iterum paulatim con„ fortatus in eo divinus Amor ad plura Pœ„ nitentiæ opera peragenda ipsum incitabit „ propria sponte, quàm Sacerdos eidem se„ cundùm quantitatem peccatorum injun„ gere potuisset.

Pro minori peccato gravior quandoque imponenda Pœnitentia.

613. At verò pro minori peccato gravior quandoq. Penitentia imponenda est. Ita enim quandoque postulat spiritualis Medicinæ ratio, *Vel quia peccato unius difficiliùs potest resisti quàm peccato alterius; sicut juveni pro fornicatione imponitur major Pœnitentia quàm seni, quamvis minus peccet: vel quia in uno peccatum est periculosius, sicut in Sacerdote, quàm in alio: vel quia multitudo magis prona est ad illud peccatum; & ideò per pœnam unius alii sunt exterrendi*, (inquit *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 20. Quæst. 1. Art. 1. Quæstiuncula 1.)

Pœnitentia infirmis significanda.

614. Ægrotis significanda est Pœnitentia, quam implere teneantur, si convaluerint, eâque interim impositâ, quam in eo statu facilè possint implere, sunt absolvendi. Causâ 26. Quæstione 7. Canone *Ab infirmis*.

615. Idem confirmat *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus de Visitatione & Curâ Infirmorum.

Satisfactio medicinalis.

616. In peccatorum remedia Satisfactiones quasdam imponere convenit subitò post peccatum peragendas. *S. Carolus Barromæus* in Instructionibus Confessorum.

„ In

„ In peccatorum, inquit, remedia imponantur Pœnitentiæ subitò post peccatum peragendæ, ut blaſphemi, verbi gratiâ, terram oſculentur, aut eleemoſynas erogent, „ aut brevem recitent orationem. Aliis peccare ſolitis, ut quavis hebdomada, aut pro „ ſingulis diebus, ut illis ſuaviter ſuaderi „ poterit, confiteantur; ſicque alia adhibeant remedia, quibus à peccatis abſtineant, Item his qui legere noverint, pro „ neceſſitate diſtribuantur folia, in quibus „ habentur remedia pro peccatis communioribus, luxuriâ ſcilicet & blaſphemiâ, „ & inter alias Pœnitentias imponatur, ut „ hæc legant toties per menſem aut hebdomadam, plus aut minùs, proüt neceſſum „ fuerit, uſque ad proximam Confeſſionem, „ aut donec ea memoriter didicerint.

617. Satisfactiones intricatas, & ex variis operum generibus, aut diverſarum orationum magno numero compoſitas, Confeſſarium Pœnitentium vulgo imponere non expedit,

Satisfactiones intricatæ non imponendæ.

618. Concilium eſt *S. Franciſci Saleſii* in Monitis pro Confeſſariorum Inſtructione ſcriptis, Cap. 8. hâc ratione fultum, quòd illa diverſarum orationum congeries, aut piorum operum varietas oblivionem Pœnitentiæ impoſitæ inducat, indéque anxietatem & ſcrupulos pariat in animis Pœnitentium. Deinde remittitur ac tepeſcit plerumque devotio, dum Pœnitens magis cogitat

Monitum S. Franciſci Saleſii.

PARS I. Art. 5. §. 9.

gitat quas orationes recitare vel quid agere debeat, & quo die, quàm attendat ad preces ipsas quas fundit, aut ad opera ipsa quæ facit.

Impositio Pœnitentiæ ab omni specie cupiditatis aliena esse debet.

619. Sacerdos qui eleemosynas, vel Missas in Satisfactionem imponit, nec sibi, nec Ecclesiæ suæ, aut Monasterio eas applicare potest, aut applicandas committere. Idemque in rerum incertarum Restitutione, Votorum commutatione, & aliis hujusmodi observandum est. Id enim plurima Concilia severè prohibent.

S. Caroli Borromæi Monitum.

620. Et *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Confessorum; „ Ut Sacerdos „ liberiùs circa Pœnitentem debito funga„ tur officio, & auctoritate in ejus utilitatem „ semper gaudeat, ab omni avaritiæ specie „ alienus videri debet. Hinc non modò non „ petat, sed nec velle se habere significet pe„ cuniam, aliámve rem pro suscepti in Con„ fessione laboris munere; immò verbis, vel „ potiùs factis, ab his omnibus abhorrere „ se demonstret. Cùm pro Pœnitentia Mis„ sas injunxerit, sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut „ Monasterio dicendas non addicat. Quod „ idem servabitur in restitutionibus incer„ tis, aut votorum commutatione, aliísque „ hujusmodi. Nec ipse pecuniæ, aliúsve rei „ restituendæ provinciam assumat, nisi ne„ cessitas ad id eum adegerit, ne scilicet Pœ„ nitens dignoscatur: tumque apocham re„ cipiat ab eo cui restitutionem contulerit,

Advertant Confessarii.

„ quam postea Pœnitenti tradet: ita denique „ se gerat, ut nec minimam avaritiæ labis „ suspicionem contrahat.

PARS I. Art. 5. §. 9.

Publica Pœnitentia, quibus imponenda?

621. Publicis peccatoribus publica Pœnitentia est imponenda, quam Confessarius cum privata commutare inconsulto Episcopo non debet. Concilium Tridentinum, Sessione 24. *De Reformatione*, Cap. 8.

Solemnis à solo Episcopo imponi potest, qui etiam pro publica imponenda consulendus est.

622. Solemnem Pœnitentiam solus Episcopus imponere potest; solus Pœnitentes solemni Ritu reconciliare. At publicam Pœnitentiam Confessarius quilibet approbatus in Pœnitentiæ foro pro publicis peccatis imponere potest, nisi publicæ quoque Pœnitentiæ impositionem Episcopus sibi reservaverit: quo in casu peccatorem crimine aliquo publico irretitum Sacerdos ad Episcopum remittet, cujus consilium ac voluntatem his in Casibus exquirere convenientius ac tutius erit, ut æstimato pondere delicti, judicent num publicæ dumtaxat, num solemni Pœnitentiæ peccator sit addicendus; quis sit illi Satisfactionis modus imponendus pro ratione scandali, & spectatis personæ, sexus, ætatis, conditionísque circumstantiis, necnon signis Contritionis consideratis: ut denique videant num fortè expediat Pœnitentiam publicam in aliam commutare, quæ privatim peragatur. Quæ quidem commutatio Episcoporum potestati reservata est ex Sacrorum Canonum præscripto, nec ab inferioris ordinis Sacerdotibus qui-

PARS I. Art. 5. § 9.

quibuscumque, sive Regularibus, sive Sæcularibus, etiam Parochis, nisi cum Episcopi licentia fieri potest.

An Pœnitentia ab uno Confessario imposita ab alio commutari possit?

623. Pœnitentia ab uno Confessario imposita, ab altero mutari non potest, nisi causâ cognitâ, & graves ob causas. *Constat enim*, inquit Sacra Synodus Tridentina Sessione 14. De Pœnitentia, Cap. 5. *Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non posse, neque æquitatem in pœnis injungendis*, moderandis, aut commutandis *servare*.

Præscripta Satisfactio necessariò adimplenda.

Neglectus satisfactionis impositæ grave peccatum.

624. Pœnitens opera satisfactoria sibi à Confessario imposita suscipere & implere tenetur. Unde peccati lethalis reus est, qui Pęnitentiam pro lethalibus peccatis sibi pręscriptam implere negligit. Concil. Lateran. 4. Can. 21. Neque verò dicant ignavi homines se pęnas peccatis suis debitas in Purgatorio subituros, divinæ Justitiæ se se submittere, impositam à Sacerdote pęnitentiam citra crimen omittere se posse. Illos enim qui ita sunt affecti & hìc pęnitentiam agere negligunt, non Purgatorii pęnis expiandos, sed pęnis æternis damnandos docet *S. Cæsarius* Arelat. Episcopus Serm. 37. Inter Augustinianos alias 41. *De Sanctis* nunc 104. in Appendice. Enim verò lex ipsa naturæ præcipit, ut propositis duobus malis minus eligatur: ut si quis sanari possit à morbo lethali apertione venæ aut abscissione brachii, tenetur eligere apertionem ve-

venæ, & gravissimè peccaret, si aliter faceret: Cùm igitur homo duobus modis Justitiæ Divinæ pro peccato satisfacere possit, aut in hac vita se ipsum utcumque puniendo, vel in Purgatorio manum Dei Vindicis patiendo; Purgatorii pęnam eligere non licet, ac pęnitentiæ labores longè leviores declinare.

PARS I. Art 5. §. 9. Purgatorii pœnam eligere non licet ad declinandos pœnitentiæ labores.

625. Peccator cui leviores pęnæ pro gravibus peccatis sunt impositæ, alia satisfactionis opera sponte exercere & implere debet. Alioqui divinum illud præceptum non implet ore Sanctissimi Præcursoris promulgatum, *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*: & divinæ justitiæ vices in se ipsum, ut par est, non exequitur, dum peccatum suum impunitum relinquit contra ejusdem justitiæ ordinem.

Condignæ Satisfactionis necessitas.

626. Idem confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto 3. Quæstione 13. Articulo 1. *Peccator*, inquit, *est debitor alicujus Satisfactionis dupliciter: uno modo, ex injunctione Sacerdotis: alio modo, ex peccato commisso: unde si contingat quòd Sacerdos minorem Satisfactionem imponat Pœnitenti, quàm sit illa ad quam alligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo quod remittitur virtute Clavium, & Contritionis præcedentis, nihilominus Pœnitens ad aliquid ulterius obligatur, quod si in hac vita non perficiet, in Purgatorio exsolvet: & è converso, si Sacerdos imponat majorem Pœnitentiam quàm*

S. Thomas

PARS I. Art. 5. §. 9.

Pęnitens facere teneatur pensata remissione quæ est facta per vim Clavium, & Contritionem præcedentem, nihilominus Pęnitens tenetur facere quod sibi injunctum est, si adsit facultas.... *Quæ* verò Satisfactionis opera Pęnitens *præter injunctionem expressam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit*, QUICQUID boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum. (*Unde laudabiliter consuevit hoc à multis Sacerdotibus dici*) *licèt non habeant majorem vim ad prębendum remedium contra culpam futuram: & quantùm ad hoc talis Satisfactio est Sacramentalis, in quantum virtute Clavium est culpę commissę expiativa.*

Satisfactio injuncta maioris virtutis est quàm sponte suscepta.

627. Satisfactio à Sacerdote injuncta majoris virtutis est quàm spontè suscepta. Ita docet *S. Thomas*, Quodlibeto 3. Quæstione 13. Articulo 1. *Opus*, inquit, *quod quis facit ex injunctione Sacerdotis, dupliciter valet Pœnitenti: uno modo ex natura operis: alio modo ex vi Clavium: cùm enim Satisfactio à Sacerdote absolvente injuncta sit pars Pœnitentiæ, manifestum est quòd in ea operatur vis Clavium; ita quòd ampliùs valet ad expiandum peccatum, quàm si proprio arbitrio homo faceret idem opus.*

Pœnitentiæ pars arbitrio pœnitentis

628. Sacerdos Pœnitentiæ partem arbitrio Pœnitentis relinquere potest. Ita docet *S. Thomas* ibidem: *Sacerdos*, inquit, po-

potest Pœnitenti Satisfactionem injungere vel ex proprio arbitrio, vel etiam ex consilio alieno. Est ergo dicendum, quòd sicut potest Sacerdos injungere satisfactionem Penitenti ex arbitrio alieno, ita & ex arbitrio ipsius Penitentis; sicut si dicat, Facias hoc si potes, & si non potes, facias hoc: *& simile videtur cùm Sacerdos dicit*, QUICQUID *boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum.* PARS I. Art. 5. §. 9. *relinqui potest.*

629. Pęnitens impositæ sibi Satisfactionis onus propria auctoritate alteri imponere non potest; & si alter Satisfactionem pro ipso spontè susceperit, non ideò solutus est Satisfactionis obligatione, si per se ipsum satisfacere posſit. Confessarius itaque permittere non debet ut Pęnitens impositam Satisfactionem alteri committat adimplendam. Colligitur ex Concilio Lateranensi 4. Canone 21. *Satisfactionis onus in alterum transferri non potest.*

630. *S. Thomæ* suffragiò confirmatur, in 4. *Sententiarum*, sive Supplementi Quæstione 13. Articulo secundo. „ Nec etiam „ (inquit) exigitur quantùm ad solutio„ nem debiti, quòd ille, pro quo fit Satis„ factio, sit impotens ad satisfaciendum; „ quia etiamsi esset potens, alio satisfacien„ te pro ipso, ipse à debito immunis esset. „ Sed hoc requiritur in quantum pęna sa„ tisfactoria est in remedium. Unde non „ est permittendum quòd aliquis pro alio „ Pęnitentiam agat, nisi defectus aliquis ap- *S. Thomas*

PARS I. Art. 5. §. 9.

„ pareat in Pœnitente, vel corporalis, per „ quem sit impotens ad sustinendam, vel „ spiritualis, per quem non sit promtus ad „ portandam pœnam.

Propositio damnata.

631. Meritò igitur hanc inter alias Propositionem ut minimùm tanquam scandalosam & in praxi perniciosam damnavit *Alexander VII.* Pontifex Maximus ordine decimam-quintam: *Pœnitens propria auctoritate potest sibi substituere alium, qui, locô ipsius, Pœnitentiam adimpleat.*

Quando iteranda satisfactio?

632. Satisfactoria opera in peccato mortali facta, quæ nullum in satisfacientibus effectum relinquunt, iterari debent à Pœnitentibus: non autem illa quæ permanentem in homine relinquunt effectum.

S. Thomas

633. *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, sive Supplementi Quæstione 14. Articulo 3. ad 3. „ Aliquæ (inquit) satisfactiones sunt, ex „ quibus manet aliquis effectus in satisfa„ cientibus, etiam postquam actus satisfa„ ctionis transiit, sicut ex jejunio manet „ corporis debilitatio, & ex eleemosyna„ rum largitione substantiæ diminutio; & sic „ de similibus. Et tales satisfactiones in „ peccatis factæ non oportet ut iterentur; „ quia, quantùm ad hoc quod de eis ma„ net, per Pœnitentiam Deo acceptæ sunt. „ Satisfactiones autem quæ non relinquunt „ aliquem effectum in satisfaciente, post„ quam actus transiit, oportet ut iterentur, „ sicut orationes, & alia hujusmodi. Actus

„ au-

„ autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet ut iteretur. „ id est, actum illum quo satisfacere quis proposuit in peccato mortali existens, vel quo sive ad jejunandum, sive ad orandum, sive ad eleemosynam erogandam se voluntas ipsius applicavit, iterandus est à Pœnitente, cùm fuerit in Dei amicitiam restitutus.

Expleta satisfactio iteranda non est ex solo metu, quod in caritate non fuerit impleta.

634. Porrò quamvis nemo certò sciat se in statu gratiæ Deo satisfecisse, iterare tamen Satisfactionem non tenetur, nisi conscientiam habeat peccati mortalis. *S. Thomas*, Articulo 2. Quæstionis mox indicatæ, ad secundum. *Sicut*, inquit, *homo nescit pro certo utrùm caritatem habuerit in satisfaciendo, vel habeat; ita etiam nescit pro certo utrùm plenè satisfecerit: & ideò dicitur Ecclesiastici* 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. *Nec tamen exigitur quòd propter hunc metum homo satisfactionem expletam iteret, si conscientiam peccati mortalis non habeat: quamvis enim pœnam non expiet per hujusmodi satisfactionem, tamen non incurrit reatum omissionis ex satisfactione neglecta: sicut nec ille qui accedit ad Eucharistiam sine conscientia peccati mortalis, cui subjacet, reatum indignæ sumptionis incurrit.*

§. ULTIMUS.

De Absolutione Sacramentali: In quo consistat, & quibus concedenda.

Quibus verbis constat Absolutio Sacramentalis.

635. ABsolutio Sacramentalis his verbis necessariò constat, ABSOLVO TE, aut certè verbis æquivalentibus. Ita docet Concilium Tridentinum Sessione 14. Cap. 3.

S. Thomas

636. Idem confirmat *S. Thomas*, 3. P. Quæstione 84. Articulo 3. Unde nec pronomen: *Ego*, quod in verbo includitur, neque hæc verba, *à peccatis tuis*, ad essentiam formæ spectant, ipsíque prætermissis, rata nihilominus esset Absolutio, quamvis Sacerdos illa prætermittens, gravis peccati reus esset. Hæc enim verba, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti*, quamvis usurpari debeant ex Ecclesiæ usu, & convenientia sint ad significandum Sacerdotes non principali, sed ministeriali dumtaxat auctoritate, ut Christi Ministros à peccatis absolvere; non sunt essentialia, quia non sunt determinata ex Institutione Christi, sicut in forma Baptismi.

Verba æquivalentia.

637. Dixi, his verbis, aut æquivalentibus Absolutionis formam constare: qui enim diceret, *Ego remitto tibi*, vel, *Condono tibi omnia peccata tua*, vel *Mea Mediocritas habet te veniâ donatum & absolu-*

tum:

tum: quâ formâ Græcos uti eorum Euchologia, & *Arcudius*, testantur, verè absolveret. Tamen peccaret gravissimè Latinus Sacerdos aliis verbis Absolutionem exprimens, ab iis quæ in Sacramentariis & Ritualibus Ecclesiæ Latinæ Libris sunt præscripta. PARS I. Art. 5. §. ult.

638. Sensus horum verborum, EGO TE ABSOLVO, non est, *Declaro tibi remissa esse peccata*, sed, *Tibi peccata remitto*: Sive, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*. *S. Thomas* 3. P. Quæst. 80. Art. 3. ad 5. *Quis sensus verborum Absolutionis?*

639. Absolutio sub conditione de præsenti est illicita, sub conditione de futuro irrita est. Christus enim formam certam, non dubiam & conditionatam instituit; nec usurpat aut approbat Ecclesia, nisi dubitet Sacerdos utrùm Absolutionis verba protulerit, quâ in hypothesi sub hac verborum formula absolvere potest: *Si non es absolutus, ego te absolvo*. Sicut in simili dubio ritè confertur Baptisma sub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*. Potest etiam, immò & debet apponi conditio, cùm de moribundo qui factâ, vel inchoatâ Confessione, aut postulato Sacerdote absolvitur, vel ex probabili vitæ Christianè piéque transactæ testimonio judicatur absolvendus, dubitatur utrùm vivat vel animam emiserit. Sic fabrum quemdam ex fabrica S. Petri Romæ cadentem videns *Clemens VIII.* Pontifex *Absolutio sub conditione de præsenti illicita, nisi in quibusdam casibus.*

PARS I. Art. 4. §. ult.

Maximus absolvisse fertur sub hâc formula: *Si es capax, absolvo te à peccatis tuis*; ut refert *Homobonus* in Examine Ecclesiæ, P.1. Tract.7. Cap.18. Quæst. 84. Aliàs appositio conditionis præsentis illicita est, quamvis irritam Absolutionem non faciat si revera posita sit conditio; ut si quis dixerit: *Si sinceram habes restituendi voluntatem, aut coram Superiore te sistendi, Ego te absolvo à peccatis tuis*. Unde, *Exterminanda est hujusmodi superstitio ab Ecclesia Dei*; (inquit Cardinalis *Cajetanus*.)

Sub conditione de futuro irrita.

640. Appositio autem conditionis futuræ Absolutionem irritam reddit; verbi gratià cùm dicit Sacerdos: *Si restitueris; si cum inimico reconciliatus fueris, si Satisfactionem tibi impositam impleveris, absolvo te*. Non est enim in potestate Sacerdotis ut Sacramentum nunc conferat, illiúsque suspendat effectum ad tempus usque conditionis implendæ. *Sacrilegus ergo est abusus iste Formæ Sacramentalis*, inquit Cajetanus, *Fit enim injuria Sacramento, dum perficitur modo excludente fructum Sacramenti ex indebita intentione Ministrantis*. Et eâdem ratione non potest Sacramentalis Absolutio impendi sub spe ratihabitionis.

Ab iisdem peccatis pluries absolvi potest pœ-

641. Ab iisdem peccatis pluries absolvi potest Pœnitens in diversis Confessionibus, non in eadem. Diversa enim materia proxima Pœnitentiæ necessaria est ut Absolutio iterum conferatur, non autem materia

remota diversa: quia eadem peccata utile est sæpe cum dolore, detestatione, & satisfaciendi proposito confiteri. Uni ergo Confessioni una respondet Absolutio: sed cùm diversæ sunt Confessiones, iterari Absolutio eorumdem peccatorum potest, siquidem materia proxima est diversa, nempe actus Pœnitentis distincti. Unde cùm Pœnitens acceptâ Absolutione, adhuc ad pedes Sacerdotis prostratus, alicujus mortalis peccati meminit, illúdque confitetur, Absolutio iterari potest & debet, quia Confessio distincta censetur: quamvis Pœnitens illius etiam peccati, quod ipsi è memoria exciderat, remissionem sit consecutus, si conscientiam diligenter excusserit.

PARS I. Art. 4. §. ult. nitent.

642. Absolutio à Censuris præcedere debet Absolutionem à peccatis. *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, sive Supplementi Quæstione 24. Art. 1. ad secundum. *Cùm*, inquit, *excommunicatus non sit particeps Sacramentorum Ecclesiæ, Sacerdos non potest absolvere excommunicatum à culpa, nisi sit priùs absolutus ab Excommunicatione*.

Absolutio à Censuris præcedere debet absolutionem à peccatis.

643. Obviis quibusque concedenda non est Absolutio; sed iis omnibus neganda, quorum nulla vel ficta conversio: iis differenda quorum dubia, & incerta Pœnitentia est. Leges enim quas Christus Ministris suis præscripsit, exigunt ut peccata illis dumtaxat relaxent, qui ea oderunt; qui lavant se ac mundant Pœnitentiæ Baptismo; qui malum cogi-

Quibus concedenda vel neganda Absolutio?

Non obviis quibusque,

PARS I. Art. 5. §. ult. *sed dumtaxat. Verè pœnitentibus concedenda est.*

cogitationum suarum auferunt non solùm ab oculis hominum, sed etiam ab oculis Domini; qui peccatum ejusque occasiones fugiunt, & benè operari discunt; qui de omnibus peccatis Pœnitentiam agunt, & promptum ad omnia præcepta custodienda gerunt animum; qui corde novo per justitiæ amorem sibi facto, projiciunt à se omnes prævaricationes suas, sinceréque ad Deum convertuntur, à quo fuerant aversi Isaiæ 1. *Lavamini mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.... Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Et Ezechielis 18. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vitâ vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; in justitia sua, quam operatus est, vivet.... Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum & spiritum novum; & quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, di-*

dicit Dominus Deus; revertimini, & vivite. Si his legibus Deus veniam delictorum pollicetur, non est in hominis potestate aliis legibus eam impertiri. Non est servus major Domino suo; nec amplior est potestas dispensatoris, quàm voluntas Principis. In Evangelio datur hominibus potestas remittendi peccata, sed iis qui Pęnitentiam egerint, dicente Christo Matth. 4. *Pœnitentiam agite: Appropinquavit enim Regnum cęlorum*. Et Lucæ 13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Sub hac Pœnitentiæ conditione *S. Petrus* adultis promittit per Baptismum peccatorum remissionem, Act. 2. *Pœnitentiam*, inquit, *agite; & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*. Iis igitur quos verè non pœnitet, peccata non remittuntur. Hinc *S. Augustinus*, in Psalmum 32. ait: *Deus conversis ad se peccata donat, non conversis non donat*.

PARS I. Art. 5. §. ult.

644. Neganda vel differenda est iis Absolutio, qui Christianæ Fidei Rudimenta, Deique & Ecclesiæ Præcepta ignorant: nec non Patribus-familiâs, qui liberos suos & domesticos scientiâ credendorum & agendorum ad salutem necessariâ imbuere negligunt. *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Confessorum. Hinc *Innocentius Undecimus* Pontifex Maximus inter sexaginta quinque Moralis corruptæ propo-

Neganda est vel differenda fidei rudimenta ignorantibus, & Patribus familiâs suorum instructionem negligentibus.

sitio-

PARS I. Art. 5. §. ult.

fitiones hanc ordine fexagefimam quartam damnavit: *Abfolutionis capax eft homo, quantumvis laboret ignorantiâ Myfteriorum Fidei, etiamfi per negligentiam etiam culpabilem nefciat Myfterium Sanctiffimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noftri Jefu-Chrifti*. Hanc etiam Propofitionem *in Chrifti Mediatoris nomen contumeliofam, erroneam, & hæreticam* effe judicavit & declaravit Conventus generalis Cleri Gallicani anno 1700.

...nem negligentibus. Propofitio damnata.

Iis qui nimio veftium ornatu vel luxu excedunt.

645. Iis etiam neganda eft abfolutio, qui nimio veftium ornatu debita contrahunt, quibus folvendis pares effe non poffunt, earúmve luxu & immodeftiâ pudicitiam lædunt. *S. Carolus* ibidem.

Iis qui inimicis reconciliari nolunt.

646. Illis quoque, qui occultas vel apertas cum proximo inimicitias exercent, & odium deponere nolunt, neque cum inimicis reconciliari. Salvatoris noftri fententia eft, Matth. Capite fexto. *Si autem non dimiferitis hominibus, nec Pater vefter dimittet vobis peccata veftra*. Hinc eos qui litibus implacabilibus ab invicem diffident, ftatim reconciliari: *Quod fi renuerint pacem fufcipere, ab Ecclefia ejici*, Canones jubent, *ufquequo ad caritatem redeant*.

Iis qui cùm reftitutioni funt obnoxii reftituere negligunt,

647. Qui reftitutioni aut fatisfactioni funt obnoxii, quia proximum vel in fama, vel in rebus læferunt, non funt etiam abfolvendi nifi debita reftitutio aut fatisfactio priùs intercedat. Ita *S. Carolus* in Inftructionibus

Con-

Confessorum, eos solos excipiens, à Restitutione Absolutioni præmittenda, quos gravis & periculosa infirmitas, aut impotentia excusat ne statim hâc obligatione perfungantur. Notum illud *S. Augustini*, Epistolâ ad *Macedonium* 153. olim 54. *Pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur Pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cùm restitui potest.* Quod in corpus Juris, Can. *Si res aliena*, Causa 14. Quæst. 6. transcriptum est, & ab *Alexandro III.* laudatur Cap. *Cùm tu*, Extra, *De Usuris*, & relatum est inter Regulas Juris, in Sexto, his verbis: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Solâ autem restitutionis promissione factâ Pœnitentem absolvi non debere, maximè si aliàs restitutionem aut satisfactionem promisit, & fidem fefellit, sed Absolutionem illius esse differendam donec reverà satisfecerit ac restituerit, Concilia docent. Ita Synodus Mediolanensis 1. sub S. Carolo Borromæo: Ita Neapolitana Synodus anno 1576. celebrata, & à *Gregorio XIII.* confirmata, Cap. 16. De Sacramento Pœnitentiæ.

PARS I. Art. 5. §. ult. seu promittunt duntaxat, & reipsa non restituunt.

648. Illis præterea neganda est Absolutio, qui in occasione proxima peccati versantur. *S. Carolus* in Instructione Cõfessorum: *Nec ii,* in-

Iis qui sunt in occasione

PARS I. Art. 5. §. ult. *proxima peccati.*

inquit, *possunt absolvi, qui sincerum propositum non habent peccata mortalia, & eorum occasiones fugiendi. Et quia plurimùm refert ut Confessarii clariùs hæc intelligant, paulò fusiùs sunt explicanda.*

Quid occasio peccati?

„ Peccati mortalis occasiones vocantur, „ quicquid ad peccatum inducit, aut ex suâ „ naturâ, aut ex parte Pœnitentis, qui in „ ea occasione positus ita peccare consue- „ vit, ut probabile sit ex suo pravo habitu „ illum in eadem peccata lapsum iri, si in „ illâ occasione perseveret. „

Occasiones quæ ex natura sua ad peccatum inducunt.

„ 649. Occasiones porrò quæ ex natura „ sua inducunt ad peccatum, istæ sunt: alea- „ torios ludos profiteri, verbi gratiâ, charta- „ rum, & taxillorum; domum hunc in fi- „ nem paratam habere, ac aleatores recipe- „ re; domi retinere aut suo, aut alieno no- „ mine, personam quicûm peccatur; aut „ alio modo cum ipsa cohabitare. In ea- „ dem conversatione, colloquiis, aspecti- „ bus, amorisque impudici significationi- „ bus & incentivis perseverare. Pœniten- „ tem ergo aliquâ ex his occasionibus, aut „ similibus irretitum, si occasio hujusmodi „ sit præsens, ut retinere concubinam, aut „ quid simile, non debet Confessarius eum „ absolvere, nisi priùs ab illa occasione re „ ipsa discesserit, séque separaverit. Quòd „ autem alterius generis occasiones spectat, „ ut aleæ professionem, mutuos aspectus, „ conversationem, nutus impudicos, &c,

„ non

PARS I. Art. 5. §. ult.

„ non absolvatur Pœnitens, nisi eas dimittere polliceatur: quòd si jam aliàs id pollicitus sit, nec emendatus fuerit, Absolutio tamdiu differatur, donec emendationem perspexerit.

Qui Confessarius se gerere debet cum pœnitente qui ab occasione peccati se extricare nequit.

„ Et quia contingere potest ut Pœnitens nullo ex mediis quæ ipsi proponit prudens ac zelo salutis animarum fervens Confessarius, extricare se possit ab occasione, illámque dimittere sine periculo & scandalo, Confessarius hæc adhibere debet remedia:

„ Primò Absolutionem differat, donec certa sinceræ emendationis videat indicia. Quòd si Absolutionem differre non possit sine periculo vel infamiâ Pœnitentis, & Confessarius talia contritionis in eo signa perspexerit, debitámque ad excipienda remedia emendationi suæ necessaria dispositionem observaverit, debet illi proponere quæ magis opportuna & necessaria videbuntur; verbi gratiâ, illi præcipere ne solus cum tali persona colloquatur, orationes aliquas, carnísque macerationes illi præscribere, & frequentem inprimis Confessionem; aliáque similia: quæ si Pœnitens in se recipiat, Confessarius illum absolvere poterit. Quòd si tamen hâc jam adhibitâ aut à se, aut ab alio Confessario diligentiâ, Pœnitens emendatus non fuerit, non absolvatur donec occasio illa sublata fuerit, vel

„ agen-

PARS I. Art. 5. §. ult.

Occasiones quæ ad peccata inducunt ex personæ dumtaxat infirmitate.

„ agendum aliter nobis videatur. De quo „ nobis in eo casu, celato personæ nomine „ aliquid significabitur.

„ 650. Occasiones peccati mortalis secundi generis, sive tales censentur ex personæ dumtaxat infirmitate, sunt eæ res, „ quæ licèt in se licitæ sint, prudenter tamen judicatur Pœnitentem earum usu in „ eadem peccata relapsum iri, si in illis, ut „ antea perseveret. Talia plerisque sunt hodie sæculi nostri vitiô, bellum, negotiatio, Magistratus, Advocatorum Procuratorumque professio, & alia hujusmodi „ exercitia, in quibus quis sæpius mortaliter peccare consueverit blasphemiis, furtis, injustitiis, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, & aliis similibus; ex quibus novit quòd si in his exercitiis perseveret, eædem illi occurrent peccandi occasiones; nec ulla ratio suadet adversùs „ peccatum firmiorem fore, quàm antea; „ quamobrem in eadem peccata relapsum „ iri prudenter judicari potest. Ideò qui sic „ affecti sunt, aut debent à professione ipsis „ periculosa omninò abstinere (ut ait S. Augustinus) aut certè illam non exercere sine licentia & sub moderamine probi alicujus prudentisque Sacerdotis, qui non „ debet absolvere hominem in eo statu constitutum, cùm probabiliter judicat ad „ eadem peccata reversurum, si in iisdem „ occasionibus perseveret; sed per aliquod

„ tem-

„ tempus emendationem ejus oportet ex- PARS I. Art. 5. §. ult.
„ periri.

„ Qua in re invigilare eò majus operæ
„ pretium est, quòd Confessariorum hâc in
„ parte incuriâ in omnibus artibus & pro-
„ fessionibus regnent plures abusus, gravis-
„ simáque peccata, sine quibus jam videtur
„ à multis ne justissimas quidem Professio-
„ nes exerceri posse.

Confessariorum incuria, in omnibus artibus, & professionibus plures regnant abusus.

„ Sic, verbi gratiâ, in Magistratuum &
„ aliorum Officiorum institutione, ea so-
„ lemni sæpe Sacramento promittuntur,
„ quæ numquam observantur.

„ Apud Jurisconsultos, Advocatos, &
„ Procuratores, clientum improbitati &
„ injustitiæ contra propriam conscientiam
„ servitur.

„ In Militia duello, odiis, homicidiis,
„ aleâ, blasphemiis, rapinis, & impudici-
„ tiis peccari solet.

„ Mercatores usuras palam exercent, pro
„ sinceris fucatas merces plerumque propo-
„ nunt, pretiis longè justo majoribus om-
„ nia vendunt. Frequentia sunt apud eos
„ perjuria, fraudesque in solvendis peda-
„ giis & vectigalibus, aliáque ab illis pecca-
„ ta committuntur.

„ Artifices plurimi festis diebus, ut aliis,
„ laborant; ita ut vix cultui divino unquàm
„ vacent, & Dei verba audiant, & fami-
„ liam suam eodem modo tenent occupa-
„ tam. Quò fit ut eorum plurimi vitam

PARS I. Art. 5. §. ult.

,, omnem in peccatis mortalibus tradu-
,, cant, qui proinde Absolutionis capaces
,, non debent æstimari, nisi primùm dili-
,, gentia omnis adhibeatur ut liberentur ab
,, occasionibus, & fortiores quàm anteà
,, reddantur. Immò Confessarius, accura-
,, tiori habito examine, forsan inveniet eo-
,, rum aliquos numquàm rectè confessos
,, fuisse; quod si ita fuerit, debet eis suade-
,, re, præter emendationis signa quæ dede-
,, rint, aut professionis ipsis perniciosæ dere-
,, lictionem, ut generalem Confessionem fa-
,, ciant, valentioráque pro sua salute adhi-
,, beant remedia.

Cautior ac severior sit Confessarius circa exercitia Reipublicæ inutilia, aut minimè necessaria, quæ nihilominus ad peccatum protrahũt vel inclinant. Hujusmodi sunt Choræis interesse, cum im-

,, 651. Cautior ac severior sit Confessa-
,, rius necesse est circa eas actiones & exer-
,, citia, quæ Reipublicæ inutilia sunt, aut
,, minimè necessaria; quæ licèt ad primam
,, speciem occasionum ex se naturâque sua
,, homines ad mortale peccatum inducen-
,, tium non referantur, quæ propterea di-
,, mitti à quocumque debent, ad malum
,, tamen inclinant, & sæpissimè pertrahunt
,, hominem ad diversa peccata mortalia.
,, Hujusmodi sunt, choræis interesse, cum
,, blasphemis, rixæ deditis, aliisque im-
,, probis hominibus sæpius versari, popinas
,, frequentare, indulgere otio; & id genus
,, alia, quorum occasione si homo peccare
,, mortaliter consueverit, Absolutionem
,, non debet impartiri quin his omnibus re-
,, nuntiet Pœnitens, & pollicitus fuerit di-

„ ctam occasionem re ipsa dimissurum. Si
„ tamen spem aliquam de suo Pœnitente
„ Confessarius concepit, semel iterúmque
„ promittentem se occasionem dimissurum,
„ poterit absolvere; eâ tamen lege ut dein-
„ ceps Absolutionem differat, donec certis
„ & evidentibus indiciis constet illum ab
„ his occasionibus penitus esse segregatum.

PARS I. Art. 5. §. ult. *probis versari, popinas frequentare, &c.*

652. Hæc autem *S. Caroli Borromæi* doctrina sacris Canonibus omnino consona est, scilicet Canoni septimo Concilii Romani quinti sub *Gregorio VII.* Canoni decimo sexto Concilii Melfitani sub *Urbano II.* Canoni 22. Oecumenici Lateranensis secundi sub *Innocentio II.* cujus unius adscribo verba. *Sanè*, inquit, *quia inter cetera unum est quod Sanctam maximè perturbat Ecclesiam, falsa videlicet Pœnitentia, Confratres nostros & Presbyteros admonemus, ne falsis Pœnitentiis Laïcorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem Penitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de uno solo Pœnitentia agitur: aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.... Falsa etiam fit Pœnitentia, cùm Penitens ab Officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet: aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat.*

653. His Conciliis prævit *S. Gregorius*, Ho- *S. Grego-*

PARS I. Art. 5. §. ult. rius.

Homiliâ 24. in Evangelia: *Sunt enim*, inquit, *pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.* Et *S. Bernardus*, Serm. 1. De Resurrect. *Non satis*, inquit, *cecidisse piget hominem, qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit .... Veræ compunctionis indicium opportunitatis fuga, subtractio occasionis.*

654. Denique *Innocentius Undecimus* Pontifex Maximus sequentes Propositiones inter alias plerasque damnavit:

Propositiones damnatæ.

Potest aliquando absolvi qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest & non vult omittere, quinimò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

Falsa misericordia, non finant se abduci Confessarii.

655. A sanctissimis illis Regulis non sinant Confessarii se abduci falsâ misericordiâ erga illos qui dicunt: Si hanc domum, si hoc officium, si hanc artem deseram, deest unde vivam. Nam contra hujusmodi excusationes in peccatis audiendus Dominus qui ait: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Ne-

Neque audiendi qui dicunt : Si hujus vel istius consortio destituar, vel inops, vel miser vivam; nam Dominus dicit : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam*. Neque magna illorum habenda ratio est, qui ut in proximis peccandi occasionibus adhuc sordescant, lamentando dicunt; Si ab istius personę vel domûs frequentatione me subtraxero, si hanc ejecero mulierem quæ consanguinea mea censetur, vel quæ uxori meæ servit, veniam in suspicionem criminis. Nam Salvator noster damnat eos qui *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei*. Nulla est ergo peccandi necessitas, quia *Una est non peccandi necessitas*; ut ait Tertullianus.

PARS I. Art. 5. §. ult.

656. Tandem Absolutio illis neganda est, qui de iisdem peccatis semper se accusant, & numquam emendant. Qui enim Pęnitentiam ita agunt, ut in eadem peccata relabantur, fœdissimè Pœnitentiam agunt, ut loquitur Concilium Toletanum 3. Canone 11. cujus hæc sunt verba : *Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundùm Canones, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere Pęnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent : Ideò pro coërcenda tam execrabili præsumtione id à Sancto*

Iis deniq; qui in eadem peccata sæpe relabuntur absolutio neganda est.

PARS I. Art. 5. §. ult. *Concilio jubetur, ut secundùm formam Canonum antiquorum detur Pęnitentia.*

S. Isidorus 657. *S. Isidorus* Libro 2. *Sententiarum*, Cap. 13. *Ille*, inquit, *Pęnitentiam dignè agit; qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum; quasi si quis lavet laterem crudum, quem quantò magis laverit, tantò ampliùs lutum fecit.*

658. Unde *Innocentius XI.* P. M. hanc inter alias Propositionem damnavit: *Propositio damnata.* *Pęnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere & proponere emendationem.* Jure quidem merito. Quamvis enim gratiæ thesaurum in vasis fictilibus habeamus, & per lubrica incedentes, innumerisque tentationibus intus exteriusque pulsati; cadere iterum possumus in lethale peccatum post pœnitentiam ex fragilitate seu infirmitate; (quod vulnus est ex primi hominis peccato relictum:) vera tamen conversio non ita desultoria est; ut plerisque videtur; non instar marini æstûs veniens & rediens; non instar feriarum quibus gaudent febricitantes, post diem unum aut alterum febri agitandi; non instar mundanæ lucis, quæ quotidie oritur & occidit, sed constans & novis incrementis accrescens us-

que

que ad perfectum æternitatis diem. De Conversionibus itaque desultoriis meritò dubitatur an veræ sint & sinceræ; immò sinceras non esse probabiliter judicatur. Hinc *S. Fulgentius* Libro I. *De Remissione peccatorum* Cap. 12. ait: *Numquàm diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.*

ARTICULUS SEXTUS.

DE EXTREMA-UNCTIONE.

§. UNICUS.

De illius Materia, Forma, Effectibus, &c.

659. MUltis nominibus hoc Sacramentum ab Antiquis vocatum est: Primò: *Sacramentum Unctionis Infirmorum*: Secundò: *Sacramentum exeuntium*; Tertiò: *Extrema-Unctio, &c.* *Varia nomina huius Sacramenti.*

660. Oleum ab Episcopo benedictum est materia remota Extremæ-Unctionis. Oleum esse hujus Sacramenti materiam docet S. Jacobus Epistolæ suæ Cap. 5. *Ungentes*, inquit, *eum oleo.* Idem confirmant Patres, & Concilium Tridentinum. Quia verò oleum propriè dictum illud solum est, *Materia remota.*

PABS I. Art. 6. §. unic.

quod ex olivarum baccis expressum est, & nomen olei imponitur per similitudinem ceteris liquoribus, ideo hoc oleum debet esse olivarum.

Oleum Balsamo mixtum non esse materiam sufficiens.

661. Porrò Oleum Balsamô aut alteri liquori admixtum, non est sufficiens Unctionis-Extremæ materiæ, si per eam admixtionem olei natura mutaretur. Etiamsi autem non mutaretur olei natura hujusmodi admixtione, tamen illicita est; graviterque peccaret qui Chrisma aut peregrinum liquorem, in modica licet quantitate, Oleo Infirmorum admisceret; aut eô sic mixto infirmum ungeret. Materiæ enim, formæque Sacramentorum vel leviter & quoad accidentia mutari ex industria non possunt quin adversùs institutionem Christi, adversùs Ecclesiæ sanctissimam Disciplinam & reverentiam Sacramentis ipsis debitam graviter peccetur. At verò cùm Oleum benedictum ab Episcopo ex frequenti usu & administratione Unctionis-Extremæ deficit, oleum non consecratum admisceri consecrato potest, eôque infirmus inungi. Id colligitur ex Cap. *Quod in dubiis*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ*, cujus hæc sunt verba: *Nec negamus quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Idque confirmat *S. Thomas* Opusculo 65. Si verò per errorem Sacerdos aliud Oleum, quam quod Infirmorum est; ad ægrotum ungendum unquàm adhibuerit, etiamsi Chrismatis aut Cate-

Oleum non consecratum oleo consecrato quando possit admisceri.

techumenorum sit; ut erratum emendat, Olei Sacri quod proprium Infirmorum est, Unctionem eidem adhibeat, tumque Sacramenti formam repetat. *S. Carolus* in Instr. PARS I. Art. 6. §. unic.

662. Quòd Oleum benedictum esse debeat, constat etiam ex Patribus & Conciliis. Rationem cur in hoc Sacramento & quibusdam aliis materiæ sanctificatio requiratur, triplicem affert *S. Thomas* in 4. D. 23. Q. 5. A. 3. Quæstiun. 2. „Prima est, quia „omnis efficacia Sacramentorum à Christo descendit, & ideo Sacramenta quibus „ipse est usus, habent efficaciam ex suo „usu, sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis: sed hôc Sacramentô non est usus, nec aliqua corporali Unctione; & ideò in omnibus Unctionibus „requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa est propter plenitudinem gratię, „quæ confertur non solùm ut culpam tollat, sed etiam reliquias, & infirmitatem „corporis. Tertia est, quòd effectus ejus „corporalis, scilicet sanitas corporis, non „causatur ex materiæ naturali proprietate; & ideo oportet quòd hæc efficacia per „sanctificationem ei detur.

Oleum Benedictum esse debet.

363. Hæc tamen benedictio ex necessitate dumtaxat Præcepti Ecclesiastici, non ex necessitate Sacramenti requiri videtur. Non enim ad substantiam Sacramenti benedictionem illam pertinere, Patres & Concilia docent; ita ut invalida censeri debeat

Olei benedictio non est necessaria necessitate Sacramenti, sed præ-

Extre-

PARS I. Art. 6. §. unic. *cepti Ecclesiastici.*

Extrema-Unctio, quæ ex oleo non benedicto fieret: neque his Scripturæ verbis, *In nomine Domini*, significatur Olei benedictio, sed solùm Unctionem fieri debere auctoritate Christi.

Infirmorum Oleũ ab Episcopo benedictum esse debet, secundùm Ecclesiæ Latinæ disciplinam. Alia Ecclesiæ Grecæ disciplina.

664. Oleum benedictum ab Episcopo esse debet in Ecclesia Occidentali, ut docent *Innocentius I.* Epistola ad Decentium. Dixi, ab Episcopo benedictum esse debere in Ecclesia Occidentali, quia alia est Ecclesiæ Orientalis disciplina, in qua Presbyteri Oleũ benedicunt in ipsa Sacramenti Extremæ-Unctionis administratione, ut constat ex Euchologiis in *Officio Olei Sancti.* Quam disciplinam approbavit *Clemens VIII.* in Instructione directa ad Episcopos Latinos. Cùm vero in Ecclesia Orientali Oleum Infirmorum Benedicatur à Presbyteris, nulla ratio est cur potestas Romano Pontifici negetur hanc Benedictionem secundi Ordinis Sacerdotibus committendi.

Materia proxima.

665. Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio. Id docet S. Jacobus: *Ungentes*, inquit, *oleô*. Idem confirmant Patres, & Concilia. Ratio suffragatur: Materia enim proxima Sacramentorum quæ sunt in usu posita, est usus ipse, seu applicatio materiæ remotæ ad subjectum idoneum: cùm igitur materia remota Extremæ-Unctionis, quod Sacramentum est in usu positum, sit oleum, nec aliter applicetur illud nisi unctione, unctio materia proxima est.

666. Apud

666. Apud Græcos unctio adhibetur in fronte, genis, mento, & manibus, teste *Simeone Thessalonicensi* Libro *De Sacramentis*. Græcos nunc inungere præterea pectus & pedes, *Arcudius* testatur. In Occidente unctio fit in quinque sensuum sedibus, (secundùm *S. Gregorium* in Sacramentario.) Additur unctio pedum; & etiam renum, secundùm quædam Ritualia, & *Eugenium IV.* in Decreto De Unione Armenorum.

PARS I. Art. 6. §. unic.

Ritus varius Ecclesiæ Latinæ & Græcæ.

667. Necessariam autem non esse unctionem renum; neque necessitate Sacramenti, neque universim necessitate præcepti; certum est, cùm nec feminis propter pudorem adhiberi debeat; nec soleat, nec in omnibus Ecclesiis usurpetur. Unusquisque autem Ritum Ecclesiæ suæ servare debet.

Unusquisque Ecclesiæ quæ ritum servare debet.

668. Quamvis autem tot Unctiones fieri debeant quot in Ritualibus præscribuntur, maximéque in organis quinque sensuum; nullaque prætermitti possit absque gravi peccato; cùm adhiberi possunt omnes: Unica tamen sufficit ad substantiam Sacramenti. Unica enim Unctione satisfit præcepto S. Jacobi, seu potiùs præcepto Domini per S. Jacobum promulgato, *Ungentes eum oleô*: sicut unica ablutione satisfit præcepto Christi, *Baptizantes eos*. 2. Græci non inungunt organa quinque sensuum; seu partes vicinas illorum, quorum tamen Unctionem-Extremam Romana Ecclesia approbat. 3. Multa Ritualia id approbant, qui-

Quot unctiones fieri debeant?

PARS I. Art. 6. §. unic.

quibus permittitur inungi unica unctione & peste laborantes, ut Ministri periculum vitent, & eos etiam quibus mors proxima non sinit fieri singulas. Ita Pastorale Mechliniense anno 1589. editum, & à Doctoribus Lovaniensibus approbatum: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensûs organum magis ad unctionem expositum ac detectum, dicendo: PER istam sanctam Unctionem, & piissimam suam Misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Eamdem praxim approbant eamdemque Regulam tradunt Cameracensis, Atrebatensis, aliarúmque Ecclesiarum Manualia.

Quæ partes inungi debeant in Mutilatis.

669. In Mutilatis debent inungi partes viciniores organis sensuum. S. *Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 23. Quæst. 2. Art. 3. Quæstiuncula 3. *Mutilati*, inquit, *inungi debent quantò propinquius esse potest ad partes illas, in quibus Unctio fieri debuerat; quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ quæ illis membris debentur, saltem in radice, & interiùs peccare possunt per ea quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exteriùs.* Et *S. Carolus* in Instructionibus De Extrema-Unctione: *Si quis*, inquit, *membro aliquo careat, quod inungi præscriptum est, ungat partem ei propiorem.* In cæcis aut surdis à nativitate non fiat Unctio oculorum aut aurium, nec verba

Quæ in Cæcis &

iis

iis ſenſibus reſpondentia proferantur: in mutis à nativitate fiat Unctio ad labia, & dicatur tantùm, *Quicquid peccaſti per guſtum*.

PARS I. Art. 6. §. unic. Surdis à Nativitate & mutis.

670. Reliquis infirmis manus ab interiori parte inungi debent: Sacerdotibus verò ab exteriori parte, cùm priùs in ſacra Ordinatione unctæ fuerint. Ritualia, & *S. Carolus* in Inſtructionibus *De Extrema-Unctione*.

Sacerdotum manus ab exteriori parte ungendæ ſunt.

671. Ungendis oculis, aliiſque membris quæ in homine paria ſunt, cavere debet Sacerdos, ut cùm utrumque membrum unius tantùm ſenſûs ſit, utriuſque unctionem abſolvat unicâ ſolùm verborum formulâ, licèt duas cruces faciat. Unget autem primò dexterum, deinde ſiniſtrum, cruce unicuique impreſſa Oleô ſacrô. Ita Ritualia, & *S. Carolus* præſcribunt.

Ubi paria ſunt membra ſub una tantū verborum formula ungenda ſunt.

672. Forma Sacramenti Extremæ-Unctionis convenientiſſima illa eſt, quam Sacra Synodus Tridentina Seſſione 14. Cap. 1. præſcribit, & Romana Eccleſia uſurpat: *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus*: quia exprimitur in illa Sacramentum, cùm dicitur, *Per iſtam Unctionem*: & id quod operatur in Sacramento, ſcilicet divina Miſericordia, cùm dicitur, *& ſuam piiſſimam Miſericordiam*: & effectus, ſcilicet remiſſio peccatorum, cùm dicitur, *Indulgeat tibi Deus*. Non autem neceſſe eſt ut in formâ hu-

Forma Extremæ Unctionis.

PARS I. Art. 6 §. unic.

hujus Sacramenti corporis sanitas exprimatur. Satis enim est quod in forma exprimatur effectus principalis, & qui semper inducitur ex Sacramento, nisi sit defectus ex parte recipientis: talis autem non est corporis sanitas, quamvis quandoque sequatur. Ita *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 23. Quæst. 1. Art. 4. Quæstiuncula 3.

Unctionis Extremæ quintuplex effectus.

673. Quintuplicem Extremæ-Unctionis effectum esse docet Concilii Tridentini Catechismus.

1. Remissio peccatorum.

Primus est remissio peccatorum, hìc S. Jacobi verbis expressa: *Et si in peccatis sit, remittetur ei*: & verbis formæ significata, cùm dicitur: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, &c.

Venialiũ, non mortalium.

674. Remittit autem inprimis leviora, quæ communi nomine venialia appellantur. Lethales enim culpæ Sacramentô Pœnitentiæ tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantùm & Pœnitentia vi suâ hoc efficiunt, (inquit Concilii Catechismus.) Ex ipsa enim significatione Sacramenti præcipuus ejus effectus accipi debet, quia Sacramentum efficit quod significat: adhibetur porrò Extrema-Unctio secundùm modum cujusdam medicinæ, medicina autem datur ad pellendam infirmitatem: unde hoc Sacramentum primariò institutum est ad sanandam infirmitatem peccati; ut sicut Baptismus

mus est quædam spiritualis suscitatio; ita & Extrema-Unctio sit quædam spiritualis sanatio. Sicut autem corporalis sanatio vitam corporis supponit in eo cui præbetur medicina: ita spiritualis sanatio vitam animæ supponit; quare hoc Sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet peccatum originale & mortale, sed contra venialia quibus spiritualiter fit infirmus. Ita disserit *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 23. Quæstione 1. Articulo 2.

PARS I. Art. 6. §. unic.

675. Consequenter tamen remittit etiam mortalia Sacramentum istud, si quæ fortè commissa sunt à tempore susceptæ Absolutionis in infirmitate, ut si ea se commisisse infirmus ignoret, vel confiteri non valeat. Hinc *S. Thomas* 4. *Contra Gentes*, Cap. 73. scribit: *Contingit quod homo omnium peccatorum quæ commisit notitiam vel memoriam non habet, ut possit per Penitentiam singula expurgare: sicut etiam quotidiana peccata sine quibus præsens vita non agitur, à quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari.*

Nisi consequenter & per accidens.

676. Alter Extremæ-Unctionis effectus est abstersio reliquiarum peccati; quo nomine intelligitur etiam reatus pœnæ temporalis; pravæ dispositiones ad peccandum, quæ per frequentes actus peccatorum contrahuntur; animíque languor, & infirmitas ex peccato relictæ. Sicut enim curatâ corporis infir-

2. Abstersio reliquiarum peccati. Quænam illæ?

PARS I. Art. 6. §. unic.

firmitate remanet in homine debilitas quædam quâ fit ut perfectum vigorem non habeat ad exercenda vitæ opera; sic deletô peccatô remaneat adhuc in homine debilitas quædam ad operationes vitæ spiritualis exercendas. Hujus autem Sacramenti vis propria est ut eas reliquiàs peccati abstergat, quia totius spiritualis curationis consummatio est. Ita *Sanctus Thomas* loco proximè citato.

3. & 4. Allevatio & confirmatio animæ.

677. Tertius & quartus Extremæ-Unctionis effectus est allevatio animæ, ejusque confirmatio, ut morbi incommoda leviùs ferat, & Adversariis salutis suæ fortiùs resistat. *Allevatur enim & erigitur animus divinæ bonitatis spe, eâque confirmatus, morbi omnia incommoda fert leviùs, ac ipsius Dæmonis calcaneo insidiantis artes & calliditatem faciliùs eludit*; (inquit Concilii Tridentini Catechismus.) Hinc Extrema-Unctio dicitur *Sacramentum Spei*, quemadmodum Baptismus & Confirmatio dicuntur *Sacramenta Fidei*, Eucharistia *Sacramentum Amoris*.

5. Corporis sanitas, si sit ad animæ salutem profutura.

678. Quintus Extremæ-Unctionis effectus est corporis sanitas, si quidem ad animæ salutem profutura sit, ut colligitur ex S. Jacobi verbis, *Et oratio fidei salvabit infirmum. Non facit autem corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina quæ operatur rationaliter: & quia ratio operans numquam inducit secun-*

cundarium effectum, nisi secundùm quod expedit ad principalem, ideò ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: & tunc semper eam inducit, dummodò non sit impedimentum ex parte recipientis. Inquit *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 23. Quæst. 1. Articulo 2. Quæstiunculâ 2.

Extremæ-Unctionis Minister.

679. Minister Unctionis-Extremæ est Presbyter, vel Episcopus. Dogma fidei est à Sancto Jacobo traditum: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Quo nomine Seniores è Laicis non intelligi, series contextûs docet. Non enim simpliciter Presbyteri dicuntur, sed Presbyteri Ecclesię. Deinde, jubentur orare super infirmum, ipsúmque ungere in Nomine Domini: denique per eorum Ministerium remissio peccatorum obtinenda promittitur. Atque ita hunc locum exposuerunt Patres, *S. Joannes Chrisostomus*, Lib. 3. De Sacerdotio, *Innocentius* I. in Epistola ad Decentium, *S. Eligius* in Sermone ad Populum, Venerabilis *Beda* in Cap. 5. *S. Jacobi*; Concilia, Vvormatiense Cap. 72. Aquisgranense 2. Cap. 5. & Tridentinum Sessione 14. Cap. 3. *De Sacramento Extremæ-Unctionis*, & Canone 4. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo or-*

PARS I. Art. 6. §. unic.

dinatos; sed ætate Seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ-Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, Anathema sit.

Unicus Sacerdos Minister sufficit.

680. Septem Sacerdotes ex consuetudine Orientalis Ecclesiæ hoc Sacramentum administrant. Plures etiam in Ecclesia Occidentali hoc olim obibant Ministerium. Sufficit tamen unicus Sacerdos ad inungendum ægrotum, quia *intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & cujus personam gerit*, ut docet *S. Thomas* 4. *Cont. Gent.* Cap. 73.

Regulares absque licentia Extremã-Unctionẽ administrantes Excommunicationem incurrunt; nisi deficiat Parochus, & quivis ab eo vel ab Episcopo habens facultatẽ.

681. Porrò Extremæ-Unctionis Sacramentum cuilibet Sacerdoti administrare non licet, sed solùm proprio Pastori, id est, Episcopo aut Parocho, vel cui illi commiserint. Quamobrem Regulares Sacerdotes Extremam-Unctionem alicui sæculari infirmo administrantes absque licentiâ Parochi vel Episcopi illius, lethaliter peccarent, & in Excommunicationem incurrerent, ut cõstat ex Clementina 1. *De Privileg.* & Clemẽtina *Dudum*, Tit. *De Sepult.* Deficiente tamen Parocho, & quovis ab eo vel ab Episcopo potestatem habente, quilibet Sacerdos, etiam Regularis, hoc Sacramentum licitè administrare potest.

Infirmi ad huius Sacramẽti susceptio-

682. Ut autem opportuno tempore ministretur, Parochus cùm sæpe aliàs, utpote cùm ægrotantem primò visitat, tum quo etiã tempore S. Eucharistiam pro Viatico ei ministrat, hoc illum monebit, *Ut dum sanâ mente est,*

ſt, ſibi miniſtrari petat: ſimúlque item de-monſtrabit, quàm ſalutariter expediat, ultrò ſpontéque piè hoc Sacramentum depoſci.

PARS I. Art. 6. §. unic. *nem hortandi.*

683. Si aliquando acciderit, ipſum Pa-rochum, vel ab eo delegatum Presbyterum, dum ungit infirmum, præ virium imbecilli-tate, alióve caſu deficere: alius Sacerdos, ſi præſens aderit, aut aliunde ſtatim evoca-tus, reliquas partes, quas ille non unxerit, ungere ritè perget: unctas autem denuò non unget. *S. Carolus* in Inſtructionibus.

Quid ſi Miniſter ungendo deficiat?

684. Neceſſe non eſt exſpectare tempus quo infirmus eſt in exitu conſtitutus ut ei adminiſtretur Unctionis-Extremæ Sacra-mentum, ſed ſufficit quòd periculoſâ ægri-tudine laboret. Nec enim S. Jacobus, nec Patres qui verba illius de infirmorum Un-ctione explicarunt, cenſuere infirmum eſſe oportere morti proximum ut ſacrâ Unctione procuretur, præſertim *S. Cyrillus Alexan-drinus*, *S. Eligius*, Venerabilis *Beda*; im-mò indicant, ungi ſolitos fuiſſe infirmos ut ſanitati corporeæ reſtituerentur. Et reverà hic ſecundarius eſt Unctionis-Extremæ effe-ctus: poteſt itaque conferri nondum deſpe-ratâ valetudine. Nam fruſtra conferretur ad hunc effectum conſequendum homini in exitu conſtituto. Hunc enim effectum Sa-cramentum non operatur per modum mi-raculi, ſed virtute ordinariâ ſupernaturali, quæ cauſas naturales adjuvat.

Tempus exitus pro ungendo infirmo haud exſpectandum.

685. Id confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sen-ten-*

S. Thomas

PARS I. Art. 6. §. unic.

tentiarum, Dist. 22. Quæst. 2. Articulo 2. Quæstiuncula 2. *Hoc Sacramentum*, inquit, *est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediatè disponens ad gloriam: & ideò illis tantùm infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntiam, propter hoc quòd ægritudo nata est mortem inducere, & de periculo timetur*. Et Concilii Tridentini Catechismus: *Iis etiam qui adeò periculosè ægrotare videntur, ut ne supremus vitæ dies instet, metuendum sit, hoc Sacramentum præberi debet*.

Vulgi deliramentum.

686. Verisimile est ob vulgi deliramenta Unctionem infirmorum in mortis articulum reservari cœpisse; ac sensim hunc usum fuisse propagatum. Invaserat enim vulgi mentes stulta illa opinio 13. sæculo, præsertim in Britannia majori, quòd conjugatis post susceptam Unctionem infirmorum non liceret ad opus conjugale reverti, vel carnes comedere, vel nudis pedibus ambulare. Hos errores ac superstitiones populares acriter convellunt Synodi Vvigorniensis, Oxoniensis, & aliæ.

Dum æger integris est sensibus administrari decet.

687. Sacramentum Extremæ-Unctionis administrari decet dum æger integris sensibus est. Ita Concilii Tridentini Catechismus §. 18. de Extrema-Unctione; *In quo tamen gravissimè peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cùm jam omnis salutis spe amissâ, vitâ & sensibus carere incipiat. Constat enim ad uberiorem*

Sa-

Sacramenti gratiam percipiendam plurimùm valere, si ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidémque & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro Oleo liniatur. Quare Parochis animadvertendum est, ut eo potissimùm tempore cœlestem Medicinam adhibeant, illam quidem semper vi sua admodum salutarem, cùm eorum etiam pietate & religione, qui curandi sunt, magis profuturam intelligitur. PARS I. Art. 6. §. unic.

688. Pueris conferri non debet. Ipsis enim non congruit forma hujus Sacramenti, *Indulgeat tibi Dominus*, cùm non peccaverint. *Pueris non debet conferri.*

689. Uti nec Furiosis & amentibus, qui non habent lucida intervalla. Ita *S. Thomas*, loco proximè laudato, Quæstiunculâ tertiâ. *Quid de furiosis & amentibus?*

690. Mulieribus in partu laborantibus, nisi sint in mortis periculo ex ægritudine constitutæ; ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, capite damnatis, Extrema-Unctio conferri non debet. Quamvis enim isti morte proximè afficiendi sint; illi in frequenti vitæ discrimine versentur, periculosè tamen non ægrotant. *Quid de mulieribus in partu laborantibus, &c.*

691. Extrema-Unctio in eadē infirmitate repeti potest, si convalescat, & postea in idem periculum relabatur infirmus. *Hoc Sacramentum repeti potest.*

692. Ita docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 23. Quęst. 2. Art. 4. Quæstiunc. 2. *Hoc Sacramentum*, inquit, *non respicit tantùm infirmitatem, sed etiam infirmitatis sta-* *S. Tho.*

statum: quia non debet dari, nisi infirmis qui secundùm humanam æstimationem videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non sunt diuturnæ: unde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc cùm homo ad illum statum perveniat ut sit in periculo mortis, nō recedit à statu illo nisi infirmitate curata; & ita iterum non debet inungi: sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam verò sunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, & hydropisis, & hujusmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest inungi; quia jam est quasi alius infirmitatis status, qaamvis non sit alia infirmitas simpliciter.

Lethalis peccati Rei sunt, qui illud recipere contemnunt.

693. Quamvis Sacramentum Extremæ-Unctionis non sit ad salutem simpliciter necessarium, lethalis tamen peccati rei sunt, qui à Pastore moniti recusant vel differunt illud suscipere, propter contemptum Sacramenti. Contingere enim potest ut post Absolutionem & Eucharistiam perceptam peccatum aliquod lethale infirmus commiserit, quod memoriæ non occurrat ut illud confiteatur: quod Extrema-Unctione tanquàm mediô ordinariô in hac circumstantia delebitur & remittetur. Nemo etiam est qui graviter tentari sub finem vitæ suæ non pos-

possit, contra quas tentationes Unctio-Extrema instituta est: quamobrem qui illam suscipere recusaret, vel differret, salutem suam periculo exponeret. Denique metuendum est ne recusatio illa vel dilatio ex contemptu saltem virtuali Sacramenti procedat. *Omnium* autem *Sacramentorum contemptus est saluti contrarius*. PARS I. Art. 6. §. unic.

694. Porrò hoc Sacramentum administrari non debet infirmo nisi post Confessionem peccatorum suorum, & post Viaticum Corporis Christi, si recipere illud possit. Ita Concilii Tridentini Catechismus. Olim quidem ante Viaticum Corporis Christi administratam Infirmis Unctionem-Extremam veteris Disciplinæ Ecclesiasticæ Monumenta probant. Sed ex hodierno Ecclesiæ usu Unctionis Sacramentum administrare vulgò non licet nisi post Viaticum, ut præscribit Rituale Romanum Pauli V. *Illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est*, inquit, *ut si tempus & infirmi conditio permittat, ante* Extremam-*Unctionem Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta præbeantur*. Ab ea Regula exceptæ censeantur Ecclesiæ in quibus mos antiquus perseverat, ut apud Cistercienses. Hac in re demum, quæ meræ Disciplinæ est, sequatur unusquisque Parochus quod Ritualibus seu Manualibus Diœcesis suæ Libris præscribitur. De Visitatione Infirmorum, Testamentis, & Sepulturis vide P. 2.

Non debet administrari nisi post Confessionem & Viaticum

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

§. I.

Quid & Quotuplex Ordo, Quæ singulorum Materia & Forma.

Quid est Ordo?

695. ORdo est *Sacramentum quo potestas quædam spiritualis traditur Ordinato, sive ad sacrosanctum Christi Corpus consecrandum, sive ad alias functiones & Ministeria Ecclesiastica obeunda*. Hæc definitio Ordinationes omnes complectitur, sed inprimis Sacerdotium, quô traditur consecrandi Corporis Christi potestas, quæ omnium Ordinationum finis est ultimus, cujus gratiâ institutæ sunt: deinde Ordinationes cæteras, quæ ad eminentem illam potestatem suscipiendam pro modulo suo Sacerdotem futurum præparant ac disponunt.

Quotuplex.

696. Septem sunt Ordines, quorum tres Majores, & peculiari ratione Sacri dicuntur; quatuor Minores, tametsi & hi generali quadam ratione Sacri dici possint. Majores sunt, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus: Minores, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus.

Prima

697. Primam Tonsuram non esse Ordinem

nem, certum est, cùm à Christo non sit instituta, sed ab Ecclesia, nec spiritualem potestatem conferat ad Ministerium aliquod Ecclesiasticum obeundum, eámque Tridentina Synodus ab Ordinibus disertè distinguat: sed est præparatio ad Ordines accipiendos: meráque ad cultum divinum deputatio. Ut enim homines ad Baptismum Exorcismis, ad Matrimonium Sponsalibus præparari solent: ita cùm tonso capillo Deo dedicantur, tanquàm aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

PARS I. Art. 7. §. 1. *Tonsura non est Ordo.*

698. Qui Tonsurâ Clericali initiantur, Beneficiorum Ecclesiasticorum capaces redduntur, de foro Ecclesiæ fiunt, & Clericalia Privilegia sortiuntur, ut declarat Episcopus sic ipsos allocutus ex Romani Pontificalis præscripto: *Hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & Privilegia Clericalia sortiti estis. Cavete igitur ne propter culpas vestras illa perdatis.* Non tamen privilegio fori eo ipso gaudent, quo primâ Tonsurâ sunt initiati, nisi positis conditionibus à Concilio Tridentino præscriptis Sessione 23. *De Reformatione*, Cap. 6. de quibus inferiùs dicemus.

Clericorum jura & privilegia.

699. Minores Ordines verè & propriè Sacramenta esse negant plerique magni nominis Theologi, Cardinalis *Cajetanus*, *Dominicus Soto*, *Navarrus*, & alii. Affirmant autem *S. Thomas* & alii; Ut ut est, unum tan-

Ut Min[ores] Ordi[nes] sint [Sa]cra[menta] qu[æ]...

PARS I. Art. 7. §. 1. *fidei summam non spectans.* *Unum, est Ordinis Sacramentum.*

tantùm est Ordinis Sacramentum, quamvis sint Ordines diversi, quia omnes ad Sacerdotium referuntur, atque ita omnes in illo quodammodò unum sunt, sicut uno Ordinationis nomine comprehenduntur, ut docet *S.Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist.24. Quæstione 2. Articulo 1. Quæstiuncula 1. ad secundum. *Tota*, inquit, *plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio: sed in aliis est quædam participatio Ordinis... Et ideò omnes Ordines est unum Sacramentum.* Atque hæc de Minoribus Ordinibus generatim sufficiunt: nunc de singulis speciatim agendum.

Ostiariatus materia & forma.

700. Inter Minores Ordines primus occurrit *Ostiarii* Ordo, cujus materia est Clavium Ecclesiæ traditio ab Episcopo; forma: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his Clavibus recluduntur.*

Ostiariorum Munus.

701. Ostiariorum Munus est Templi claves & januam custodire, & aditu Templi arcere Infideles & Excommunicatos. Pulsare campanas.

Munus Lectoris.

702. Secundus inter Minores Ordines est *Lectoris* gradus, cujus Munus est, Veteris & Novi Testamenti Libros clarâ voce & distinctè in Ecclesia recitare, præsertim verò eos qui inter nocturnam Psalmodiam legi solent.

Materia, & Forma Lectoratus

703. Hujus Ordinis materia est traditio sacri Codicis de quo lecturus est. Forma: *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus,*

rus; si fideliter & utiliter impleveris Officium, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

PARS I. Art. 7. §. 1.

Ordinis Exorcistarum materia & forma.

704. Tertius est Ordo *Exorcistarum*, quibus potestas data est nomen Domini invocandi in eos qui ab immundis Spiritibus obsidentur. Hujus Ordinis materia est traditio Libri Exorcismorum. Forma, sunt verba in Concilio Carthaginensi 4. in Ritualibus antiquis, & Romano Pontificali præscripta: *Accipe, & commenda memoriæ, & habet potestatem imponendi manus super Energumenos, sive Baptizatos, sive Catechumenos.*

Exorcistarum officium.

705. Exorcistarum officium est ejicere dęmones, & dicere Populo, *Ut qui non communicat, det locum*; & aquam in Ministerio fundere, ut habet Pontificale Romanum.

Quibus maximè convenit hujus functio Ordinis.

706. Quod porrò spectat hujus Ordinis functionem, optimum interdum foret illam non à Presbyteris, multò minùs ab Episcopis, sed ab Exorcistis junioribus, ab adolescentulis ad hoc officium ordinatis, ac motum innocentiâ & sapientiâ huic Ministerio paribus, exerceri ad majorem Dæmonis contemptum & confusionem. Hæc autem in Exorcismis Energumenorum observanda præscribunt Concilia Mediolanensia primum & quartum sub *Sancto Carolo Borromæo*.

Regulæ in Exorcismis Ener-

707. „ Ne Sacerdoti, Clericóve secu-
„ lari aut regulari Exorcismum Energume-
„ nis

PARS I. Art. 7. §. 1. gumenorũ observandæ.

„ nis adhibere liceat, nisi exorcizandi facultatem scriptô exaratam ab Episcopo impetraverit.

708. „ Antequàm verò exorcizare aliquem aggrediatur, perquirat inprimis „ Energumeni, Energumenæve vitam ac „ mores; tum exploret actiones; & Medicum, si expedire censuerit, consulat; ut „ videat an quod ab illo, illáve agitur, fiat „ morbi alicujus, aut bilis atræ vi; an verò „ spontè ac dissimulanter; an denique Dæmonis, malorúmque Spirituum vexatione. (Signa porrò certiora possessionis alicujus à Dæmone sunt, si quis incognitis linguis loquatur, longâ præsertim oratione, quam imparatam esse constet: si literarum atque artium ignarus, legit, scribit, pingit, aut de rebus altissimis disserit, qui numquàm studuit: si res prorsùs arcanas & occultas aperiat, quæ in locis remotis fiunt; si quid agat vires hominis aut mulieris, sive sanæ, sive quovis morbo vexatæ, Medici judicio, superans: si vexatione cessante, eorum quæ dixit non recordetur.)

Signa possessionis à dæmone.

709. „ Ne aliis verò Exorcismis, Precibus, Ritibúsque ad id munus utatur, „ nisi ad Libri, Episcopi Judicio comprobati, rationem præscriptam. Cui nihil ab eo addi, detrahi, aut mutari fas „ sit.

Quibus Exorcismis utendum.

De quibus

710. Interrogandus est dæmon de nomine,

mine, numero eorum qui hominem vexant, causâ possessionis, nec permittendum ut sermones inutiles & vanos effundat. Cavendum ne de quæstionibus curiosis, aut futuris eventibus interrogetur: comprimendus est ne calumniis, detractionibus, scurrilibus ac ludicris verbis adstantibus illudat, eósque ad curiositatem, levitatem, aut voluptatem incitet. Artes dęmonis exploratas habere debet Exorcista, ne ab ipso fallatur, sive responsorum ambiguitate, sive latendi malignâ industriâ, ne possessio vera videatur; sive recessûs simulatione, ut intermittantur Exorcismi. Quibus artibus constantiam & patiētiam singularem opponere debet Exorcista, nec ab Exorcismis cessare, donec certis & evidentibus signis compertum habeat Energumenum liberatum esse. Adhiberi possunt Reliquiæ ad caput, vel ad pectus Energumeni; cavendum tamen ne sacræ illæ res à Dæmone indignè tractentur: nusquàm adhibenda in Exorcismis Eucharistia, propter irreverentiæ periculum: neque Hostia etiam non consecrata, ad veritatem possessionis explorandam.

PARS I. Art. 7. §. 1.

Dæmon interrogandus. A quibus cavendū?

Artes Dęmonis explorandæ.

Adhiberi possunt reliquiæ, nusquàm Eucharistia, neque hostia etiam non consecrata.

711. *Acolythorum* quartus est gradus, & ultimus eorum omnium, qui Minores, & non Sacri appellantur. Eorum munus est, Ministros Majores, Subdiaconos & Diaconos, in Altaris Ministerio affectari, eísque operam dare. Prætereà lumina deferunt & asservant, cùm Missæ Sacrificium celebra-

Munus Acolythorum.

PARS I. Art. 7. §. 1. lebratur, præcipuè verò cùm Evangelium legitur: ex quo *Ceroferarii* alio nomine vocati sunt.

Huius Ordinis materia & forma. 712. Hujus Ordinis materia duplex: una est Ceroferarii cum cereo traditio; altera Urceoli vacui. Forma, verba Episcopi ea tradentis.

Subdiaconorum Officia. 713. Antiquissima est in Ecclesiasticis Monumentis Subdiaconorum mentio. Ipsorum Officia exRomano Pontificali hæc sunt: Aquam ad ministerium Altaris præparare; Diacono ministrare; pallas Altaris, & Corporalia abluere; Calicem & Patenam in usum Sacrificii Diacono offerre; oblationes quæ veniunt ad Altare suscipere, ut ex iis, quantùm satis est, in Altari ponatur, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat.

Subdiaconatus materia. 714. Subdiaconatûs materia est traditio Patenæ vacuæ & Calicis vacui ab Episcopo: urceolorum verò cum vino & aqua, & linteolo quô manus absterguntur, ab Archidiacono, ut intelligatur Subdiaconum Diacono ministrare debere.

Forma. 715. Forma huic materiæ respondens, sunt verba quæ profert Episcopus ex Romani Pontificis præscripto, dum singuli Calicem & Patenam successivè tangunt: *Videte cujus Ministerium vobis traditur: ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Deinde Amictum, Manipulum,

Traditio Libri Epistolarū & verba Tunicam ipsos induit Episcopus, præscriptam in Pontificali verborum formam adhibens.

bens. Tradit denique ipsis Librum Epistolarum, quem dum singuli manu dexterâ contingunt, hæc verba profert: *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro Defunctis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Ad materiæ, formæque integritatem hæc in Ecclesia Latina pertinere nemo negaverit: sed in solâ Libri Apostolici traditione Subdiaconatûs materia sita esse non videtur. Traditio enim istius Libri in Ordinatione Subdiaconi perpetua non fuit. Ejus non meminerunt Concilium Carthaginense 4. nec antiqua Ritualia, nec *S. Isidorus* in Libris *De Officiis Ecclesiasticis*, nec *Rabanus Maurus* in Libris *De Institutione Clericorum*, licèt Ritus Ordinationum sigillatim explicent.

PARS I. Art. 7. §. 1. *illi respondentia non sunt materia & forma essentialis Subdiaconatus.*

716. Tres obligationes contrahunt qui Subdiaconatûs Ordinem suscipiunt. Prima est, obligatio Titulum, sive Brneficii, sive Patrimonii, habendi; ne rerum temporalium curis à Sacris Ministeriis distrahantur. Secunda, est castitatis, quæ huic Ordini ac superioribus, Ecclesiæ lege inviolabili annexa est. Tertia, est obligatio recitandi divinum Officium, seu Breviarium, Ecclesiæ etiam lege seu consuetudine universali illis imposita.

Triplex Subdiaconorum obligatio.

717. Secundum Sacrorum Ordinum gradum *Diaconus* obtinet; cujus Ministerium latiùs patet, sanctiúsque semper habitum

Sacræ Diaconorum functiones.

PAR. I. Art. 7. §. 1.

tum est. Ejus functiones sunt, Episcopum perpetuò sequi, concionantem custodire, eique & Sacerdoti Sacra facienti, vel alia Sacramenta administranti præsto esse, panem & vinum offerre, non quidem consecrando, ut ex Concilii Ancyrani Canone secundo malè colligunt Hæretici, sed utrumque Sacerdoti consecraturo porrigendo.

Et jura.

718. Præterea, vi suæ Ordinationis jus habent administrandi Baptismi solemni Ritu; jus item prædicandi Evangelium, ubi id ipsis commiserit Episcopus, quod *S. Stephani* Protomartyris, & *Philippi* Diaconorum exempla probant à *S. Luca* in Actis Apostolorum consignata.

Diaconatus materia & forma.

719. Materia Diaconatûs est Manûs impositio; Forma, Oratio manuum impositioni adjuncta, ut constat ex Actibus Apostolorum Cap. 6. *Hos statuerunt*, inquit, *ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Non semper traditus est Diaconis Evangeliorum Codex in ipsorum Ordinatione. Accessit tamen ex Ecclesiæ institutione ad materiæ integritatem hujusmodi traditio, & ad integritatem formæ præscripta verba in Romano Pontificali, dum singuli sacrum Codicem tangunt: *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quàm pro defunctis. In nomine Domini.*

Sacerdotium sum-

720. Tertius omniumque Sacrorum Ordinum summus est *Sacerdotium*. Qui verò illo

illo præditi sunt, eos veteres Patres duobus nominibus vocare solent. Interdum enim *Presbyteros* appellant, quod Græcè Seniores significat, non solùm propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini maximè necessaria est: sed multò magis propter morum gravitatem, doctrinam, & prudentiam. Ut enim scriptum est Sapientiæ 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*. Interdum verò *Sacerdotes* vocant, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta administrare, sacrásque res & divinas tractare.

PARS I. Art. 7. §. 1. *mus Sacrorum Ordinum gradus.*

721. Manus impositio, & Oratio ipsi adjuncta, quam repræsentant omnes Libri Rituales antiqui, recentiores, hodierni, quæ in antiquis inscribitur, *Consecratio*, & in Romano Pontificali notatur ad modum Præfationis, juxta nonnullos, est materia & forma essentialis Presbyteratûs. Favere videtur Concilium Tridentinum Sessione decimaquarta Cap. 3. ubi Extremæ-Unctionis Ministros docet esse solos Episcopos, *Aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per Impositionem Manuum Presbyterii*. Prior igitur illa manuum impositio ab Episcopo, & deinde ab omnibus Presbyteris adsistentibus facta super caput cujuslibet ordinandi, vicem materiæ subit, Oratio adjuncta vicem formæ:

Materia & forma.

PARS I. Art. 7. §. 1.

atque ad substantiam Sacerdotalis Ordinationis pertinent.

An Calicis traditio, &c. sit de essentia hujus Sacramenti.

722. An Calicis traditio cum vino & aqua & Patena superposita cum Hostia, eique traditioni verba correspondentia sint de essentia hujus Ordinis? disputant Theologi afferente *S. Thoma* in 4. *Sententiarum*, Dist. 24. art. 13. Ut ut est de Scholastica illa Quæstione, cùm Romanum Pontificale hunc Ritum præscribat, & traditionem illam Instrumentorum, verbáque præscripta, *Accipe potestatem*, &c. partialis saltem materiæ ac formæ vices in Ordinatione Sacerdotali habere Theologi vulgò doceant, post *Eugenium IV.* in Decreto pro Instructione Armenorum, ad materiæ formęque integritatem illa pertinere censendum est. Christus scilicet materias & formas Ordinationum Sacrarum in genere tantùm sic instituisse Theologis plerisque doctissimis videtur, ut ex Ecclesiæ institutione ac usu speciale aliquid pro materia & forma addi posset, cujus omissio Ordinationem irritam redderet.

Si quis Rituum qui ad materiam vel formā sacrarum Ordinationum pertinent, secundùm

723. Manibus super singulorum capita impositis, Episcopus hæc verba profert: *Accipite Spiritum-Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*: eísque cœlestem illam, quam Dominus Discipulis suis dedit, retinendi ac remittendi potestatem tribuit. Si quis horum Rituum, qui ad materiam vel for-

formam pertinent, secundùm varias Theologorum opiniones, in Ordinatione fuisset omissus, verbi gratiâ, manuum impositio prima, vel adjuncta Oratio; aut Calicis cum vino & aqua, & Patenæ cum Hostia traditio, adjunctave formulâ verborum; aut unctio; aut denique manuum impositio postrema, vel hæc verba ipsam concomitanta, *Accipite Spiritum-Sanctum, &c.* Supplere deberet Episcopus quod in Ordinatione fuisset incautè prætermissum, ut colligitur ex Cap. *Pastoralis*, & ex Cap. *Presbyter*, Extra, *De Sacramentis non iterandis*.

PARS I. Art. 7. §. 1. *varias Theologorum opiniones, omissus fuerit, Ordinatio non est iteranda, sed Ritus ille ab Episcopo supplendus tempore ad Ordines conferendos statuto.*

§. II.

De Ministro Ordinis.

724. Minister Sacramenti Ordinis est solus Episcopus. At secundi Ordinis Sacerdotibus Potestas conferendi Tonsuram Clericalem & Minores Ordines à Summo Pontifice demandari potest. *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 25. Quæst. 1. Art. 1. ad tertium.

Minister Sacramenti Ordinis.

725. Unumquemque à proprio Episcopo ordinari Leges Ecclesiæ jubent, aut certè ab alio cum ejus licentia & litteris dimissoriis. Ita sanxit Sacra Synodus Tridentina Sessione 23. *De Reformatione*, Cap. 8.

Ab Episcopo proprio quis ordinari debet.

726. Triplex autem Episcopus proprius jure novo distinguitur, Cap. *Cùm nullus*,

Triplex Episcopus

PARS I. Art. 7. §. 2. *proprius à quo Ordines possunt suscipi, iure novo. Episcopus originis est Episcopus loci in quo quis natus est.*

quod est *Bonifacii VIII.* Tit. *De tempore Ordinationum*, in Sexto: scilicet *Episcopus Originis, domicilii, & Beneficii*: & ab eorum quolibet Ordines licitè suscipi posse declarat.

727. Quamvis rursus secundùm jus commune, quod nunc etiam in Italia viget, in Ordinationibus ratio paternæ originis haberi possit, ita ut qui Mediolani natus est ex patre Genuensi, possit pro arbitrio ad Ordines suscipiendos eligere vel Mediolanensem, vel Genuensem Episcopum, ut *Zerola*, in Praxi Episcopali P. 2. verbo *Dimissoriæ*, aliíque docent; idque fundamentum habeant in L. *Assumptio*, ff. *Ad Municipalem*, §. *Filius*, & L. *Filios*, C. *De Municipibus*: in Galliis tamen paternæ originis quoad Ordines suscipiendos nulla solet haberi ratio, & consuetudo ita Legem interpretata est ut unusquisque non alium agnoscat originis Episcopum, præter Episcopum loci in quo natus est.

Casus. 728. Duo casus excipiuntur: primus est, si quis Reipublicæ causâ absens & ad aliquam regionem missus pro quodam certo tempore, annali verbi gratiâ, biennali, triennali, vel non ita diuturno ut domicilio constituendo sufficiat, liberos interim aliquos suscipiat; in hoc enim casu liberi isti à paterna origine potius censendi erunt quàm à propria, sive Leges Civiles, sive Consuetudinem, sive loquendi usum respicias.

Quam-

Quamobrem liberi ab Oratoribus Principum, aliísve Reipublicæ causâ à Rege missis, in remotioribus regionibus suscepti, ex paterna civitate censentur, & paternæ civitatis Episcopus censetur Episcopus originis à quo possunt ordinari. PARS I. Art. 7. §. 2.

729. Alter casus est, si quis fortuitò in aliquo loco natus est, in eo scilicet quem mater pertransibat, aut quò animo minimè commorandi perrexerat. Nam qui ita ex aliquo loco est, non efficitur civis hujus loci in quo natus est, ut colligitur ex L. *Filios* superiùs laudatâ. *Alter Casus.*

730. Episcopus domicilii est Episcopus loci in quo quis ita habitat, ut perpetuò manendi in eo nec usquam in locum originis suę redeundi intentionem habeat, fortunásque suas in eo collocet; ut colligitur ex L. *Cives*, C. *De Incolis*. Nemo ergo qui à brevi tempore locum aliquem incolit, credi debet in eo domicilium fixisse, nisi rationes seu conjecturæ probabiles id suadeant: sicut enim in fugientibus onera *Domicilium re & facto transfertur, non nudâ contestatione*, ut habetur L. *Domicilium*, ff. *Ad Municipalem*; ita in appetentibus honores nudâ contestatione contenti esse non debemus. Cavendum est, ne quis aliquo figmento, & prętenso in fraudem domicilio, ab alienę Diœcesis Episcopo ordinetur: quod pœnâ etiam in Ordinatos constitutâ puniendum censuit *Gregorius X.* in Concilio Generali Lugdu- *Quis Episcopus domicilii?*

nensi, cujus Decretum refertur Cap. *Eos qui*, Tit. *De Temporibus Ordinationum*, in 6.

Episcopus beneficii.

731. Ab Episcopo cujus in Diœcesi Beneficium obtinet, aliquis ordinari potest secundum Bonifaciani tenorem Decreti. Verùm quia fieri potest ut Beneficium aliquod in fraudem suscipiatur. Ecclesię disciplinę magis convenit, ut à solo Episcopo Originis Ordines vulgò recipiantur: ut etiam colligitur ex resolutione S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum data 25. Feb. anno 1596.

S. Congregatio.

Alienæ Diœcesis hominem ordinare Episcopo non licet.

732. Episcopus qui Beneficium alicui contulerit ut eum absque proprii Episcopi licentiâ ad Ordines promoveat, aut quolibet figmento quęsito, aut affectatâ ignorantiâ, alienę Diœcesis hominem ordinaverit, incurrit in pœnas Canonum. Ita declaravit *Gregorius X*, in Concilio Generali Lugdunensi, & refertur Cap. *Eos qui*, Tit. *De Temporibus Ordinationum*, in Sexto.

Nec ratione tenuissimi Beneficii.

733. Episcopus Ordines alicui conferre non potest ratione tenuissimi Beneficii, quod in ejus Diœcesi obtinet, si ex aliena Diœcesi sit oriundus, in eàquę domicilium habeat. In eo enim casu pręsumptio fraudis est, putà si Beneficium quatuor dumtaxat ducatos annuatim reddat, vel ad summum septem ducatos, ut censent Zerola in Praxi Episcopali, P. 1. verbo *Beneficia*, §. 3. *Soto* Libro 2. *De Justitia & Jure*, Quæst. 3. *Barbosa* P. 2. *De Officio & Potestate Episcopi*, Allegatione 4. Num. 45.

734. Epi-

734. Episcopus alienæ Diœcesis hominem in familiam suam adscriptum, & tres annos continuos apud se commoratum ordinare potest, ea lege ut Beneficium statim ipsi conferat absque fraude. Ita statuit Concilium Tridentinum, Sessione 23. *De Reformatione*, Cap. 9. PARS I. Art. 7. §. 2. *Potest tamen ordinare hominem in familiam suam adscriptum.*

735. Titulares Episcopi non gaudent privilegio familiares suos ordinandi. Hanc enim potestatem ad Ordinarium Episcopum restrinxit Tridentina Synodus Sessione 14. *De Reformatione*, Cap. 2. *Nisi fuerit Titularis.*

736. Regulares à proprio Episcopo debent ordinari, non minùs quàm cæteri Clerici. Proprius autem eorum Episcopus est Diœcesanus Monasterii in quo ipsi permanenter degunt. Colligitur ex Canone 15. Concilii Carthaginensis Quinti, & refertur Dist. 58. Canone *Si quis*. Id à Sacra Synodo Tridentina confirmatum, & Privilegia, si quæ forent in contrarium, abrogata sunt Sessione 23. *De Reformatione*, Cap. 8. *A quo Episcopo Regulares ordinari debent?*

737. Nemo ab alieno Episcopo ordinari potest sine licentià proprii Episcopi, seu Dimissoriis Literis. Concilium Tridentinum Sessione 14. Cap. secundo *De Reformatione*, dum à Titulari Episcopo alterius subditum quocumque prætextu ordinari vetat, *Absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis*. Expressum consensum, vel literas dimissorias requirit, non absolutè dimissorias literas, quòd aliquando contingat, *Nemo ab alieno Episcopo absque licentia proprii ordinari potest.*

PARS I. Art. 7. §. 2.

publicè ac ſolemniter in Eccleſia Epiſcopi proprii, eo præſente, ſed honoris causâ alienum Epiſcopum ad celebrationem Ordinum incitante, vel propter infirmitatem indigente, aut abſente eo quidem, ſed præſentibus Officialibus ejus, iiſque adjuvantibus, examinantibus, & teſtimonium de Ordinatione ferentibus, Ordinationem celebrari: quo unico caſu literis dimiſſoriis opus non eſt, ut quis ab alterius Civitatis Epiſcopo ordinari valeat, ſed expreſſus conſenſus Epiſcopi ſufficit. Idem confirmatur ex Seſſione 7. *De Reformatione*, Cap. 10. & Seſſione 23. Cap. 10.

Soli Epiſcopi Literas dimiſſorias concedere poſſunt.

738. Soli Epiſcopi, non Abbates, neque alii etiam Exempti, aut Collegia vel Capitula, quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, Literas Dimiſſorias Clericis ſæcularibus concedere poſſunt ut ab aliis Ordines ſuſcipiant. Ita ſanxit Concilium Tridentinum Seſſione 23. *De Reformatione*, Cap. 10. Vicarius etiam Generalis Epiſcopi Dimiſſorias Literas concedere non poteſt, niſi ex ſpeciali Mandato Epiſcopi, vel ipſo Epiſcopo in remotis agente, ut decretum eſt Cap. *Cùm nullus*, Tit. *De Temporibus Ordinationum*, in ſexto.

An & quando Capitulo poteſtas Sede vacante con-

739. Capitulum Sede vacante nonniſi elapſo anno à die obitûs Epiſcopi numerando, licentiam ordinandi, aut Dimiſſorias Literas concedere poteſt, tam ex Juris communis diſpoſitione, quàm etiam cujuſvis Pri-

Privilegii aut Consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit. Sanctio est Concilii Tridentini Sessione 7. Cap. 10. *De Reformatione*; quam si Capitulum violaverit, Ecclesiastico subjacet Interdicto: & sic Ordinati, si in Minoribus constituti fuerint, nullo Privilegio Clericali, præsertim in criminalibus gaudent: in Majoribus verò, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso jure suspensi. Quam pœnam Sacra Synodus Sessione 23. Cap. 10. ad illos, qui easdem Literas non à Capitulo, sed ab aliis quibusvis, in Jurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem Dimissorias contra formam Decreti, ab Officio & Beneficio per annum ipso jure suspensos declarat.

PARS I. Art. 7. §. 2. veniat concedendi licentiam ordinandi, aut Litteras Dimissorias?

740. Arctatus porrò quis dicitur occasione Beneficii recepti, qui aliquod obtinet Beneficium requirens Ministerium personale, ratione cujus de jure, consuetudine, privilegio, statuto Ecclesiæ, vel fundationis tabulis, Ordines intra annum suscipere tenetur: exempli gratiâ, qui Parochialem Ecclesiam obtinet, arctatus est ad Sacerdotium intra annum suscipiendum, & qui obtinet Canonicatum, arctatus est ad suscipiendum Ordinem illi annexum; idemque judicium esto de aliis Beneficiis seu Capellanis, requiren-

Quis dicitur arctatus ratione Beneficii recepti?

PARS I. Art. 7. §. 2.

rentibus ex instituto Ministerium personale, seu Ordinis alicujus functiones.

Quis ratione Beneficii recipiendi?

741. Arctatus verò dicitur occasione Beneficii recipiendi, qui jus habet, seu vocatus est ad aliquod Beneficium vacans, quod requirit certum Ordinem quo ille caret: vel qui cùm sit initiatus primâ Tonsurâ, præsentatus est ad Beneficium quod Majorem Ordinem actu requirit. Sed minimè dici arctatum occasione Beneficii recipiendi illum, cui aliquis vult resignare Beneficium requirens actu Ordinem quo ille caret, post alios observat *Barbosa* P. 2. *De Officio & Potestate Episcopi*, Allegatione 7. §. 11. Nec etiam arctatus censetur occasione Beneficii recipiendi, qui nondum Clericus est, sed opportunitate datâ captandi Beneficii, Tonsuram vult suscipere, ut Beneficii capax fiat. Vocatio enim Spiritus Sancti, non cupiditas & ambitus Beneficii, hominem ad Statum Clericalem perducere ac promovere debet.

Litteræ Dimissoriæ cum cautela concedendæ.

742. Literæ Dimissoriæ concedendę non sunt nisi ex justâ causâ, & prævio illius examine cui conceduntur, nec generatim ad omnes, sed speciatim ac seorsim ad singulos Ordines. Concilium Tridentinum Sessione 23. Cap. 3. *De Reformatione*.

in-

§. III.

De Ordinationis effectibus.

743. GRatiam sanctificantem, non quidem primam, sed gra- *Ordinationum effectus.*
tiæ incrementum in Sacris Ordinationibus dari, colligitur ex Apostolo 1. ad Timotheum quarto: *Noli*, inquit, *negligere* *Gratia.*
gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. Et 2. ad Timotheum primo: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Id confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 24. Quæst. 1. Art. 2. Quæstiuncula 1. Et in Responsione ad tertium: *Ad idoneam*, inquit, *executionem Ordinum non sufficit bonitas quantacumque, sed requiritur bonitas excellens, ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita & superiores sint merito sanctitatis; & ideo præexigitur gratia, quæ sufficiebat ad hoc quòd dignè connumerarentur in plebe Christi: sed confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ donum, per quod ad majora reddantur idonei.*

744. Quod alterum effectum attinet, *Character*
scilicet Characterem, hunc in Ordine imprimi fides docet, spiritualem scilicet potestatem,

PARS I. Art. 7. §. 3.

ſtatem, quæ ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum refertur; in Sacerdote quidem plenam & perfectam, ut qui Chriſti Jeſu Domini noſtri Corpus & Sanguinem unus poteſt conficere; in aliis verò inferiorum Ordinum Miniſtris majorem minorémve, quò quiſque Miniſterio ſuo magis minúſve ad Altaris Sacramenta accedit. Hæc autem poteſtas character ſpiritualis dicitur; quòd qui Sacris initiati ſunt, interiori quâdam notâ animæ impreſsâ ab aliis Fidelibus diſcernantur, ac divino cultui mancipentur.

Ordinationem, etiam ab Hæreticis collatam iterare non licet.

Quæ poteſtas ac nota cùm perpetua ſit, ſempérque maneat, Ordinationem iterare non licet, quamvis ab Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis, exauctoritatis ſive degradatis Epiſcopis collatam, ut probat perpetuus Eccleſiæ conſenſus.

Quo ſenſu Pontifices & Concilia Ordinationes Hæreticorũ, Schiſmaticorum, Excommunicatorum, irritas pronuntiant.

745. Quamvis igitur propter immania quædam ſcelera Miniſtris Altaris & Eccleſię auferri poſſint honor, dignitas, & locus Ordini conveniens; ut non alio loco deinceps habeantur quàm Laïci (quod fit exauctoratione ſive degradatione) ipſa tamen conſecratio, & quæ conſecratione collata eſt Poteſtas Ordinis, amitti non poteſt. Cùm itaque Ordinationes ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Excommunicatis factas, juxta formam Eccleſiæ, Pontifices & Concilia irritas pronuntiant, intelligendum eſt eas eſſe irritas, non quò ad ſubſtantiam Ordinis, quaſi ſint invalidæ, ac proinde itera-

ri debeant; sed quoad Ordinis executionem, quia sic Ordinatis non licet Ordinis sui functiones exercere. Tametsi verò dicantur nihil recipere, quia nec Ordinis honorem sive administrationem recipiunt, nec Privilegia Ordini adnexa; imò nec Spiritum-Sanctum, gratiámque sanctificantem, si ab hujusmodi hominibus scientes ordinentur, quia peccatis eorum communicant: spiritualem tamen Potestatem seu Characterem recipiunt, qui in eis perpetuò manet. *Omnis enim potestas, quæ datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, sicut nec ipsa consecratio annullari; quia etiam Altare vel Chrisma semel consecrata perpetuò sacrata manent. Unde cùm Episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet quòd perpetuò maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia præcidatur*; inquit *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 23. Quæst. 1. Art. 2.

PARS I. Art. 7. §. 3.

Quo sensu dicantur nihil recipere eos, qui ab hujusmodi ordinantur.

746. Quamobrem Episcopi ab Ecclesia præcisi retinent potestatem alios ordinandi; & Ordinationes ab ipsis factæ, sunt validæ, quamvis licitæ non sint. *Vera Sacramenta conferunt*, inquit ibidem S. Thomas, *sed cum eis gratiam non dant; non propter inefficaciam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ*. Et in Responsione ad tertium: *Illi*, inquit, *qui ab Hæreticis promoventur, quamvis accipiant Ordinem,*

Episcopi ab Ecclesia præcisi, quamvis peccant conferendo, vera tamen conferunt Sacramenta.

non

non tamen recipiunt executionem, ut licitè possint in suis Ordinibus ministrare.

§. ULTIMUS.

De Temporibus Ordinationum; & Qualitatibus Ordinandorum.

Ordinationum tempora.

747. Clericatus seu Prima Tonsura, quocumque die & horâ. Minores vero Ordines singulis Dominicis & festis Duplicibus, matutino tamen tempore conferri posſunt: Id constat ex Pontificali Romano & ex Ecclesiæ usu.

748. Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Quatuor dumtaxat Jejunium Temporibus, tum Sabbato ante Dominicam Passionis, itemque Sabbato Sancto Paschæ possunt ordinari: non autem extra hæc tempora generales Ordinationes fieri possunt. Concilium Triden. Sess. 23. *De Reformatione*, Cap. 8.

Extra tempora, cum Summi Pontificis facultate, sacros Ordines conferre licet.

749. Summus Pontifex extra Tempora à Jure statuta Sacros Ordines conferre potest: possunt & Episcopi, quibus id Romanus Pontifex permiserit. In iis enim quæ sunt Ecclesiastici Juris, Summum Pontificem posse dispensare certum est. Id confirmatur ex Cap. *Subdiaconos*, Extra, *De Temporibus Ordinationum*, & Cap. *De eo*, eodem Titulo.

750. Duos

750. Duos Ordines Sacros simul eodem die suscipere aut conferre non licet. Cap. *Litteras*, Extra, *De Temporibus Ordinationum*, Cap. *Dilectus*, eodem Tit. Tridentina Synodus, Sessione 23. Cap. 13. De Reformatione. *Duo Sacri Ordines*, inquit, *non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, Privilegiis ac Indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque.*

PARS I. Art. 7. §. ult. *Duos Ordines sacros simul eodem die suscipere non licet.*

751. Episcopi Consecratio Dominico die, aut Festivo, qui à Populo solemniter celebretur, peragi potest. Pontificale Romanum legitimum diem Consecrationis vel Dominicum, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam Festivum definit.

Episcopi Consecratio.

752. Religiosè servanda sunt inter singulos Ordines temporum intervalla, sive Interstitia Legibus Ecclesiæ præscripta. Ita nempe ut inter minores Ordines singulos congruum intervallum, V. G. ab uno Quatuor temporum ad aliud: inter postremum gradum Minorum Ordinum & Subdiaconatum, annus: Inter Subdiaconatum & Diaconatum, annus saltem, Inter Diaconatum & Presbyteratum annus integer interponatur. Quorum tamen Instertitiorum dispensatio, ubi id Ecclesiæ necessitas vel utilitas postulat, Episcopi proprii arbitrio committitur.

Interstitia servanda.

753. Ordinator circa temporum Interstitia dispensare non potest cum iis qui Diœcesani sui non sunt, nisi id Dimissoriis Li-

Qui possint in Interstitiis

PARS I. Art. 7. §. ult. *dispensare.*

teris expresse concedatur. Sic responsum à Sacra Congregatione Episcoporum die nona Augusti, anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio refert *Piasecius* in Praxi nova Episcopali, P. 1. Cap. 1.

Non Superiores Regularium.

754. Superiores Regularium cum ipsis dispensare de Interstitiis non possunt; sed solùm jus habent Episcopo supplicandi ut dispensare dignetur, habitâ ratione necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ suæ, Monasterii, vel Ordinis. Quæ quidem supplicatio dimissoriis literis inserenda est. Ita declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, teste *Barbosa*, P. 2. *De Officio & Potestate Episcopi*, Allegatione 18. Et Concilium Tridentinum hanc dispensationem judicio & arbitrio Episcopi semper relinquit. Si autem Viris Religiosis faciliùs Interstitiorum moras canonicas remittant Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi, quàm Sæcularibus Clericis, *Gelasii I.* Pontificis Maximi judicium & exemplum sequentur, qui Interstitia inter singulos Ordines Monachis breviora, sæcularibus diuturniora imposuit: *Quia quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta docetur præstitisse devotio.*

Cur cum Viris Religiosis faciliùs dispensandū?

Indigni nulla ratione Ordinandi.

755. Neque Sacerdotum & Ministrorum penuria, neque rationes aliæ, indignorum Clericorum Ordinationem ullatenus excusare possunt. Non enim Sacerdotum ac Mini-

Miniſtrorum multitudine, ſed pietate, doctrina, labore, aſſiduitate, Eccleſia ab initio plantata eſt, poſtea verò aucta ornatáque floruit. *Dilatata videtur Eccleſia* (inquit *S. Bernardus*, in Tractatu *De Converſione ad Clericos*, Cap. 20.) *Ipſe etiam Cleri ſacratiſſimus Ordo: Fratrum numerus ſuper numerum multiplicatus eſt. Verùm etſi multiplicaſti gentem, Domine, non magnificaſti lætitiam, dum nihil minùs apparet deceſſiſſe meriti, quàm numeri acceſſiſſe. Curritur paſſim ad Sacros Ordines, & reverenda ipſis quoque Spiritibus Angelicis Miniſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione.* Periculoſus hic Eccleſiæ morbus, cui graviter conſules, ſi non tam de Clericorum numero ſollicitus ſis, quàm de exemplo: *Quia* (ut ſcribit *Gelaſius I.* ad Lucaniæ Epiſcopos) *convenientia Eccleſiæ Miniſteria reparanda ſunt, non inconvenientibus meritis ingerenda .... Ne per occaſionem ſupplendæ penuriæ Clericalis, vitia potiùs divinis cultibus intuliſſe; non legitimæ familiæ Domini putemur procuraſſe compendia.* Similiter *S. Leo* inordinatas indignorum Ordinationes reprehendens, Epiſtola 1. aliàs 87. ad Africanos Epiſcopos: *Non eſt hoc conſulere Populis*, inquit, *ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim Præſidentium, ſalus eſt ſubditorum.* Concilii Lateranenſi 4. Canon 27. id egregiè confirmat: *Cùm ſit ars artium Re-*

PARS I. Art. 7. §. ult.

Refertur Diſt. 77. Can. Monachus.

PARS I. Art. 7. §. ult.

gimen Animarum, districtè precipimus, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant & informent, vel per se ipsos, vel per alios viros idoneos, super Divinis Officiis, & Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare; quoniam si ignaros & rudes de cætero ordinare præsumpserint, (quod quidem facilè poterit deprehendi) & Ordinatores & Ordinatos gravi decrevimus subjacere ultioni. Satius enim maximè in Ordinatione Sacerdotum paucos bonos, quàm multos malos habere Ministros: quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam dilabuntur.

S. Thomas

756. Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 24. Quæst. 1. Articulo 3. Quæstiuncula 4. *A Domino*, inquit, *describitur fidelis, qui est servus constitutus super familiam, ut det illis tritici mensuram: & ideò infidelitatis reus est, qui alteri supra mensurā ejus Divina tradit: hoc autem facit, quicumq; indignum promovet. Et ideo mortale crimen committit, quasi Summo Domino infidelis; & præcipuè cùm hoc in detrimentum Ecclesiæ vergat, & honoris divini, qui per bonos Ministros promovetur: esset enim infidelis Domino terreno, qui in ejus Officio aliquos inutiles poneret.* Et in Responsione ad primum: *Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei Ministri sufficienter ad necessitatem plebis, si digni promoverentur, & indi-*

gni

gni repellerentur. Et, si non possent tot Ministri inveniri, quot modò sunt, melius esset habere paucos Ministros bonos, quàm multos malos.

PARS I. Art. 7. §. ult.

757. Nemo itaque absque probatione, nemo absque Dei Vocatione in Clerum adlegendus, Sacrísve Ordinibus initiandus est. Christus enim Dominus Apostolis suis ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et (ut Apostolus ait) *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Nec enim *Christus semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.*

Ordinandorum vocatio probanda.

758. Divinæ autem vocationis varia sunt indicia. Primum est Conscientiæ puritas, & anteactæ vitæ innocentia. Alterum Ecclesiasticæ Disciplinæ studium amórque, & à Sæculi moribus, ac vanitatibus alienatio. Tertium, recta intentio, seu finis bonitas, ob quem aliquis Clericali Militiæ dat nomen, vel ad Sacram Ordinationem accedit. Si enim aliquis liber ab omni terreno affectu, vacuus ab omni gloriæ cupiditate, expers omnis ambitionis & avaritiæ, ad Clerum Deo deserviendi causâ & salutis populi procurandæ gratiâ solùm se conferat, Digitus Dei hic est, Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini ipsum exaltat. Sed si rapit ambitio, si invitat avaritia, si otiositas allicit, si domesticæ curæ impatientia inducit, divinam ad Clericatum, & ad Sa-

Divinæ vocationis indicia.

PARS I. Art. 7. §. ult. cros Ordines vocationem deesse, hæc argumenta sunt.

759. Qua de perversitate intentionis „ Concilii Catechismus hæc habet: Alii „ eo consilio ad hanc vivendi rationem se „ convertunt, ut quæ ad victum, vestitúmque necessaria sunt, parent: ita ut præter quæstum nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgò cæteri omnes in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli Sententia, natura & divina lex jubeat, ut

1. Cor. 9. „ *Qui Altari servit, ex Altari vivat*: tamen quæstûs & lucri causâ ad Altare accedere, maximum sacrilegium est. Alios „ honorum cupiditas & ambitio ad Sacerdotalem Ordinem ducit. Alii verò, ut „ divitiis affluant, initiari volunt, cujus „ quidem rei illud argumentum est, quòd „ nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum „ Beneficium iis deferatur, nullam Sacri „ Ordinis cogitationem habent: hi verò

Joan. 10. „ sunt, quos Salvator noster *Mercenarios*

Ezech. 34. „ appellat: & quos *Ezechiel* dicebat, *Semetipsos & non oves pascere*: quorum turpitudo & improbitas non solùm Sacerdotali Ordini magnas tenebras offundit, ita „ ut jam nihil fere à fideli populo haberi „ possit contemptius & abjectius: verùm „ etiam efficit ut ipsi nihil ampliùs ex Sacerdotio consequantur, quàm Judas ex „ Apostolatûs Munere, quod illi sempiter-

„ num

„ num exitium attulit. Illi autem ostio in „ Ecclesiam introire meritò dicuntur, qui „ à Deo legitimè vocati, Ecclesiastica Mu„ nera ejus unius rei causa suscipiunt, ut „ Dei honori inserviant.

Ordinandorum sanctimonia.

760. Nemo verò est ad Sacros Ordines promovendus, nisi qui vel innocenter vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas diuturnâ Pœnitentiâ diluerit. Christi enim primi Summíque Sacerdotis sanctimoniam decet illos imitari, qui Sacerdotii illius participes esse cupiunt. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*; (inquit Apostolus ad Hebræos 7.) Hinc etiam 1. ad *Timotheum* 3. docens quales esse debeant Episcopi, cæteríque Ecclesiæ Ministri: *Oportet*, inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum*, &c. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes*. Et ad Titum 1. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ de-*

PARS I. Art.7. §. ult. *desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est*, &c.

Ordinum susceptio in peccato mortali peccatum mortale est.

761. Sacrilegii reus est, qui cum peccati mortalis conscientiâ Ordines suscipit. *S.Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 24. Quæstione 1. Articulo 3. Quæstiuncula 1. Et in Responsione ad secundum, ait, Ordinatos per Ministerium spirituale ad quod applicantur, effici medios inter Deum & plebem: *Et ideo*, inquit, *debent bonâ conscientiâ nitère quoad Deum, & bonâ famâ quoad homines*. Hinc Synodus Parisiensis anno 1557. nullum ad Sacros Ordines admittendum statuit, *Nisi Sacramentali Confessione purgatus sit*. Ordinandis, præsertim iis qui vel Subdiaconatum, vel Diaconatum suscepturi sunt, Confessionem generalem, & pium Secessum, sive Spiritualia Exercitia suadent Synodus Mediolanensis 4. Aquensis, & Burdigalensis postrema.

Pariter & Tonsuræ Clericalis.

762. In mortalis etiam peccati reatum incurrit, qui Tonsuram Clericalem indignè, id est, in affectu peccati mortalis, suscipit. Quâvis enim non sit ipsa Sacramentum, sed Ceremonia tantùm Sacramentalis, Ritúsque Sacer, cui nullum gratiæ augmentum promissum est: tamen quicumque per Tonsuram Clero adscribitur, maximum à Deo spiritale beneficium consequitur, & novum init vitæ genus; atque ex duobus generibus Christianorum, quorum unum communem vi-

vivendi rationem sectatur, alterum perfe- ctionis studio vacat, & aliorum salutem procurat perfectius ipse amplectitur, & ad proximi salutem procurandam se devovet. Si autem unquam caritatis & contritionis pręcepta hominem obligant, tunc præsertim cùm insignia Dei beneficia spiritualia à Deo ei subministrantur; vel cùm novam vitæ rationem aggreditur. Quemadmodum enim, ex sententia *S. Thomæ*, ut primùm quis rationis usum attigit, tenetur ad Deum sese convertere ac dirigere, eúmque sibi omnium actionum suarum finem ultimum præfigere: ita homini novum vitæ genus inchoanti necessarium videtur ut ad Deum se convertat, Deúmque sibi omnium actionum suarum in eo vitæ genere finem præstituat: tum verò maximè cùm perfectionis etiam in alios diffundendæ Statum ingreditur. Quamobrem & injuriosus est in Deum, & Clericali Ordini contumeliosus, qui impœnitens Clericorum Catalogo inscribi se procurat, & Deo se in isto Ordine ministraturum devovet. Prudenter itaque Synodus Carnotensis Ordinum Candidatos admonet, *Ut antequam ad Ordines, & primam Tonsuram accedant, diligenter confiteantur peccata sua.*

PARS I. Art. 7. §. ult.

763. Sanè qui Tonsuram Clericalem suscipit ritu solemni coram Ecclesia profitetur Dominum Deum partem esse suam. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Quamobrem

S. Hieronymus.

PARS I. Art. 7. §. ult.

Talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum & possideatur à Domino. (inquit *S. Hieronymus* Ep.2.) nunquid vero id convenit homini in statu peccati mortalis constituto & non pœnitenti ? Nonne mentitur Spiritui Sancto ; qui se Deo adjectum ac penitus devotum esse velle profitetur exterius, cum Diabolo interiori affectu voluntatis addictus est ? *Quæ Conventio lucis ad tenebras, Christi ad Belial ; Templi Dei ad Idola ?*

2. Cor. 6. 15.

Ordinandorum scientia.

764. Ordinandorum scientia probari debet ac tentari pro ratione Ordinum ad quos promovendi sunt , & locorum quô mittuntur , pro ingenii captu , & doctrinæ genere quam profitentur . Qui autem agresti sunt ingenio, & literarum ignari, atque incapaces , rejiciendi sunt . Debent nempe, *qui aliis præponuntur curam animarum suscipientes, ea scire quæ ad Doctrinam Fidei & morum pertinent ; & alii ea quæ ad executionem sui Ordinis spectant* : (inquit. *S. Thomas* in 4. *Sententiarum* , Dist. 24. Art 3. Quæstiuncula 3.)

Etiam ad Curam animarū haud aspirantiū.

765. Nec est quòd aliquis scientiæ dotem in eo non ita severè dicat exigendam , qui Presbyteratum hoc tantùm fine petat, ut cantui , lectioni , vel orationi vacet ; cui nec Populi docendi , nec regendi voluntas sit . Primò enim quis spondere audeat eum qui ante Ordinationem talia promiserit , postea non omnem moturum lapidem , ut Sacramentorum administrandorum potestas sibi de-

detur; aut Animarum Cura demandetur? Quo argumento conjiciet, ipsum non temerè de Mysteriis Divinis verba facturum? indocta responsa, noxia consilia, dogmata, errores non propalaturum, quæ in totius Ordinis dedecus vergant, & perniciem Populi? Secundò, quis ferat Presbyterum ordinari, ut sibi tantùm vacet, non aliis? Quòd enim Christiani sumus, propter nos est; quòd Presbyteri, propter alios. Hoc Sacerdotalis Ordinis ratio, hoc potestatis pro populo instituta dignitas; hoc vetus Ecclesiæ Disciplina, quæ inutiles, otiosos, nullam Populi Christiani curam habentes Presbyteros vix patiebatur: hoc institutio Christi, & Apostolorum Traditio, quibus constat Presbyteros ad Populi utilitatem, & Sacramentorum Administrationem primùm institutos, tanquam indecorum & inordinatum rejiciunt. Quamobrem ex Concilii Mediolanensis 5. præscripto, ab iis qui ad Presbyteratum promovendi sunt, quærendum est primò, Quid sit Missæ Sacrificium? Quis illius sacrificii effectus? Quæ ejusdem partes; Quæ mysteria in eo sint? Quæ sacrarum vestium significationes? Quæ in eo Sacrificio offerendo requirantur? ubi & quando illud fieri non licet? Quæ dubia aliquando incidere possint? Quæ explicatione opus habeant, ut illud rectè fiat? Tum explorandum est an sacræ Confessionis aliquam peritiam habeant; an ad alia item Sacramenta

De quibus interrogari debent, qui ad Presbyteratum sunt promovendi.

re-

PARS I. Art. 7. §. ult.

rectè ritéque ministranda idonei sint: an eorum cognitionem explicatiorem habeant: an doctrinam teneant, quâ verbum Dei rectè tractare, Concionémve habere possint; anque de re sacra, de Christianarum Virtutum officiis, atque de omni re ad salutem necessaria, aptè Populum instruere, aut docere possint?

Religiosorum habenda ratio.

766. Aliquam tamen habendam esse rationem Virorum Religiosorum, qui perpetuò delitescere amant in suis Monasteriis, & ad nullas Animarum Curas, ad nullas functiones hierarchicas evocari, quales sunt Carthusiani, Camaldulenses, Grandimontenses, Cistercienses, &c. statuit Synodus Coloniensis anno 1549. ut scilicet benigniùs cum iis agatur, nec eadem quæ in aliis scientia requiratur. Quam exceptionem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 24. Quæstione 1. Articulo 3. Quæstiuncula 2. ad primum,

Ordinandorū castitas.

767. Nemo ad Sacros Ordines promovendus est, nisi probatæ castitatis, & qui speret Deo autore se continere posse. Ita statuit Concilium Tridentinum, Sessione 23. Cap. 13. *De Reformatione*. Cælibatus enim Ecclesiasticâ Lege Subdiaconatui, ac superioribus Ordinibus annexus est.

De Clericis furtivè ordinatis.

768. Lethaliter peccant, qui vel alieno nomine interrogari se patiuntur, vel aliam personam examini supponunt. Qui enim sine examine ad Ordines promoventur, Ordina-

dinationem furtivè surripiunt; qui verò alienas personas mentiuntur, sacrilego huic furto cooperantur; utrique Ecclesiam ludificantur & impiè subsannant. Hinc Pontificale Romanum hunc Ritum in Ordinatione præscribit, ut antequam Ordinationes celebrentur, aliquis nomine Episcopi ordinaturi sub pœna Excommunicationis præcipiat, *Ne quis non descriptus, examinatus, approbatus, & nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere.*

De Ordinandoris Titulo.

769. Nullus ad Subdiaconatum promoveri debet sine legitimo Titulo sive Beneficii, sive Patrimonii: ita tamen ut quoscumque Beneficium Ecclesiasticum obtinentes ordinare possit Episcopus, si nullum aliunde canonicum impedimentum habeant, & idonei judicentur: ad Titulum verò Patrimonii vel Pensionis eos tantùm ordinare possit, quos Ecclesiis suis necessarios vel utiles judicaverit. Concilium Tridentinum, Sessione 21. Cap. 2. De Reformatione. Ad Titulum autem Patrimonii non potest ordinari, cui nulla bonorum patrimonialium portio assignata est, si quidem perspectum prius esse debet Episcopo, Patrimonium vel pensionem ab eo qui ad Sacros Ordines promovendus est; verè obtineri, & ad vitam congruè sustentandam sufficerè ex laudato Concilii Tridentini decreto, quô præterea statuitur, ut Patrimonium illud vel pensio in Titulum Clerico promovendo assignata, alienari,

Quid de Titulo Patrimonii.

PARS I. Art. 7. §. ult.

nari, extingui, aut remitti non poſſit ſine licentia Epiſcopi: quod caveri non poteſt de Bonis, quæ actu non poſſidentur, ſed ſpe dumtaxat ex Jure ad Paternam hęreditatem.

Quid Regulares loco Tituli exhibere tenentur?

770. Regulares Religioſæ Profeſſionis teſtificationem loco Tituli exhibere tenentur, cujus Ratihabitionem in Scriptis ac Juramento firmatam Epiſcopus ab ipſis exigere poteſt. Pius V. Conſtit. quæ incipit *Romanus Pontifex* edita prid. Id. Octob. 1568.

Ordinandi certæ Eccleſiæ adſcribendi.

771. Nullus ordinandus eſt, niſi certæ adſcribatur Eccleſiæ, quam ſi deſerat inconſulto Epiſcopo, à Sacris Miniſteriis ſuſpendi debet. Tridentina Synodus Seſſione 23. Cap. 16. De Reformatione.

Ordinandorũ conſenſus.

772. Ordinandorum conſenſus neceſſarius eſt, adeo ut irrita eſſet Ordinatio, quæ prorſus renitenti & reluctanti, & qui nulla ratione ad conſentiendum adduci poſſet, conferretur. Quod enim declaravit *Innocentius III.* Cap. *Majores*, Extra, *De Baptiſmo & ejus effectu*, quod *Ille qui numquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem ſuſcipit Sacramenti*, non minùs de Ordinatione, quàm de Baptiſmo verum eſt. Qui tamen conditionali coactione (ut loquuntur Canonici Juris Interpretes) ordinati ſunt, id eſt, conditionaliter voluerunt, quod aliàs abſolutè noluiſſent, eorum Ordinatio valida eſt, ut docent *S. Raymundus* 3. P. Summæ, Tit. *De Ætate Ordinandorum*, §. 16. aliique Juris Canoni-

nonici Commentatores. Vide Tomo seq. sive 2. p. hujus Compendii Appendicem ad hoc Sacramentum, ubi de Impedimentis Ordinandorum, & Irregularitatibus, De Vita & Honestate Clericorum, De Beneficiis Ecclesiasticis, De Simonia, & de Horis Canonicis.

ARTICULUS ULTIMUS.

DE

SACRAMENTO MATRIMONII.

§. I.

Quid Matrimonium? Quotupliciter accipitur? Quo fine contrahendum? Quis hujus Sacramenti effectus?

773. Matrimonium Tridentini Concilii Catechismus ex communi Theologorum sententia sic definit: *Matrimonium est viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Cùm autem spectari dupliciter possit Matrimonium, primò ut naturæ officium, sive ut naturalis conjunctio: (non enim ab hominibus, sed à natura inventum est:) vel ut Sacramentum, cujus vis naturalium rerum conditionem superat; ad ipsum priori modo consideratum hæc definitio pertinet. Ut Sacramentum verò sic definiri potest: *Matrimo-*

Definitio Matrimonii.

Definitio quatenus est Officiū naturæ.

Definitio quatenus

PARS I. Art. ult. §. 1. *Sacramẽtum.* *monium est signum sensibile conjunctionis Christi cum Ecclesia à Christo institutum, promissionem habens gratiæ, personas legitimè conjunctas ad individuam vitæ societatem unientis.*

Matrimonii dividitur in legitimũ ratum, & consummatũ. 774. Matrimonium tripliciter dividitur. Aliud dicitur *Legitimum*, id est secundùm Leges Gentium legitimè contractum, non autem in Fide Christi; Aliud dicitur *Ratum*, id est, ab Ecclesia approbatum, quod inter Christi Fideles legitimè contrahitur.

775. Aliud dicitur *Consummatum*, quod carnali copulâ interveniente facit ut *Duo sint in carne una, & Jam non sint duo, sed* Genes. 2. Matth. 19 *una caro*. Et hoc dicitur perfectum Matrimonium: perfectum intelligo quantùm ad significationem. Quamvis enim Matrimonium ante copulam perfectum sit quantùm ad vinculum, & sanctum sanctitate Sacramenti, imò tantò sanctius, quantò magis à carnali conjunctione alienum; tamen perfectum non est quantùm ad significationem, quia non omnia illa significat, quæ significaret carnali copulâ consummatum. Matrimonium enim ante copulam significat quidem charitatem quæ consistit in conjunctione Dei cum Anima justi, secundùm illud 2. Cor. 6. 19. Apostoli: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*: Post copulam verò significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ corpus ejus mysticum est, & quam sibi desponsavit per Incarnationis Mysterium, ut docet

Inno-

Innocentius III. Cap. *Debitum,* Ext. *De Bigamis non ordinandis.*

PARS I. Art. ult. §. 1.

Matrimonii consummatio ad illius essentiam non pertinet.

776. Consummatio tamen Matrimonii ad illius essentiam non pertinet. Verum enim Matrimonium intercessisse inter Deiparam Virginem & S. Joseph, quem *Virum Mariæ* Evangelium vocat, universi Theologi Catholici docent; cùm tamen fidei dogma sit, Beatam Virginem numquam virum cognovisse, & intemeratam ac illibatam virginitatem perpetuò servasse.

Quibus de causis Vir & Mulier conjungi debeant.

777. Concilii Tridentini Catechismus, cùm explicat quibus de causis vir & mulier conjungi debeant. „ Prima est inquit; ipsa „ diversis sexûs naturæ instinctu expetita so„ cietas, mutui auxilii spe conciliata, ut al„ ter alterius ope adjutus vitæ incommoda „ faciliùs ferre, & senectutis imbecillitatem „ sustentare queat.

778. „ Altera est procreationis appeti„ tus, non tam quidem ob eam rem ut bo„ norum & divitiarum hæredes relinquan„ tur, quàm ut veræ fidei & religionis cul„ tores educentur: quod quidem maximè „ Sanctis illis Patriarchis, cùm uxores du„ cerent, propositum fuisse, ex Sacris Lite„ ris satis apparet. Quare Angelus, cùm „ *Tobiam* admoneret, quo pacto mali Dæ„ monis vim posset repellere: *Ostendam tibi*, inquit, *qui sunt, quibus prævalere potest Dæmonium. Hi námque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente exclu-*

PARS I. Art. ult. §. 1.

excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem Dæmonium super eos. Deinde subjecit: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* „Atque una „etiam hæc causa fuit, cur Deus ab initio „Matrimonium instituerit.

779. „Tertia est, quæ post primi pa„rentis lapsum ad alias causas accessit: cùm „propter justitiæ, in qua homo conditus „erat, amissionem, appetitus rectæ rationi „repugnare cœpit; ut scilicet, qui sibi im„becillitatis suæ conscius est, nec carnis pu„gnam vult ferre, Matrimonii remedio ad „vitanda libidinis peccata utatur, de quo „ita Apostolus scribit 1. ad Corinthios 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum* „*habeat.* At paulò post cùm docuisset, in„terdum orationis causa à Matrimonii de„bito abstinendum esse, subjecit: *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter continentiam vestram.*

780. „Hæc igitur sunt causæ, quarum „aliquam sibi proponere quisque debet, qui „piè & religiosè, ut Sanctorum filios decet, „Nuptias velit contrahere. Quòd si ad eas „causas aliæ etiam accedant, quibus homi„nes inducti Matrimonium ineant, atque in „habendo uxoris delectu hanc illi præpo-

„nant

„ nant, ut hæredis relinquendi desiderium, „ divitiæ, forma, generis splendor, morum „ similitudo: hujusmodi sanè rationes dam„ nandæ non sunt, cùm Matrimonii sancti„ tati non repugnent. Neque enim in sacris „ Literis Jacob Patriarcha reprehenditur, „ quòd *Rachelem*, ejus pulchritudine illectus, „ *Liæ* prætulerit.

PARS I. Art. ult. §. 1.

781. Christiani itaque viri & mulieres, non jungantur Matrimonio, nisi priùs Dei voluntatem multis ac ferventissimis precibus exquisierint, *Non victi libidine, sed ducti pietate*; Veteris Testamenti Justos quantum ad intentionis puritatem in ducendis uxoribus imitentur, *Qui non propter hoc sæculum, sed propter Christum conjuges, & propter Christum patres fuerunt*; (ut loquitur *S. Augustinus* Libro *de Bono Conjugali*, Cap. ultimo.) Matrimonio copulentur, non solùm ut filios habeant, sed ut eos Christo lucrentur, & in disciplina & timore Domini eos instituant. Non enim jam felicitas est habere filios, sed habere bonos; eosque sic instituere ut *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*.

Ante Matrimoniū, Dei Voluntas exquirenda.

782. Matrimonii Sacramentum gratiam conferre, dogma fidei est. Hanc scilicet Quæstionem à veteribus quibusdam Theologis, præsertim à *Durando*, & nonnullis etiam Juris Canonici Commentatoribus ventilatam, Concilium Tridentinum finivit Canone primo Sessionis 24. Per hanc

Matrimonii, effectus Gratia.

PARS I. Art. ult. §. 1.

Gratia Sacramẽti Matrimonii quid præstet conjugibus?

gratiam fit ut vir & uxor mutuæ caritatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienósque & illicitos amores, & concubitus non quærat; sed in omnibus sit honorabile connubium & thorus immaculatus. Per hanc gratiam fit ut Matrimonium, quod in remedium concupiscentiæ institutum est, ipsam refrænet atque coërceat. Nisi enim Matrimonio gratia conferretur, concupiscentiam potiùs augeret quàm moderaretur Matrimonii usus. Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges quærant prolem, non tantùm quæ nascatur mundo, sed quæ renascatur & consecretur Christo. Unde *S. Augustinus*, Lib. 1. *De Nuptiis & Concupiscentia*, Cap. 17. *In Nuptiis*, inquit, *bona Nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum: sed proles non ut nascatur tantùm, verùm etiam ut renascatur: nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam*. Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges inviolatam ac individuam fidem sibi mutuò servent. Per hanc gratiam fit ut prolem parentes enutriant & instituant *In disciplina & correptione Domini*; ut monet Apostolus ad *Ephesios* 6. Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges onera & incommoda Matrimonii ferant, quæ Apostolus his verbis significavit: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*. Quam tribulationem experiuntur conjugati *In suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis at-*

que

que nutriendis, in timoribus & mœroribus orbitatis, Quotus enim quisque, cùm se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? inquit *S. Augustinus* Libro *De Sancta Virginitate*, Cap. 16. Ad hanc tribulationem tolerandam gratia Sacramentalis Christianos conjuges juvat. Per hanc denique gratiam fit, ut spe prolis amissâ, perpetuò & concorditer conjuncti ad mortem usque permaneant: utque Christianus conjux etiam malum conjugem ferat, ut eum Christo lucrifaciat & sanctificet.

PARS I. Art. ult. §. 2.

§. II.

De Materia, Forma, & Ministro Matrimonii.

183. DE Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii Theologi disputant, Ecclesia silet. Quidam personas ipsas contrahentes, materiam; verba verò consensum exprimentia, formam esse volunt. Alii verba ipsa, seu consensum mutuum verbis vel signis expressum materiam & formam diversâ consideratione esse ajunt; materiam quatenus determinantur, formam quatenus determinant. Atque huic opinioni patrocinari videtur *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 26. Quæst. 2. Art. 1. ad 1.

De Materia, Forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii variæ Theologorum sententiæ.

784. *Melchior Cano, Estius, Silvius*, aliique clarissimi Theologi, formam Sacra-

Cano, Estius, Sylvius

PARS I. Art. ult. §. 2. vius. menti Matrimonii non verba conjugum, sed verba Sacerdotis Matrimonium celebrantis esse censent, in Romano Rituali præscripta, vel alia æquivalentia, secundùm uniuscujusque Ecclesiæ Ritum.

De Ministro. 785. Ministros Sacramenti Matrimonii posteriorum Scholasticorum pars maxima ipsos esse contrahentes asserit, quòd verba mutuum exprimentia consensum formam esse hujus Sacramenti persuasum habeant: hæc autem ab ipsis conjugibus proferantur:

Plures Scholastici censent esse Contrahentes. Illíque opinioni præsidium quærunt ex verbis *Eugenii* IV. in Decreto pro Instructione Armenorum post Synodum Florentinam edito: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Et ex verbis *S. Thomæ in* 4. *Sententiarum*, Dist. 26. Quæst. 2. Art. 1. ad primum respondentis, Verba quibus consensus Matrimonialis exprimitur esse formam hujus Sacramenti, non autem Benedictionem Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale dumtaxat, id est, sacra Ceremonia ad Sacramenti solemnitatem ex Ecclesiæ Institutione accedens.

786. At vero maximi nominis & eruditionis eximiæ Theologi proximè laudati solum Sacerdotem proprium esse Sacramenti Matrimonii Ministrum propugnant; adeò

Alii solum Sacerdotem. ut sine Sacerdote verba proferente contractum Matrimonium, quamvis ratum sit, (si nihil desideretur eorum quæ ad ipsam contra-

tractûs substantiam pertinent, vel Ecclesiæ Legibus præscripta sunt;) Sacramentum tamen minimè censendum sit. Quin & veteres Theologos opinionis hujus patronos laudat *Cano*, scilicet *Guillelmum Parisiensem* Lib. *De Sacramentis*, Tractatu *De Matrimonio*, & *Petrum Paludanum* in 4. *Sententiarum*, Dist. 5. Quæst. 2. Nam cùm vir & fœmina civiliter contrahunt, etiamsi peccatores sint, nec Pœnitentiam agant, non credit eos esse reos sacrilegii: id quod nullo modo probabile esset, si ejusmodi Matrimonium esset verum Ecclesiæ Sacramentum. Omnes quippe sine controversia sacrilegi sunt, qui post peccatum mortale sine Pœnitentia Christi Sacramenta suscipiunt. Atque ipsum etiam Theologorum Principem *S. Thomam* huic opinioni subscripsisse probat, scilicet in 4. *Sententiarum*, Dist. 1. Quæst.2. Art.3. ad quintum.

787. Et *Secunda Secundæ*, Quæstione centesima, Articulo 2. ad sextum: *Dare pecuniam pro Matrimonio, in quantum est Ecclesiæ Sacramentum, illicitum est; & ideò secundùm Jura prohibetur, ne pro Benedictione Nuptiarum aliquid detur.* *S. Thomas*

788. Et in ipso Supplemento 3. Partis ex 4. *Sententiarum* collecto, Quæst.8. Art.1. *Gratia quæ in Sacramentis datur, à Capite in membra descendit: & ideò solus ille Minister est Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet Ministerium super Corpus,*

PARS I. Art. ult. §. 2.

Christi verum, quod solius Sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest. Quæst. 22. Articulo 2. *Respondeo, quòd Sacramenta in quibus gratia confertur, dispensare ad solos Sacerdotes pertinet.* Quæstione 31. Articulo 1. *Nullius Sacramenti dispensatio Laïcis ex officio competit.*

Arbitraria hic Opinionũ electio.

789. Ceterùm varias illas Theologorum Opiniones circa materiam, formam, ac Ministrum Sacramenti Matrimonii proponimus tantùm ac referimus: quam libuerit, quisque sequatur, cùm de his Quæstionibus nihil pronuntiaverit Ecclesia, illásque Theologorum disputationi permittat.

De Matrimonio per Procuratores.

790. Hinc verò dubium est, an Matrimonium per Procuratores inter Fideles absentes contractum sit verè Sacramentum. Ea enim de re pariter variæ sunt Theologorum sententiæ, & probabiles utrimque rationes. Quam ob rem consultius erit, ut, qui Matrimonium ita contraxerunt, coram positi contractum ratum habeant, iterata etiam benedictione Nuptiali, ne fortè consensus interrupti fuerint, vel Sacramenti ratio hujusmodi Matrimonio desit; maximè cùm fieri possit, ut revocata fuerit procuratio ignorante procuratore, & ea cum qua alterius nomine contraxit: quo casu Matrimonium non solum Sacramentum non esset; sed omninò nullum & irritum existeret, ut constat ex Cap. Procurator. Tit. *De Procuratoribus* in 6.

§. *III.*

§. III.

De Polygamia.

791. Polygamia à Matrimonii natura aliena est. Hanc Propositionem Concilii Tridentini Catechismus probat ex illis Christi Domini verbis Matth. 19. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: Ac deinde subjungit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*. Ex quibus verbis constat, Matrimonium ita à Deo institutum esse, ut duorum tantùm, non plurium conjunctione definiretur. Non enim ait: Masculum & feminas fecit, sed *Masculum & feminam*: Nec, *Adhærebit uxoribus suis*, sed, *Uxori*, nec, tres, vel plures erunt in carne una, sed, *duo in carne una*. Igitur unam uni perpetuò conjungendam edixit: quod ex his Domini verbis colligunt *S. Joannes Chrisostomus*, *S. Hieronymus*, *Venerabilis Beda*, *Theophylactus*, *Euthymius*, & *Innocentius III.* Pontifex Maximus Cap. *Gaudemus*, Ext. *De Divortiis*.

Polygamia repugnat Matrimonio.
Matth. 19

792. Idem probant ista Salvatoris verba ab eodem Evangelista ibidem relata: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alii* *Ibidem.*

PARS I. Art. ult. §. 3.

nupserit, mœchatur. Nam si viro liceret plures simul uxores ducere, nulla omninò causa esse videretur, cur magis adulterii reus dicendus esset, quòd præter eam uxorem quam domi haberet, aliam duceret, quàm quòd, priore dimissâ, cum aliâ conjungeretur.

Innocentius III.

793. Ita colligit *Innocentius III.* loco mox indicato: *Si ergo* (inquit) *uxore dimissâ duci alia de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia judicentur circa Matrimonium, reprobandam*. Pares sunt in re Matrimonii vir & mulier, *Innocentio III.* Judice: Cùm ergo mulieri non liceat plures habere viros; nec viro licet plures habere uxores. Quæ ratio ex Apostolo sumpta est 1. ad Corinthios 7. scribente: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Uxori vir debitum reddat*. Quamvis igitur pluralitas uxorum fœcunditatem non tollat, primarióque fini Matrimonii, scilicet procreationi liberorum, eo nomine non repugnet, sicut repugnat pluralitas virorum respectu unius uxoris: id tamen adversatur honestati, juríque conjugali. Uxori namque fieret injuria, si corpus viri, cujus dominium in ipsam Matrimonii contractu translatum est, alteri traderetur.

Etiam fini

794. Finem præthereà secundarium Matri-

trimonii, si non omninò tollit, certè multum impedit polygamia, cùm facile pax in familia conservari non possit, ubi plures uxores uni viro junguntur: siquidem plurimum in uno officio communicatio invidiam parit, invidia verò lites, rixas, odia. Quamobrem *Pluralitas uxorum est quodammodo contra legem naturæ*; (inquit *S.Thomas.*) Cæterùm Divino Juri prorsùs repugnat, & institutioni Sacramenti, quod ita institutum à Christo est, ut esset unius cum una indissolubilis conjunctio, ejusdem Salvatoris conjunctionem cum Ecclesia, unius Viri cum una Sponsa castissima significans. Ideo Lex Valentiniani Imperatoris, quâ pluralitatem uxorum licitam esse voluit, ut *Justinam* vivente adhuc *Severa* conjuge superducere posset, communi omnium consensu improbata est. *Possit enim homo dimittere sterilem uxorem*, (inquit *S.Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, Cap. 7.) *& ducere de qua filios habeat: & tamen non licet; & nostris quidem jam temporibus ac more Romano, nec superducere, ut ampliùs habeat quàm unam vivam.* Idemque asserit Cap. 15. & rursus Libro 22. *Contra Faustum*, Cap. 47. & Libro 3. *De Doctrina Christiana*, Cap. 18.

PARS I. Art. ult. §. 3. *secundario Matrimonii Polygamia repugnat.*

795. Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut si Infidelis quispiam, gentis suæ more & consuetudine, plures uxores duxisset, cùm ad veram Religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia cæteras omnes relinquere;

Infidelis conversus cæteras, præter primam Uxores

PARS I. Art. ult. §. 1.

Gratia Sacramẽti Matrimonii quid præstet conjugibus?

gratiam fit ut vir & uxor mutuæ caritatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienósque & illicitos amores, & concubitus non quærat; sed in omnibus sit honorabile connubium & thorus immaculatus. Per hanc gratiam fit ut Matrimonium, quod in remedium concupiscentiæ institutum est, ipsam refrænet atque coërceat. Nisi enim Matrimonio gratia conferretur, concupiscentiam potiùs augeret quàm moderaretur Matrimonii usus. Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges quærant prolem, non tantùm quæ nascatur mundo, sed quæ renascatur & consecretur Christo. Unde *S. Augustinus*, Lib. 1. *De Nuptiis & Concupiscentia*, Cap. 17. *In Nuptiis*, inquit, *bona Nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum: sed proles non ut nascatur tantùm, verùm etiam ut renascatur; nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam*. Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges inviolatam ac individuam fidem sibi mutuò servent. Per hanc gratiam fit ut prolem parentes enutriant & instituant *In disciplina & correptione Domini*; ut monet Apostolus ad *Ephesios* 6. Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges onera & incommoda Matrimonii ferant, quæ Apostolus his verbis significavit: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*. Quam tribulationem experiuntur conjugati *In suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis at-*

que

que nutriendis, in timoribus & mœroribus orbitatis, Quotus enim quisque, cùm se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? inquit *S. Augustinus* Libro *De Sancta Virginitate*, Cap. 16. Ad hanc tribulationem tolerandam gratia Sacramentalis Christianos conjuges juvat. Per hanc denique gratiam fit, ut spe prolis amissâ, perpetuò & concorditer conjuncti ad mortem usque permaneant: utque Christianus conjux etiam malum conjugem ferat, ut eum Christo lucrifaciat & sanctificet.

PARS I. Art. ult. §. 2.

§. II.

De Materia, Forma, & Ministro Matrimonii.

783. DE Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii Theologi disputant, Ecclesia silet. Quidam personas ipsas contrahentes, materiam; verba verò consensum exprimentia, formam esse volunt. Alii verba ipsa, seu consensum mutuum verbis vel signis expressum materiam & formam diversa consideratione esse ajunt; materiam quatenus determinantur, formam quatenus determinant. Atque huic opinioni patrocinari videtur *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 26. Quæst. 2. Art. 1. ad 1.

De Materia, Forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii variæ Theologorum sententiæ.

784. *Melchior Cano, Estius, Silvius*, aliique clarissimi Theologi, formam Sacra-

Cano, Estius, Sylv.

PARS I. Art. ult. §. 2. vius.

menti Matrimonii non verba conjugum, sed verba Sacerdotis Matrimonium celebrantis esse censent, in Romano Rituali præscripta, vel alia æquivalentia, secundùm uniuscujusque Ecclesiæ Ritum.

De Ministro.

785. Ministros Sacramenti Matrimonii posteriorum Scholasticorum pars maxima ipsos esse contrahentes asserit, quòd verba mutuum exprimentia consensum formam esse hujus Sacramenti persuasum habeant: hæc autem ab ipsis conjugibus proferantur:

Plures Scholastici censent esse Contrahentes.

Illíque opinioni præsidium quærunt ex verbis *Eugenii* IV. in Decreto pro Instructione Armenorum post Synodum Florentinam edito: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Et ex verbis *S. Thomæ in* 4. *Sententiarum*, Dist.26. Quæst.2. Art. 1. ad primum respondentis, Verba quibus consensus Matrimonialis exprimitur esse formam hujus Sacramenti, non autem Benedictionem Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale dumtaxat, id est, sacra Ceremonia ad Sacramenti solemnitatem ex Ecclesiæ Institutione accedens.

786. At vero maximi nominis & eruditionis eximiæ Theologi proximè laudati solum Sacerdotem proprium esse Sacramenti Matrimonii Ministrum propugnant; adeò

Alii solum Sacerdotem.

ut sine Sacerdote verba proferente contractum Matrimonium, quamvis ratum sit, (si nihil desideretur eorum quæ ad ipsam contra-

tractûs ſubſtantiam pertinent, vel Eccleſiæ Legibus præſcripta ſunt;) Sacramentum tamen minimè cenſendum ſit. Quin & veteres Theologos opinionis hujus patronos laudat *Cano*, ſcilicet *Guillelmum Pariſienſem* Lib. *De Sacramentis*, Tractatu *De Matrimonio*, & *Petrum Paludanum* in 4. *Sententiarum*, Diſt. 5. Quæſt. 2. Nam cùm vir & fœmina civiliter contrahunt, etiamſi peccatores ſint, nec Pœnitentiam agant, non credit eos eſſe reos ſacrilegii; id quod nullo modo probabile eſſet, ſi ejuſmodi Matrimonium eſſet verum Eccleſiæ Sacramentum. Omnes quippe ſine controverſia ſacrilegi ſunt, qui poſt peccatum mortale ſine Pœnitentia Chriſti Sacramenta ſuſcipiunt. Atque ipſum etiam Theologorum Principem *S. Thomam* huic opinioni ſubſcripſiſſe probat, ſcilicet in 4. *Sententiarum*, Diſt. 1. Quæſt. 2. Art. 3. ad quintum, PARS I. Art. ult. §. 2.

787. Et *Secunda Secundæ*, Quæſtione centeſima, Articulo 2. ad ſextum: *Dare pecuniam pro Matrimonio, in quantum eſt Eccleſiæ Sacramentum, illicitum eſt; & ideò ſecundùm Jura prohibetur, ne pro Benedictione Nuptiarum aliquid detur.* S. Thomas

788. Et in ipſo Supplemento 3. Partis ex 4. *Sententiarum* collecto, Quæſt. 8. Art. 1. *Gratia quæ in Sacramentis datur, à Capite in membra deſcendit: & ideò ſolus ille Miniſter eſt Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet Miniſterium ſuper Corpus*

PARS I. Art. ult. §. 2.

Christi verum, quod solius Sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest. Quæst. 22. Articulo 2. *Respondeo, quòd Sacramenta in quibus gratia confertur, dispensare ad solos Sacerdotes pertinet*. Quæstione 31. Articulo 1. *Nullius Sacramenti dispensatio Laïcis ex officio competit*.

Arbitraria hic Opinionũ electio.

789. Ceterùm varias illas Theologorum Opiniones circa materiam, formam, ac Ministrum Sacramenti Matrimonii proponimus tantùm ac referimus: quam libuerit, quisque sequatur, cùm de his Quæstionibus nihil pronuntiaverit Ecclesia, illásque Theologorum disputationi permittat.

De Matrimonio per Procuratores.

790. Hinc verò dubium est, an Matrimonium per Procuratores inter Fideles absentes contractum sit verè Sacramentum. Ea enim de re pariter variæ sunt Theologorum sententiæ, & probabiles utrimque rationes. Quam ob rem consultius erit, ut, qui Matrimonium ita contraxerunt, coram positi contractum ratum habeant, iterata etiam benedictione Nuptiali, ne fortè consensus interrupti fuerint, vel Sacramenti ratio hujusmodi Matrimonio desit; maximè cùm fieri possit, ut revocata fuerit procuratio ignorante procuratore, & ea cum qua alterius nomine contraxit: quo casu Matrimonium non solum Sacramentum non esset; sed omninò nullum & irritum existeret, ut constat ex Cap. Procurator. Tit. *De Procuratoribus* in 6.

§. III.

§. III.

De Polygamia.

791. POlygamia à Matrimonii natura aliena eſt. Hanc Propoſitionem Concilii Tridentini Catechiſmus probat ex illis Chriſti Domini verbis Matth. 19. *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: Ac deinde ſubjungit: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*. Ex quibus verbis conſtat, Matrimonium ita à Deo inſtitutum eſſe, ut duorum tantùm, non plurium conjunctione definiretur. Non enim ait: Maſculum & feminas fecit, ſed *Maſculum & feminam*: Nec, *Adhærebit uxoribus ſuis*, ſed, *Uxori*, nec, tres, vel plures erunt in carne una, ſed, *duo in carne una*. Igitur unam uni perpetuò conjungendam edixit: quod ex his Domini verbis colligunt *S. Joannes Chriſoſtomus, S. Hieronymus, Venerabilis Beda, Theophylactus, Euthymius*, & *Innocentius III.* Pontifex Maximus Cap. *Gaudemus*, Ext. *De Divortiis*.

Polygamia repugnat Matrimonio.

Matth. 19

792. Idem probant iſta Salvatoris verba ab eodem Evangeliſta ibidem relata: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nup-*

Ibidem.

PARS I. Art. ult. §. 3.

nupserit, mœchatur. Nam si viro liceret plures simul uxores ducere, nulla omninò causa esse videretur, cur magis adulterii reus dicendus esset, quòd præter eam uxorem quam domi haberet, aliam duceret, quàm quòd, priore dimissâ, cum aliâ conjungeretur.

Innocentius III.

793. Ita colligit *Innocentius III.* loco mox indicato: *Si ergo* (inquit) *uxore dimissâ duci alia de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia judicentur circa Matrimonium, reprobandam*. Pares sunt in re Matrimonii vir & mulier, *Innocentio III.* Judice: Cùm ergo mulieri non liceat plures habere viros; nec viro licet plures habere uxores. Quæ ratio ex Apostolo sumpta est 1. ad Corinthios 7. scribente: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Uxori vir debitum reddat*. Quamvis igitur pluralitas uxorum fœcunditatem non tollat, primarióque fini Matrimonii, scilicet procreationi liberorum, eo nomine non repugnet, sicut repugnat pluralitas virorum respectu unius uxoris: id tamen adversatur honestati, juríque conjugali. Uxori namque fieret injuria, si corpus viri, cujus dominium in ipsam Matrimonii contractu translatum est, alteri traderetur.

Etiam fini

794. Finem prætereà secundarium Matri-

trimonii, si non omninò tollit, certè multum impedit polygamia, cùm facile pax in familia conservari non possit, ubi plures uxores uni viro junguntur: siquidem plurimum in uno officio communicatio invidiam parit, invidia verò lites, rixas, odia. Quamobrem *Pluralitas uxorum est quodammodo contra legem naturæ*; (inquit *S.Thomas.*) Cæterùm Divino Juri prorsus repugnat, & institutioni Sacramenti, quod ita institutum à Christo est, ut esset unius cum una indissolubilis conjunctio, ejusdem Salvatoris conjunctionem cum Ecclesia, unius Viri cum una Sponsa castissima significans. Ideo Lex Valentiniani Imperatoris, quâ pluralitatem uxorum licitam esse voluit, ut *Justinam* vivente adhuc *Severa* conjuge superducere posset, communi omnium consensu improbata est. *Possit enim homo dimittere sterilem uxorem*, (inquit *S.Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, Cap. 7.) *& ducere de qua filios habeat: & tamen non licet; & nostris quidem jam temporibus ac more Romano, nec superducere, ut ampliùs habeat quàm unam vivam.* Idemque asserit Cap. 15. & rursus Libro 22. *Contra Faustum*, Cap. 47. & Libro 3. *De Doctrina Christiana*, Cap. 18.

PARS I. Art. ult. §. 3. *secundario Matrimonii Polygamia repugnat.*

795. Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut si Infidelis quispiam, gentis suæ more & consuetudine, plures uxores duxisset, cùm ad veram Religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia cœteras omnes relinquere;

Infidelis conversus cœteras, præter primam Uxores

PARS I. Art. ult. §. 2. *dimittere jubetur.*

quere; ac priorem tantùm justæ & legitimæ uxoris loco habere; ut habetur Cap. *Gaudemus*, Ext. *De Divortiis*. Meritò itaque Tridentinum Concilium Sessione 24. *De Matrimonio* pronuntiavit: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum; Anathema sit.*

Accusandi non sunt prisci Patres ob Polygamiam.

796. Tamen accusandi non sunt prisci Patres, qui Veteris Legis tempore plures uxores duxerunt, ut ex Scriptura Sacra probare facile est, quæ veteribus illis Patriarchis singulare sanctitatis testimonium perhibet. Unde & Matthæi 8. promittitur electis fore ut *Recumbant cùm Abraham, Isaac, & Jacob in Regno cœlorum*. Præterea si Polygamia illorum crimen fuisset, Deus *Davidem*, in ea hypothesi toties adulterum, non reliquisset impunitum, in quem ob vel unicum adulteriū tam graviter animadvertit: nec *Joiada* Summus Sacerdos in Scriptura Sacra laudatus *Joaso* Regi Juda duas uxores tradidisset, si alteram sine crimine habere non potuisset.

797. At, inquies, Polygamia naturæ legi repugnat: quâ ergo ratione excusari possunt prisci Patres & Reges polygami?

Quomodo excusentur?

Respondetur, Legem de unitate uxoris divinam quidem & naturalem esse, sed ex earum numero in quibus Deus dispensare potest, & reverà dispensavit. Quædam enim ad legem naturæ primariò pertinent, qualia sunt

sunt hæc præcepta; Deus amandus est, parentes honorandi, vitandum homicidium, adulterium, furtum, mendacium. In his Deus ipse dispensare non potest: cædes enim hominis privatâ auctoritate, & injustè perpetrata, adulterium, furtum, mendacium, per se mala sunt, ideóque semper & ubique illicita. Quædam secundariò pertinent ad legem naturæ, quæ cùm per se mala non sint, sed ideò tantùm mala, quia prohibita, Dei auctoritate & dispensatione licita fieri possunt, ut Polygamiæ prohibitio. Deus autem priscis illis Patribus concessit ut plures uxores ducerent ad propagationem Populi Dei, certorúmque Mysteriorum significationem. *Quædam primariò, quædam secundariò ad legem naturæ pertinent.*

§. IV.

De Indissolubilitate Matrimonii.

798. Conjugii vinculum nullâ re nisi morte solvitur. Catholicum istud Dogma luculentè probant Christi verba, Matthæi 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Marci 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Si conjugii vinculum aliquâ ex causâ Christianos inter Conjuges solvi posset, liceret eis, facto justas ob caus- *Matrimonium indissolubile.*

PARS I. Art. ult. §. 4.

ſas divortio, ſine ullo adulterii crimine aliis nubere: atqui Dominus apertè denunciat, omnem qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam ipſa ſuperſtite duxerit, adulterii reum fore, & pariter adulteram fore uxorem, quæ dimiſſo viro alteri nupſerit: itaque conjugii vinculum nullâ re niſi conjugis morte ſolvi poteſt.

Concilium Tridentinum.

799. Meritò itaque ſacra Synodus Tridentina Seſſione 24. *De Matrimonio,* Canone 5. ita ſtatuit: *Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à conjuge, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum; Anathema ſit.*

Objectio.

800. Objciunt Caput, *Quod propoſuiſti,* Cauſa 32. Quæſtione 7. quod eſt *Gregorii II.* ad *Bonifacium* Epiſcopum ſcribentis: *Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum eſſet ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret: ſed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere nubat magis: non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non deteſtabilis culpa excludit.*

Reſponſio.

801. Reſpondetur, *Gregorii II.* Reſponſum intelligendum eſſe de infirmitate Matrimonium præcedente, & quæ perpetuam impotentiam adjunctam habebat, ſed tamen ante initum Matrimonium non innotuerat. Non enim ignorabat Pontifex Optimus Domini Sententiam: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

802. Dif-

802. Difficultatem faceſſunt Chriſti verba, Matthæi 19. 9. *Dico autem vobis, Quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Ex qua exceptione Græci, & Hæretici colligunt, illum non mœchari, qui uxorem dimittit ob fornicationem, & aliam ducit. *Objectio altera.*

803. Verùm facilis & obvia reſponſio eſt, Exceptionem illam ad priorem dumtaxat Dominicæ Sententiæ partem ſpectare, ut ſcilicet Chriſtianis ſolâ fornicationis cauſsâ dimittere liceat uxores; non autem ad ſecundam, quaſi non mœchetur qui dimiſsâ adulterâ, duxerit alteram. Utrumque enim mœchari Chriſtus ſignificat, & qui, uxore citra caſum adulterii dimiſsâ, & qui dimiſsâ adultera, alteram duxerit: quamvis gravius ſit crimen ejus qui dimiſsâ uxore innocente ducit aliam, quàm ejus qui dimiſsâ adulterâ conjungitur alteri. Sicut ex his *S. Jacobi* verbis Cap. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*; non rectè colligitur, peccatum non eſſe illi qui neſcit bonum facere, & ideò non facit. Utrumque enim peccatum eſt; ſed hoc gravius, ſi ſciat, & non faciat: nec illud ideò nullum, quia minus. Sunt quippe etiam peccata ignorantium, quamvis minora quàm ſcientium. *Reſponſio.*

804. Deinde ſubobſcùrus *S. Matthæi* locus ab aliis Evangeliſtis ita explanatus eſt, nulla ut ſuperſit difficultatis umbra. Ait

enim

PARS I. Art. ult. §. 4. enim Christus apud S. Marcum: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit.* Ait apud S. Lucam: *Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mæchatur.*

Objectio tertia. 805. Verùm (inquies) Multæ sunt præter fornicationem caussæ ob quas uxorem à thoro dimittere licet: cùm ergo uxorem dimitti non posse Christus ait, nisi ob fornicationem, loquitur de Matrimonii dissolutione quoad vinculum. Respondetur,

Solutio. Id rectè non colligi; quamvis enim multæ sint aliæ causæ ob quas uxorem dimittere liceat ad tempus, nulla tamen est alia ob quam liceat in perpetuum à thoro eliminare. Cùm enim aliis de caussis dimittitur, non absolutè, non in perpetuum, sed ad tempus dimittitur, dum se dimissa & afflicta corrigit, dum insipiens resipiscit, ut ad maritum redeat, si ad mentem redierit. At propter fornicationem absolutè & in perpetuum uxor dimittitur, ita ut, etiamsi se dimissa correxerit, maritus, si nolit, resumere minimè teneatur. Non enim dimittitur ne faciat, sed quia fecit injuriam; non ut culpam corrigat, sed ut reliquo vitæ tempore criminis pœnam luat. Accedit quòd aliæ dimittendæ uxoris caussæ propriæ non sint Matrimonii, sed omnis communes consortii: Adulterium verò caussa est uxoris dimittendæ propria Matrimonii, quia conjugalem fidem violat, quæ Matrimonii quodammodo basis est.

806. Quid

806. Quid ergo (inquies) Christus addidit Legi ? Multa omninò. Primùm quòd in Lege propter adulterium uxor non dimittebatur, sed lapidabatur, & è medio tollebatur. Id Christus, sustulit: Non enim jussit adulteram morti addici, sed dimitti permisit. Addidit prætereà, quòd noluit etiam adulterii caussa dimissæ libellum repudii dare, quo minùs audaces & prompti in dimittendis uxoribus essent viri; si scirent nec sibi, nec uxori licere alias tentare Nuptias, sed solis, dum uterque viveret, esse vivendum. Addidit, quòd innumeras propè caussas, ob quas in Lege uxorem dimittere licebat, resecuit, solámque fornicationem excepit. Addidit, quòd cùm in Lege semel dimissam vir revocare non posset, in Evangelio revocari non quidem jussit, sed optavit, interprete Apostolo; *Maneat*, inquit, *innupta, aut viro suo reconcilietur*. Addidit denique, quòd cùm in Lege uxorem viro, non virum uxori dimittere liceret, in Evangelio parem viri & uxoris caussam esse voluit, ut idem Apostolus explicat.

PARS I. Art. ult. §. 4. *Objectio tacita, & Responsio.*

807. Instabit aliquis: Pharisæi Christum Dominum interrogabant, an ex quacumque causâ invisam & odiosam uxorem dimittere liceret, dimissione utique apud Judæos usitatâ, ita ut separati conjuges novum conjugium inire possent; Respondet autem Dominus: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit,*

Objectio ultima.

PARS I. Art. ult. §. 4.

rit, mœchatur; de illa dimissione loquens de quâ fuerat interrogatus: Alioquin ad propositum non respondisset.

Solutio. 308. Hanc objectionem ita diluimus. Quamvis Christus de dimissione à thoro dumtaxat, non de vinculi dissolutione, de qua fuerat interrogatus, responderit, ad propositum tamen respondit: quia docere voluit quid in Judaicis Divortiis licitè, quid illicitè fieret. Cùm enim duo continerentur in repudio, nempe dimissio perpetua conjugis à thoro; & potestas alteram ducendi, Christus hæc duo distinxit: & illud quidem ob solam adulterii caussam concessit; istud autem omninò negavit & sustulit. Respondit itaque appositè; quæstionis propositæ duas partes distinguens & explicans.

Consuetudo quæ viros repudiata uxore adultera alii nubere permittebat, Dei Legi contraria iudicata est à Patribus Ecclesiæ, & Conciliis.

809. Invaluit quidem aliquando prava illa consuetudo, quæ viro repudiatâ ob adulterium uxore, nubere alteri permittebat, non item uxori à viro adultero separatæ, ut constat ex *S. Basilio* Epistolæ ad *Amphilochium*, Canone 9. Verùm *Origenes* priscos illos Episcopos, contra Scripturam permisisse asserit, dimissis conjugibus adulteris, aliis nubere: vel permiserunt, id est, impunitum reliquerunt, ob graviora mala vitanda: sed tamen non approbarunt. Veruntamen Patres primi ordinis, Pontifices, Generalia, & Nationalia Concilia senserunt atque propugnarunt, conjuges, facto ob adulterium divortio; aliud Matrimonium inire non posse.

810. Dif-

810. Difficultas suboritur aliqua ex veteri Pœnitentiali Romano, Titulo 3. *De fornicatione & incestu diversi generis & ætatis*, Cap. 20. cujus hæc sunt verba: *Contingit tibi ut uxor tua te conscio & hortante cum alio viro, illa autem nolente; adulterium perpetraret: si fecisti, quadraginta dies in pane & aqua pœniteas, & septem annos, unum ex his in pane & aqua, & numquam sis sine pœnitentia. Si autem uxor tua hoc probare potuerit, quòd tuâ culpâ, & tuo jussu, se renuente & luctante adulterata sit, si se continere non potest, nubat cui voluerit, tantùm in Domino. Tu autem sine uxoria spe in perpetuo maneas. Illa autem si consentiens fuerat, eadem jejunet quæ tibi proposita sunt, & sine spe conjugii maneat.* *Objectio ex veteri Pœnitentiali Romano petita.*

811. Respondetur, illo in casu permitti insonti ut nubat, cui voluerit, post obitum conjugis: ut discrimen constituatur inter innocentem uxorem aut minùs ream, & maritum autorem criminis, in hoc quòd maritus, etiam post mortem uxoris, ad cœlibatum velut appendicem Pœnitentiæ teneretur: Uxor verò, marito defuncto, posset ad secundas Nuptias convolare. Olim scilicet hæc pœna in Ecclesia frequentissima fuit, ut qui atrox aliquod crimen commisissent, Nuptiis impedirentur, ne vel ipsi delicatiùs viverent, vel ex eorum stirpe infecta filii ejusdem criminis suspicione notabiles procrearentur. Parricidis hanc pœnam imposuit *Diluitur.*

PARS I. Art. ult. §. 4.

Concilium Moguntinum ſub Rabano. Canone 20. Eamdem adversùs Inceſtuoſos decreverunt Concilium Vermerienſe, Canone 4. & Triburienſe Canone 44. Adversùs adulteros lex eadem olim ab Eccleſia lata eſt, Canone, *Hi verò*, Cauſa 32. Quæſtione 7. Innocentibus autem conjugibus permiſſum eſt, ut poſt mortem ejus qui ſe aliquo hujuſmodi crimine polluerat, ad ſecundas Nuptias tranſirent.

Religioſa Profeſſio Matrimonium non conſummatum ſolvit.

812. At verò Matrimonium ratum, non conſummatum, Monaſticâ Profeſſione diſſolvitur. Hæc Propoſitio nititur Summorum Pontificum, qui omnium Chriſtianorum Patres ſunt & Magiſtri, Reſponſis, ſcilicet *Alexandri III.* Cap. *Verùm*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*, ubi conjugum alteri licitum eſſe docet, *altero etiam repugnante, eligere Monaſterium (ſicut Sancti quidam de Nuptiis vocati fuerunt) dummodò carnalis commiſtio non intervènerit inter eos: & alteri remanenti (ſi commonitus continentiam ſervare noluerit) licitum eſſe ad ſecunda vota tranſire*, (id eſt, novum inire Matrimonium:) *Quia cùm non fuiſſent una caro ſimul effècti, ſatis poteſt unus ad Deum tranſire, & alter in ſæculo remanere.* Quæ circumferuntur Sanctorum exempla, qui de Nuptiis ad Deum vocati, conjuges ante Matrimonii conſummationem reliquerunt, ut Deo ſe conſecrarent, ſunt *S. Theclæ* ex *S. Epiphanio* Hæreſi 78. §. 16. &

Alexander III.

S. Am-

S. Ambrosio Libro 3. *De Virginibus* Cap. 3. *S. Alexii* ex *Metaphraste*, & Breviario Romano: *S. Macarii* Eremitæ, ex Vitis Patrum, Magistro Sententiarum Distinctione 27. litera G. & *Gratiano* Causa 27. Quæst. 2. post Caput *Scripsit nobis*: Sacræ Virginis *Græge oriæ*, ex *S. Gregorio* Libro 2. *Dialogorum*, Cap. 13. *S. Leobardi*, ex *Gregorio Turonensi* Libro *De Vitis Sanctorum Patrum*, Cap. 20. *S. Odithæ* Anglorum Reginæ, ex ejus Vita apud *Surium*, & *S. Edildride* etiam Reginæ, ex Venerabili *Beda* Libro 4. *Historiæ Anglorum*, Cap. 19.

Idem Alexander III. & Innocentius III.

813. Idem rursus docet *Alexander III.* Cap. *Ex publico*, sub eodem titulo Decretalium. *Cæterùm*, inquit, *quia licèt à præfato viro desponsata fuerit, adhuc tamen (sicut asserit) ab ipso est incognita: Mandamus, quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit, receptâ ab ea sufficienti cautione, quòd vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam à Sententia, quâ tenetur, absolvas; Ita quòd si ad Religionem transierit, uterque restituat alteri quod ab eo noscitur recepisse.... Sanè quod Dominus in Evangelio dicit, Non licere viro, nisi ob caussam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est, secundùm interpretationem Sacri Eloquii, de his quorum Matrimonium carnali copula*

PAR. I. Art. ult. §. 4.

est consummatum, *sine qua consummari non potest*. Hæc scilicet verba Genes. 2. *Erunt duo in carne una*, Ex quibus Christus Matth. 19. omnimodam indissolubilitatem Matrimonii colligit, dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*: Ad Matrimonium consummatum dumtaxat pertinent: & in illa specie Deus separat, & non homo, ut dicitur Can. *Scripsit*, Causa 27. Quæstione 2. ex *Nicolao* 1. Eámque explicationem confirmat *Innocentius III.* Cap. *Ad Apostolicam*, sub eodem Titulo.

Concilium Tridentinum.

814. Hæc denique totius Ecclesiæ doctrina est, ut constat ex Concilio Tridentino Sessione 24. *De Matrimonio*, Canone 6. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi; Anathema sit.*

Leges Civiles ulterius progressæ ab Ecclesia emendatæ sunt.

815. Leges quidem civiles ulteriùs progressæ, Matrimonium etiam consummatum professione Religiosa dissolvi declararunt, ut constat ex Novella 23. Justiniani, Cap. 40. Sed hanc Legem tamquàm Divinæ Legi contrariam rejecit Ecclesia, ut constat ex *S. Gregorio* Lib. 9. Epistolis 39. & 44. Solum ergo Matrimonium ratum & non consummatum Religiosa Professione solvitur. Certè ante copulam relictæ conjugi nulla fit injuria; si quæ enim fieret, vel proli, vel sponsæ irrogaretur. At nulla fit proli, siquidem nul-

nullus præcessit congressus; nec sponsæ, cùm integra maneat, nihilque decoris aut honoris amiserit, quò minùs ab alio in conjugem assumi possit. PARS I. Art. ult. §. 4.

816. Objiciet quispiam, Conjugii vinculum nulla re nisi morte alterutrius conjugis dirimi, ut supra demonstratum est. *Obiectio.*

817. Respondetur, Duplex in Matrimonio vinculum inveniri: alterum spirituale, quod solo consensu; alterum carnale, quod copulâ stringitur. Carnale sola mors corporis dissolvit, ut docet Apostolus ad Romanos 7. *Quæ sub viro est mulier*, inquit, *vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri*. Spirituale verò vinculum spirituali morte solvitur, quâ nimirum aliquis mutatione statûs à civili conversatione ita removetur, ut ad eam redeundi spem & potestatem ultra non habeat. Id autem non fit nisi Professione Religiosa, quâ qui se Deo devovet, ita Mundo mortuus est, ut jam nec sui corporis potestatem habeat, quod Deo per votum castitatis consecravit, ac solemni ritu tradidit; nec voluntatem propriam habeat, nec jam ampliùs sit sui juris, cùm Superiorum imperio se per obedientiæ votum mancipaverit: nec deinceps ullius dominii, seu proprietatis ullius sit capax, quibus se per votum paupertatis penitus abdicavit. Unde & Leges Civiles ingressu Religionis, seu Voto solemni Vitæ Monasticæ secundùm Re- *Solutio.*

PARS I. Art. ult. §. 4. gulam ab Ecclesia approbatam, tamquàm morte testatoris, conditum ante testamentum confirmari declarat; adeò ut nec revocari possit, nec mutari; L. *Si quæ mulier*, C. *De Sacrosanctis Ecclesiis*.

Quid facto opus coniugibus ob adulterium separatis.

818. Igitur conjuges facto ob adulterium alterutrius divortio, continentiam servare tenentur, aut conjugibus adulteris reconciliari. *Nam si eligitur continentia ut bonô Nuptiarum melius aliquid capessatur, quantò potiùs custodienda est, ut adulterium caveatur? Cùm enim dixisset Apostolus*, „ Quòd si se non continet, nubat: Meliùs „ est enim, *inquit*, nubere quàm uri. *Non dixit, Melius est mœchari, quàm uri. Non est igitur ad quod exhortemur eos qui reconciliari timent conjugibus adulteris pœnitendo sanatis, nisi ad custodiendam continentiam. Quoniam mulier alligata, quamdiu sive mœchus sive castus vir ejus vivit, mœchatur si alteri nupserit; & vir alligatus, quamdiu sive mœcha sive casta uxor ejus vivit, mœchatur si alteram duxerit.... Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, & ei reconciliari non vult, maneat innupta: & si dimiserit vir adulteram mulierem, & eam non vult recipere nec post Pœnitentiam, custodiat continentiam: etsi non ex voluntate eligendi potioris boni, certè ex necessitate vitandi perniciosi mali. Ad hoc exhortarer etiamsi uxor esset in languore insanabili atque diuturno, etiamsi alicubi esset* cor-

corpore separata, quò maritus non posset accedere: Postremò ad hoc exhortarer etiamsi mulier volens vivere continenter, quamvis contra disciplinam; quia non ex consensu, tamen pudicum pudica dimitteret. Puto enim Christianum neminem reluctari, adulterum esse, qui vel diu languente, vel diu absente, vel continenter vivere cupiente sua uxore, alteri commixtus est feminæ. Sic ergo & dimissâ adulterâ, adulter est cum altera: Quoniam non ille, aut ille, sed, PARS I. Art. ult. §. 4.
„ Omnis qui dimittit uxorem suam, & du-
„ cit alteram, mœchatur. *Quapropter si à conjugali vinculo immunis minùs appetitur vita sanctorum, exhorreatur pœna mœchorum: & timore saltem frænetur concupiscentia: si amore non eligitur continentia. Si enim ubi est timor, operetur labor; ubi erat labor, erit & amor. Non enim confidendum est de nostris viribus: sed oratio adjungenda conatibus, ut impleat bonis, qui deterret à malis.* Verba sunt *S. Augustini* Libro 2. *De Conjugiis adulterinis*, Cap. 13.

819. Nec filiorum gignendorum caussâ licet alteram ducere dimissâ adulterâ. *Non enim propterea flagitiorum est permittenda licentia, aut verò tam cavendum sine posteris mori, quàm eligendum inposterum vivere: Quod non sinentur adulteri, quos necesse est post primam mortem secundæ mortis æternitate damnari. Nam procreandorum filiorum ista caussatio, etiam non adulteras,*

Nec procreandorum caussa filiorū permittenda adulteria.

PARS I. Art. ult. §. 4.

sed castissimas feminas, si fortè sint steriles, cogit dimitti, & alteras duci: quod tibi æstimo non placere. Quapropter si caussâ incontinentiæ non sunt excusanda adulteria, quantò minùs excusantur procreandorum caussâ filiorum? inquit *S. Augustinus* Libro 2. *De Conjugiis Adulterinis*, Cap. 11.

Uxo i i-dẽ, ut alteram ducat, crimẽ geminum.

820. Crimen verò geminat, qui uxorem adulteram occidit, vel mortem illi procurat, ut ducere alteram possit. *S. Augustinus*, Cap. 14. ejusdem libri.

Matrimonium, etiam non consummatum, nec Voto simplici continentiæ, nec Ordinis Sacri susceptione solvitur.

821. Porrò nec Voto simplici continentiæ, nec Ordinis sacri susceptione, nec Professione Religionis à Sede Apostolica non approbatæ, nec Vitâ Eremiticâ, Matrimonium non consummatum solvitur. Hæc enim mortem civilem non inferunt. Ordini enim sacro dominium & proprietas bonorum temporalium non repugnat, neque etiam per se repugnat ipsi conjugium, sed legibus dumtaxat & Decretis Ecclesiæ. Qui verò Religionem non approbatam amplexus atque professus est, aut Vitam Eremiticam, jure ac voluntate propria se non abdicavit absque spe regressûs: quamobrem Mundo penitus mortuus non censetur.

Novis Coniugibus, ante Matrimonii consummatiõe duo

822. Novis autem conjugibus ante Matrimonii consummationem duo menses conceduntur ad deliberandum de ingressu Religionis, intra quod temporis intervallum, is, qui ea de re deliberat, consummare non tenetur, quantumvis altera pars urgeat. Cap.

Ex

Ex publico, Ext. *De Conversione Conjugatorum*, quod *Alexandri III.* Responsum est. Rationem affert *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 27. Quæstione 1. Articulo 3. Quæstiuncula 2. ad secundum: *Ante carnalem copulam*, inquit, *non est omninò translatum corpus unius sub potestatem alterius, sed sub conditione, si intereà alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet: sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem traditæ sibi potestatis. Unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post Matrimonium contractum per verba de præsenti, sed datur ei tempus duorum mensium, ut interim possit deliberare de transeundo ad Religionem.*

menses conceduntur, ad deliberandum de ingressu Religionis

823. Si verò conjugum alterum ante Matrimonii consummationem ingredi Monasterium, Habitúmque Religiosum suscipere contingat, alter novum contrahere Matrimonium non potest, nisi post illius Professionem. Qui enim superstes est in sæculo, manet obligatus ei quæ Monasterium est ingressa, eíque adhærere tenetur, & Matrimonium consummare, si ipsa mutato proposito revertatur, & debitum exigat: siquidem Voto dumtaxat solemni in Ordine Religioso à Sede Apostolica approbato Matrimonium ratum solvitur. Unde *S. Thomas* loco mox indicato, Quæstiuncula 3. ad secundum, ait: *Non intelligitur mortuus sæculo*

Coniugis Monasterium ingressi Professio expectanda est, ut alter matrimonium inire possit.

sed castissimas feminas, si fortè sint steriles, cogit dimitti, & alteras duci: quod tibi æstimo non placere. Quapropter si caussâ incontinentiæ non sunt excusanda adulteria, quantò minùs excusantur procreandorum caussâ filiorum? inquit *S. Augustinus* Libro 2. *De Conjugiis Adulterinis*, Cap. 11.

Uxo i i-de, ut alteram ducat, crimē geminum.

820. Crimen verò geminat, qui uxorem adulteram occidit, vel mortem illi procurat, ut ducere alteram possit. *S. Augustinus*, Cap. 14. ejusdem libri.

Matrimonium, etiam non consummatum, nec Voto simplici continentiæ, nec Ordinis Sacri susceptione solvitur.

821. Porrò nec Voto simplici continentiæ, nec Ordinis sacri susceptione, nec Professione Religionis à Sede Apostolica non approbatæ, nec Vitâ Eremiticâ, Matrimonium non consummatum solvitur. Hæc enim mortem civilem non inferunt. Ordini enim sacro dominium & proprietas bonorum temporalium non repugnat, neque etiam per se repugnat ipsi conjugium, sed legibus dumtaxat & Decretis Ecclesiæ. Qui verò Religionem non approbatam amplexus atque professus est, aut Vitam Eremiticam, jure ac voluntate propria se non abdicavit absque spe regressûs: quamobrem Mundo penitus mortuus non censetur.

Novis Coniugibus, ante Matrimonii consummationē duo

822. Novis autem conjugibus ante Matrimonii consummationem duo menses conceduntur ad deliberandum de ingressu Religionis, intra quod temporis intervallum, is, qui ea de re deliberat, consummare non tenetur, quantumvis altera pars urgeat. Cap.

Ex

Ex publico, Ext. *De Conversione Conjugatorum*, quod *Alexandri III.* Responsum est. Rationem affert *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 27. Quæstione 1. Articulo 3. Quæstiuncula 2. ad secundum: *Ante carnalem copulam*, inquit, *non est omninò translatum corpus unius sub potestatem alterius, sed sub conditione, si intereà alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet: sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem traditæ sibi potestatis. Unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post Matrimonium contractum per verba de præsenti, sed datur ei tempus duorum mensium, ut interim possit deliberare de transeundo ad Religionem.*

PARS I. Art. ult. §. 4. *menses conceduntur, ad deliberandum de ingressu Religionis*

823. Si verò conjugum alterum ante Matrimonii consummationem ingredi Monasterium, Habitúmque Religiosum suscipere contingat, alter novum contrahere Matrimonium non potest, nisi post illius Professionem. Qui enim superstes est in sæculo, manet obligatus ei quæ Monasterium est ingressa, eíque adhærere tenetur, & Matrimonium consummare, si ipsa mutato proposito revertatur, & debitum exigat: siquidem Voto dumtaxat solemni in Ordine Religioso à Sede Apostolica approbato Matrimonium ratum solvitur. Unde *S. Thomas* loco mox indicato, Quæstiuncula 3. ad secundum, ait: *Non intelligitur mortuus sæculo*

Coniugis Monasterium ingressi Professio expectanda est, ut alter matrimoniũ inire possit.

PARS I. Art ult. §. 4.

lo per Religionis ingressum, nisi Professionem emiserit; & ideo usque ad tempus illud tenetur eum uxor sua exspectare.

Quid de muliere, quæ suscepto Velo in domo propria vellet remanere?

824. At si mulier, suscepto velo, in domo propria remanere velit, quasi propositum castitatis in sæculo servatura; nihilominus consummandum est Matrimonium jam contractum: nisi se voto solemni adstrinxerit ad Observantiam Regularem, in quo casu compelli potest, ut relicto sæculo Religionis propositum exequatur. Sic respondet *Innocentius III.* Cap. *Ex parte tua*, Ext. *De Conversione Conjugatorum*.

Consummato matrimonio neutri conjugum licet absq; alterius consensu Monasterium ingredi, seu continentiam vovere. Si verò ex consensu voverint, continentiam servare tenentur.

825. Consummato autem Matrimonio, neutri conjugum licet, absque alterius consensu, Monasterium ingredi, seu continentiam vovere: quòd si voverit, irritum ipso Jure votum est; potestque conjux repetere conjugem, qui Matrimonii jugum inconsultò excutere voluit. Si verò ex consensu voverint, continentiam servare tenentur. Nemini enim vovere licet cum injuria alterius: neque omninò accepta Deo esse potest injusta promissio, quâ nimirùm offert quis rem non suam, sed quæ in alterius est potestate. Quare cùm *Vir proprii corporis potestatem non habeat, sed mulier; nec mulier proprii corporis habeat potestatem, sed vir*, ut docet Apostolus 1. ad *Corinthios* 7. Non licet alteri continentiam vovere absque consensu alterius: & si voverit, votum ipso Jure irritum est.

826. Ve-

826. Verùm si quis conjugum, altero consentiente, Vitam Monasticam professus fuerit, aut perpetuam continentiam voverit, post illius mortem novum Matrimonium contrahere non potest: & si Votis in Ordine approbato nuncupatis contraxerit, absque dubitatione dirimendum est, ex Cap. *Consuluit*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*, quod est *Clementis III.* Responsum.

Etiam post mortem alterius.

827. Si conjuges à debito conjugali se mutuò absolverint, omníque juri quod in alterutrum habebant, renunciaverint, promissâ continentiâ, & uterque vel alteruter solemne votum emiserit, alter alterum repetere & ad conjugale consortium revocare non potest. Sic respondet *Gregorius IX.* Cap. *Dudum*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*.

Quid de conjugibus a debito conjugali omnique iure se mutuo absolventibus?

828. Uxor adulteriò polluta, Maritum Monasterium absque illius consensu ingressum, & solemni Voto obstrictum, revocare non potest. Sic respondet *Innocentius III.* Cap. *Constitutus*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*.

Quid de Vxore adulterio polluta?

829. Imò Mulier quę dolô & minis inducta est, ut marito liberum commeatum in Monasterium concederet, ipsum repetere non potest, si post ejus ingressum inhonestos amatores admiserit. Idem Pontifex Cap. *Veniens*, sub eodem Titulo.

Quid de ea quæ dolo inducta est ut marito transitum ad Monasterium concederet?

830. Si conjugum alter à Fide Catholica defecerit ad Mahometanos, Judæos, vel etiam

PARS I. Art. ult. §. 4.

Quid si alter conjugum à Fide Catholica defecerit?

Hæreticos, & propterea Sententia Divortii inter eos lata sit ab Ecclesia, pars quæ in Fide perseveraverit ad Vitæ Monasticæ Professionem liberè convolare potest alterâ nolente, etiamsi ab infidelitate revertatur. Id constat ex Cap. *Mulier*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*, quod *Innocentii III.* Responsum est.

Quid de conjuge quæ continentiam vovit ad tempus, marito consentiente?

831. Conjux quæ continentiam vovit, cohabitare debet viro qui ejus voto ad tempus consensit, nec perpetuam vovit continentiam: séque invicem debent maritali affectione tractare. Responsum est *Celestini III.* Cap. *Charissimus*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*.

Quid de Muliere quæ Maritum suum vita functum esse credit?

832. Mulier quæ maritum mortuum credens, Habitum Religionis assumpsit, & Professionem emisit, viróque reverso de Monasterio educta, ac ipsi restituta est, debitum ipsi reddere tenetur, exigere non potest; mortuo verò marito, consilium illi dandum est ad salutem congruentiùs, ut ad Monasterium redeat, ubi bona ducta intentione Professionem fecit, sed tamen ad id minimè compellenda est. Cùm enim absque viri consensu Monasterium ingressa sit, ac vota solemnia emiserit, Vota usquequaque rata non fuerunt. Sic respondet *Celestinus III.* Cap. *Placet*, Ext. *De Conversione Conjugatorum*. Idem ante responderat *Alexander III.* Cap. *Quidam*, sub eodem Titulo, Virum scilicet, qui Monasterium invitâ

uxo-

uxore ingressus fuerat, quâ ipsum repetente, ad conjugalem thorum redire coactus fuerat, post ejus obitum compelli non posse ratione Voti, quod nullum fuit, & irritum, ut ad Monasterium redeat; prohibendum tamen esse ne secundam uxorem accipiat: *Promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & ideò quoad hoc votum tenuit, non reddere autem, non erat in ejus, sed mulieris potestate. Unde Apostolus; VIR non habet potestatem sui corporis, sed mulier.*

833. Alter conjugum, altero in sæculo remanente, ad Regularis Vitæ Professionem non est recipiendus; nisi fortè remanens sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere, aut perpetuam continentiam vovere voluerit: alioqui ad conjugalem thorum revocandus est, quamvis cum licentia consortis Monasterium ingressus fuerit, & Professionem fecerit. Cap. *Præterea*, & Cap. *Cùm sit*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*.

Cautela adhibenda in receptione conjugatorum ad Religionem.

§. V.

De Consensu Contrahentium Matrimonium.

834. Mutuus contrahentium consensus per verba de præsenti expressus, est causa efficiens Matrimonii.

Legitimus contrahentium con-

PARS I. Art. ult. §. 5. *Sensus Matrimonium efficit.*

nii. *Eugenius IV*, in Decreto pro Instructione Armenorum. (Ceterum verborum loco tum nutus, & signa, quæ intimum consensum apertè indicent, satis ad Matrimonium esse possunt: tum ipsa etiam taciturnitas, cùm puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea parentes loquuntur. *S. Carolus Borromæus*.) Adeoque furiosi & amentes nisi lucida habeant intervalla Matrimonium contrahere non possunt, cùm sint consentiendi incapaces. *Innocentius III.* Cap. *Dilectus*, Extra, *De Sponsalibus & Matrimonio*. *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum* Dist. 34. Quæst. 1. Art. 4. *Furia*, inquit, *aut præcedit Matrimonium, aut sequitur. Si sequatur, nullo modo dirimit Matrimonium: Si præcedit, aut furiosus habet lucida intervalla, aut non, si habet, tunc quamvis dum est in illo intervallo non sit tutum quod Matrimonium contrahat, quia nescit prolem educare; tamen, si contrahit, Matrimonium est; si autem non habet; vel si, quando non habet, contrahit, tunc quia non potest esse consensus, ubi deest rationis usus, non erit verum Matrimonium.*

Furiosi & amentes, an possint inire Matrimoniũ.

De consensu ficto, sive simulato.

835. Similiter consensus fictus per verba de præsenti expressus, ad Matrimonium non sufficit, si desit consensus interior, ut disertè respondet *Innocentius III.* Cap. *Tuanos*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*. Idque confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*,

rum, Distinctione 27. Quæst. 1. Articulo 2. Quæstiuncula 4. *Sicut*, inquit, *se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum. Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum & dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.* PARS I. Art. ult. §. 5.

836. Verùm (inquies) Fraus & dolus nemini debent patrocinari, ut habetur Cap. *Si vir*, Ext. *De Cognatione spirituali*: At qui verbis consensum exprimit, absque interiori consensu, dolum committit: non ergo absolvitur propterea ab obligatione Matrimonii. *Objectio.*

837. Respondet *S. Thomas*, Ea in specie duo esse distinguenda. *Primum est defectus consensus, qui ei patrocinatur in foro conscientiæ, ut non adstringatur vinculo Matrimonii; quamvis non in foro Ecclesiæ, in quo judicatur secundùm allegata* & probata; *Secundum est dolus verborum; & hic non patrocinatur nec in foro conscientiæ, nec in foro Ecclesiæ; quia in utroque pro hoc punitur.* *Solutio.*

838. Qui tamen fictè aut simulatè Matrimonium cum aliqua contraxit eam ducere tenetur; certis dumtaxat casibus exceptis. Si enim is qui in facie Ecclesiæ simulando consensum, verbísque exprimens quod in animo non habebat, mulieri illusit, eam ducere *Qui fictè Matrimonium cum aliqua fœmina contraxit,*

PARS I. Art. ult. §. 5. *eam ducere tenetur.*

cere non teneretur uxorem, dolus illi suus patrocinaretur tum in foro conscientiæ, tum in foro Ecclesiæ; Patrocinari autem illi non debere docet *S. Thomas*, loco mox indicato. Deinde cùm fictionem alterius probare non posset pars decepta, Matrimonium alterum inire non permitteretur; & quamvis alterius Matrimonii ineundi daretur illi facultas, tamen ob famam tali divortio graviter læsam, non facilè conjugem inveniret.

Exceptiones. Prima.

839. Omnium tamen Theologorum judicio certi sunt casus quibus eam ducere non tenetur simulator. Primò, si duxerit alteram legitimo consensu adhibito; quo tamen casu ad compensandam injuriam priori illatam, Prudentum arbitrio teneretur. Sed casus ille vix occurret: Ecclesia enim ipsum compelleret ad manendum cum prima uxore, ut colligitur ex Cap. *Ex parte*, Extra, *De Sponsalibus*, & Cap. *Licet*, Ext. *De Sponsa duorum*. Nam *Judicat Ecclesia secundùm ea quæ foris apparent: sed ille debet potiùs Excommunicationem sustinere, quàm ad primam uxorem accedat; vel debet in alias regiones remotas fugere*, ut respondet *S. Thomas* loco supra laudato, ad tertium.

Secunda.

840. Secundò, non tenetur eam ducere simulator, si maxima sit conditionis disparitas, vel evidentia signa ficti consensûs præbuerit. Tunc enim judicari potest mulierem verè deceptam non fuisse, aut verbis viri non credidisse, vel certè non debuisse credere.

841. Ter-

841. Tertiò, si mulier quæ videtur decepta, se virginem simulaverit, cùm non esset. PARS I. Art. ult. §. 5. *Tertia.*

842. Quartò, si gravia mala, capitales inimicitiæ ac dissidia, cædes, &c. ex hujusmodi Matrimonio meritò timentur. Quo casu pecuniaria compensatio sufficiet. *Quarta.*

843. Qui post Matrimonium fictè contractum cum una, secundum sincerè contraxit cum alterâ, non tenetur, nec potest tutâ conscientiâ, redire ad priorem, etiamsi Judicis Ecclesiastici Sententiâ, Censurisque compellatur. ut dictum est num. 839. & habetur Cap. *Inquisitioni*, Ext. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: *Debet potiùs Excommunicationis Sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale*. Peccatum autem mortale committeret, dimittendo illam cum qua legitimè contraxit, ut rediret ad priorem, quæ verè conjux non est, defectu consensûs; nec esse potest, consensu in Matrimonium cum alterâ præstito per verba de præsenti.

Quid facto opus ei qui postquàm fictè contraxit cũ una, sincerè contrahit cũ altera?

894. Proles ex Matrimonio fictè contracto suscepta, antequam fictio alteri conjugi innotescat, vel probetur, legitima censenda ac judicanda est. Filii namque geniti ex Matrimonio bonâ fide saltem alterius parentis inito in facie Ecclesiæ, legitimi censentur, modò concepti sint ante divortium Judicis Ecclesiastici Sententiâ decretum; quicumque defectus, seu quodcumque impedi-

Quid de prole ex Matrimonio fictè cõtracto suscepta?

PARS I. Art. ult. §. 5.

pedimentum occultum, vel uni dumtaxat conjugum notum, intercesserit. Id constat ex Cap. *Cùm inter*, & Cap. *Prælatum*, quæ sunt *Alexandri III.* Responsa, Ext. *Qui filii sint legitimi*: Idem confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum* Dist. 49. Quæst. 1. A. 3. Quæstiuncula 1. ad secundum.

Quid si unus Conjugum affirmat sibi defuisse consensum?

845. Cùm unus conjugum affirmat sibi defuisse consensum, non statim licet alteri novum conjugium inire. Sicut enim Ecclesia non statim credit id asserenti, nec probanti; ita nec ille credere tenetur, sed jure suo uti potest, utpote bonæ fidei possessor, & existimare quod nunc fortè mentiatur, quæ priùs asserit se fuisse in facie Ecclesiæ mentitam. Nam (ut ait *Innocentius III.* Cap. *Per tuas*, Ext. De Probationibus) *Nimis indignum est [juxta legitimas Sanctiones] ut quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare.*

Qua ratione convalescere possit Matrimonium defectu consensus irritum?

846. Matrimonium defectu consensûs irritum, si inter personas alioqui legitimas, coram Parocho & testibus contractum sit, novo conjugum qui metu compulsi, vel fictè contraxerant, consensu privatim tacitéque præstito convalescit. Id colligitur ex *S. Thomæ* in 4. *Sententiarum*, Dist. 29. Quæst. 1, Articulo 3. ad secundum: *Ex consensu*, inquit, *libero illius qui priùs coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigo-*

vigore; unde si dissentiret, non fieret Matrimonium. Idem docet *S. Antoninus*, 3. Part. Tit. 1. Cap. 7.

PARS I. Art. ult. §. 5.

Pius V.

847. Denique *Pius V.* declaravit, Matrimonium contractum & consummatum per metum, si in facie Ecclesiæ, secundùm formam Tridentini Concilii contractum sit, & impedimentum sit occultum, postea mutuo conjugum consensu & spontanea cohabitatione convalescere, nec esse opus iterum contrahere repetitis solemnitatibus aliàs ritè adhibitis in primo contractu. Si autem impedimentum esset manifestum, Matrimonium de novo contrahendum esset servatâ formâ Concilii Tridentini, juxta Responsum Sacræ Congregationis Concilii, ad Declarationem *Pii V.* de qua *Navarrus* in Summa Cap. 22. Num. 70. & *Fagnanus*, in Cap. *Is qui fidem*, Ext. *De Sponsalibus*.

Qua ratione convalescere possit Matrimonium inter personas illegitimas propter aliquod impedimentum dirimens contractum?

848. Matrimonium contractum inter personas, quæ illegitimæ erant propter aliquod impedimentum dirimens, impetratâ Dispensatione convalescere non potest, nisi novus utriusque consensus accedat, verbis aut signis expressus. Dispensatio namque, quâ sublatum impedimentum est, non dat firmitatem Matrimonio priùs contracto, sed facit dumtaxat personas idoneas & legitimas ad contrahendum inter se Matrimonium. Prætereà, consensus anteà expressus erat illegitimus, siquidem personæ ad contrahendum legitimæ non erant: irritus itaque erat.

PARS I. Art. ult. §. 5. Quamobrem novo utriusque conjugis consensu, postquam impetrata fuerit Dispensatio, Matrimonium convalescat necesse est. Idem colligitur ex *S. Thoma*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 41. Quæstione 1. Articulo 4. ad sextum: *Si*, inquit, *aliquis gradus concederetur, qui nunc est prohibitus, illa conjunctio non efficeretur matrimonialis ex Statuto Ecclesiæ ratione primi contractus, quia possent separari si vellent. Sed tamen possent de novo contrahere: & alia conjunctio esset.*

Quid si prius contraxerint coram Parocho & testibus?

849. Verùm si priùs inter se contraxerunt coram Parocho & testibus secundùm formam à Concilio Tridentino præscriptam, licet invalidè, propter impedimentum occultum, necesse non est ut contractus solemni ritu in facie Ecclesiæ renovetur: sed sed sufficit ut consensum mutuum privatim verbis vel signis renovent & exprimant. Et quia non rarò pericula sunt vel scandali, vel dissensionum, vel suspicionis adulterii, si conjux, cui ignotum impedimentum est, illud ediscat, maximâ prudentiâ opus est ad novum consensum eliciendum. Itaque satis erit si conscius impedimenti, inter conjugalis amoris blanditias, alteri dicat: Ita in te sum affectus, ut si non esset inter nos Matrimonium, nihilominus te acciperem in conjugem, & nunc revera te accipio. Nunquid similiter in me affectum cor tuum est? Si verbis vel signis innuat ita se affectum esse,

esse, aut affectu conjugali copulam ineant, Matrimonium convalescit. Commune id Theologorum placitum est, *Pii V.* Declaratione fultum, præcipuè *Navarri*, in Enchiridio, Cap. 22. Num. 70. & Lib. 4. Consilio 14. Tit. De Sponsalibus; *Barbosæ* Par. 2. *De Officio Episcopi*, Allegatione 32. Num. 157. & 158. *Zerolæ* in Praxi Episcopali, verbo *Dispensatio*, ad tertium, & ad quintum Dubium, & aliorum. PARS I. Art. ult. §. 5.

850. Consensus conditionatus ad Matrimonium non sufficit; nec illud ratum est, nisi conditio evenerit, seu impleta fuerit, si possibilis ac honesta sit, & de futuro. Cap. *De illis*, quod est *Alexandri III.* Responsum, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione*. Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 29. Quæst. 2. Art. 3. Quæstiuncula 3. *De consensu conditionato?*

851. An autem adveniente conditione sit necessarius novus consensus, Quæstio est Theologos inter & Jurisperitos disceptata. Necessarium esse contendunt Theologorum plerique, Jurisconsulti negant. Horum Sententiam Romana Curia sequitur. Nam in Sacra Congregatione Concilii olim proposito dubio, An validum esset illorum Matrimonium, qui coram Parocho & testibus, per verba de præsenti, sub conditione licita & honesta, quæ postea impleta est, contraxerant; & se pro legitimis conjugibus, statim atque impleta est, sine alia solemnitate ha- *Cùm Matrimoniũ sub conditione contractũ est, adveniente conditione non est necessarius novus consensus?*

PARS I. Art. ult. §. 5. bentes, Matrimonium consummaverant; an verò cogendi essent conjuges ad matrimonium iterum coram Parocho legitimè contrahendum: Sacra Congregatio in Sententiam quidem Theologorum se propendere significavit, uno excepto Cardinali *Alciato*, eamque videri Tridentino Concilio magis consonam; sed relatione facta coram Summo Pontifice, cui judicium istius Quæstionis Consultissimi Cardinales reservaverant, Sanctissimus Pontifex *Pius V.* secundùm Sententiam Jurisconsultorum pronuntiavit, impletâ conditione, accedente verbi gratiâ consensu patris, Matrimonium quod ex illo consensu fuerat suspensum, statim ratum ac perfectum esse; nec opus esse ut coram Parocho iterum celebretur: atque hanc Sententiam in Judiciis omnino sequendam: neque Concilio Tridentino ullatenus repugnare. Idem sensit ac declaravit Congregatio altera sub *Clemente VIII.* ut refert *Fagnanus* in Cap. *Super eo*, Tit. *De Conditionibus appositis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus*, in Lib. 4. Decretalium, paginâ 38.

De conditionibus appositis in desponsatione.

852. Si conditio honesta, licita, & possibilis impleta non fuerit, sed tamen contrahentes à conditione per contrarium factum recesserint, ratum est & perfectum Matrimonium. Id constat ex Cap. *Per tuas*, Ext. *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. quo *Innocentius III.* Matrimonium viri cujus-

cujusdam, qui Sponsalia sub honesta conditione contraxerat, eo nomine ratum esse pronuntiat, quòd ante conditionis eventum desponsatam sibi carnaliter cognovisset, atque ita à conditione recessisset: *Cùm liquidò constet, quòd, post contracta Sponsalia, carnalis est inter eos copula subsecuta, pro Matrimonio est præsumendum; quia videtur à conditione appositâ recessisse.*

PARS I. Art. ult. §. 5.

De conditionibus de præterito vel præsenti.

853. Matrimonium coram Parocho & testibus contractum sub conditione de præterito vel de præsenti, nullum est ab initio si conditio defuerit, nec subsecutâ copulâ convalescit ac perficitur. Exempli gratiâ, si quis his verbis contrahat: Anna, si es legitima; vel si es virgo; vel si es nobilis, accipio te in meam uxorem; deinde Matrimonio consummato, compertum sit Annam non esse legitimam, sed natam ex concubina; vel non fuisse virginem tempore contractûs; vel nobilem non esse, sed plebeiam; Matrimonium ab initio nullum fuit, neque convaluit copulâ subsecutâ. Id colligitur ex *S. Thoma* in 4. *Sententiarum*, Dist. 29. Quæstione 2. Articulo 3. Quæstiunculâ 3. *Conditio apposita*, inquit, *aut est de præsenti, aut de futuro: si de præsenti, & non est contraria Matrimonio, sive sit honesta, sive inhonesta, stat Matrimonium stante conditione; & ea non stante, non stat.* Idemque confirmat, *S. Antoninus*, 3. Part. Tit. 1. Cap. 3. in fine. Cùm itaque nunquàm extitit con-

PARS I. Art. ult. §.5.

conditio honesta & possibilis, quæ Matrimonio, sive consensui alterius conjugis adjecta est, Matrimonium ab initio contractum nullum & irritum fuit.

Quod inter eas discrimen?

854. Ex quo sequitur, illud non convalescere ac perfici per copulam subsecutam; quia tunc demum per copulam censetur quis recedere à conditione, si conditio sit de futuro, ut colligitur ex Cap. *Per tuas*. supra citato: secùs verò si conditio sit de præterito vel præsenti. Ratio discriminis est, quia ubi conditio apposita est de futuro, actus non est irritus ab initio, sed suspenditur usque ad conditionis eventum, ut constat ex Cap. *De illis*, & Cap. *Super eo*, Ext. *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. Unde per copulam ideò videtur aliquis à conditione recessisse, quia Ecclesia, ut crimen fornicationis excludat, copulam factam præsumit affectu conjugali, purúmque & absolutum consensum intercessisse, ut explicat Glossa Capitis *Per tuas*, cujus hæc sunt verba: *Conditionalis consensus nullus est ante conditionem extantem*. ff. De Verb. signif. L. Cedere diem. *Si ergo nullus præcessit consensus, solus coitus Matrimonium non facit. Dicas ergo quòd consensus præcessit de futuro, quamvis per verba de præsenti expressus: & ita carnalis copula subsecuta inducit Matrimonium præsumptum: & favore Matrimonii inducta est hæc præsumptio, quia per carnalem copulam ipso facto videtur con-*

consensum exprimere de præsenti, & à conditione recedere, sicut per puram emptionem receditur à conditionali. L. *Sed Celsus*, §. ultimo ff. *De contrahenda Emptione.* At verò ubi conditio est de præsenti, vel de præterito, actus non est suspensus; imò si conditio non extat, nullus & irritus est ab initio, defectu consensûs; & copula sequens est fornicatio. Quamobrem cùm in specie propositâ mulier illegitima, vel corrupta, vel ignobilis esset, quo tempore Matrimonium contractum est, atque ita jam defecissent conditiones illæ: *Si es legitima, si virgo, si nobilis*; copula subsequens Matrimonium ratum non effecit. Ita censent *Innocentius IV.* & *Hostiensis* in Cap. *Pes tuas*, aliíque Canonici Juris Commentatores à *Fagnano* citati, & *Fagnanus* ipse in Cap. *Si conditiones*, Extrà, *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c.

PARS I. Art. ult. §. 5.

855. Conditiones quæ Matrimonii substantiæ aut bonis adversantur, Matrimonium nullum & irritum reddunt. Ita declarat *Gregorius IX.* Cap. *Si conditiones*, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. cujus hæc sunt verba: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur: Putà. si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel, Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut, si pro quæstu adulterandam te tradas: Matrimonialis contractus, quantum-*

De conditionibus turpibus & impossibilibus.

Qua Matrimonii substantiæ adversantur, illud irritant.

PARS I. Art. ult §. 5.

tumcumque sit favorabilis, caret effectu. Id confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 29. Quæstione 2. Articulo 3. Quæstiuncula 3.

Quæ non adversantur, non irritant.

556. Conditiones turpes aut impossibiles, sed Matrimonii bonis alioqui non contrariæ, non impediunt quin Matrimonium ratum, firmúmque sit. Conditionum enim hujusmodi nullam habendam esse rationem, & pro non adjectis haberi debere, in favorem Matrimonii declaravit Ecclesia, Cap. *Quicumque*, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione*, cujus hæc sunt verba; *Quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam relinquere voluerit: dicimus, quòd frangatur conditio, & desponsatio irrefragabiliter teneatur*. Quod de turpi conditione Glossa explicat, quæ tamen non sit contra naturam Matrimonii, putà, si furtum fecerit, si hominem interfecerit. Idque confirmat *Gregorius IX*. Cap. *Si conditiones*, sub eodem Titulo: *Licèt* (inquit) *aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi*.

Quid agendum Parocho, si quis sub conditione contrahat?

857. Si quis sub conditione honesta de futuro contrahat, à Parocho monendus est, contractum suspensum manere, donec impleatur conditio, proindéque perficere non debet solemnitatem Matrimonii, dicendo, *Ego conjungo vos in Matrimonium* &c. Sed pro-

prohibere ne Sponsa in Sponsi domum ducatur, & ne simul cohabitent; & ea de re Episcopum certiorem facere, ut judicet quid facto sit opus. Si verò quis contrahat sub conditione pariter honesta de præterito, vel de præsenti, Parochus monere debet contrahentes, nullum esse Matrimonium si conditio non extet, ac proinde Ecclesiam ipsos non habituram ut conjuges, nisi conditionis existentia probata fuerit, nec Matrimonii solemnia se perficere posse, nisi absolutè contrahant; causámque referre debet ad Episcopum, ut Auctoritate suâ, & Censuris Ecclesiasticis, si opus sit, cohabitationem eorum, qui hoc modo contraxerunt, prohibeat.

Concilii Tridentinum.

858. Cum enim sacra Synodus Tridentina Sessione 24. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. 1. statuit ut *Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat*, Ego vos in Matrimonium conjungo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti; *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ Ritum*; de consensu absoluto, non de consensu conditionato, qui actum suspendit, vel nullum facit defectu conditionis, intelligenda est.

Quoru... hic per... mittend... non est c... habitati...

859. Prætereà, non est permittenda cohabitatio eorum qui desponsati sunt per verba dumtaxat de futuro, quales sunt qui consensum exprimunt sub conditione

quam

PARS I. Art.ult.. §.6.

quam poſtea implendam ſperant: Nec eorum, quorum fortè nullum eſt Matrimonium, defectu legitimi conſensûs, quales ſunt qui conſenſum exprimunt ſub conditione de præterito vel præſenti, quæ non extat: alioqui via ſcortationibus & concubinatui aperiretur. Unde in hujuſmodi caſibus Mulier ſub cuſtodia parentum vel tutorum permanere debet, vel in Monaſterium ſe recipere, procul à contubernio viri, quicûm ita contraxit, donec abſolutum conſenſum verbis minimè ambiguis expreſſerint: alioqui deneganda illis ſunt Sacramenta, utpotè in proximo peccandi përiculo verſari amantibus. De Conſenſu coacto & Clandeſtina. Vide Parte 2. in Appendice ad hoc Sacramentum.

§. VI.

De Sponſalibus.

Sponſaliorũ definitio.

860. SPonſalia definiuntur, *Promiſſio futurarum Nuptiarum*. Quæ promiſſio vera & ſincera, non ſimulata, libera, reciproca, & ſignis exterioribus expreſſa eſſe debet. Sponſaliorum libertati adjectio pœnæ repugnat, ut declarat *Gregorius IX.* Cap. *Gemma*, Ext. *De Sponſalibus.*

Quibus modis Sponſalia

861. Variis autem modis Sponſalia contrahuntur, ſcilicet re, verbis, literis, & conſenſu: Re, per nudam ſubarrhationem

nem vel annuli immissionem: verbis, si inter virum & mulierem promissio futuri Matrimonii intercesserit, veluti altero alteri vice mutuâ dicente: Ego te accipiam in meum maritum, &, Ego te accipiam in meam uxorem, sive in hunc sensum verba similia protulerint. Literis, cùm absentes inter se de futuris Nuptiis paciscuntur per epistolam, per nuntium, vel procuratorem. Consensu denique contrahuntur sponsalia, cùm pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus malitia non suppleat ætatem, Matrimonium per verba de præsenti contrahunt. Licèt enim verba Matrimonium in præsens significent, Juris tamen interpretatione in Sponsalia de futuro resolvuntur. Censuerunt enim Juris conditores, eos, qui cùm non possent, conjugium de facto contraxerunt, voluisse etiam, in casu quo possent contrahere, ideóque saltem conventionem vim habere Sponsaliorum; Cap. *Si infantes*, Tit. *De Desponsatione impuberum*, in Sexto. *cōtrahuntur*

862. Rursus contrahuntur Sponsalia, aut purè, aut adjectâ die, aut sub conditione. Purè, cùm vir & mulier se invicem futuros conjuges profitentur: Adjecta die, cùm quis intra certum temporis spatium aliquam se ducturum in uxorem spondet. Sub conditione, cùm quis, si quid fiet, vel contigerit, Nuptias se contracturum pollicetur. *Sponsalia purè, aut conditionaté contracta.*

863. Spon-

PARS I. Art. ult. §. 5.

bentes, Matrimonium consummaverant; an verò cogendi essent conjuges ad matrimonium iterum coram Parocho legitimè contrahendum: Sacra Congregatio in Sententiam quidem Theologorum se propendere significavit, uno excepto Cardinali *Alciato*, eamque videri Tridentino Concilio magis consonam; sed relatione facta coram Summo Pontifice, cui judicium istius Quæstionis Consultissimi Cardinales reservaverant, Sanctissimus Pontifex *Pius V.* secundùm Sententiam Jurisconsultorum pronuntiavit, impletâ conditione, accedente verbi gratiâ consensu patris, Matrimonium quod ex illo consensu fuerat suspensum, statim ratum ac perfectum esse; nec opus esse ut coram Parocho iterum celebretur: atque hanc Sententiam in Judiciis omnino sequendam: neque Concilio Tridentino ullatenus repugnare. Idem sensit ac declaravit Congregatio altera sub *Clemente VIII.* ut refert *Fagnanus* in Cap. *Super eo*, Tit. *De Conditionibus appositis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus*, in Lib. 4. Decretalium, paginâ 38.

De conditionibus appositis in desponsatione.

852. Si conditio honesta, licita, & possibilis impleta non fuerit, sed tamen contrahentes à conditione per contrarium factum recesserint, ratum est & perfectum Matrimonium. Id constat ex Cap. *Per tuas*, Ext. *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. quo *Innocentius III.* Matrimonium viri

cujus-

cujusdam, qui Sponsalia sub honesta conditione contraxerat, eo nomine ratum esse pronuntiat, quòd ante conditionis eventum desponsatam sibi carnaliter cognovisset, atque ita à conditione recessisset: *Cùm liquidò constet, quòd, post contracta Sponsalia, carnalis est inter eos copula subsecuta, pro Matrimonio est præsumendum; quia videtur à conditione appositâ recessisse.*

PARS I. Art. ult. §. 5.

De conditionibus de præterito vel præsenti.

853. Matrimonium coram Parocho & testibus contractum sub conditione de præterito vel de præsenti, nullum est ab initio si conditio defuerit, nec subsecutâ copulâ convalescit ac perficitur, Exempli gratiâ, si quis his verbis contrahat: Anna, si es legitima; vel si es virgo; vel si es nobilis, accipio te in meam uxorem; deinde Matrimonio consummato, compertum sit Annam non esse legitimam, sed natam ex concubina; vel non fuisse virginem tempore contractûs; vel nobilem non esse, sed plebeiam; Matrimonium ab initio nullum fuit, neque convaluit copulâ subsecutâ. Id colligitur ex *S.Thoma* in 4. *Sententiarum*, Dist.29. Quæstione 2. Articulo 3. Quæstiunculâ 3. *Conditio apposita*, inquit, *aut est de præsenti, aut de futuro: si de præsenti, & non est contraria Matrimonio, sive sit honesta, sive inhonesta, stat Matrimonium stante conditione; & ea non stante, non stat.* Idemque confirmat, *S.Antoninus*, 3. Part. Tit.1.Cap. 3. in fine. Cùm itaque nunquàm extitit

PARS I. Art. ult. §.5.

conditio honesta & possibilis, quæ Matrimonio, sive consensui alterius conjugis adjecta est, Matrimonium ab initio contractum nullum & irritum fuit.

Quod inter eas discrimen?

854. Ex quo sequitur, illud non convalescere ac perfici per copulam subsecutam; quia tunc demum per copulam censetur quis recedere à conditione, si conditio sit de futuro, ut colligitur ex Cap. *Per tuas*. supra citato: secùs verò si conditio sit de præterito vel præsenti. Ratio discriminis est, quia ubi conditio apposita est de futuro, actus non est irritus ab initio, sed suspenditur usque ad conditionis eventum, ut constat ex Cap. *De illis*, & Cap. *Super eo*, Ext. *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. Unde per copulam ideò videtur aliquis à conditione recessisse, quia Ecclesia, ut crimen fornicationis excludat, copulam factam præsumit affectu conjugali, purúmque & absolutum consensum intercessisse, ut explicat Glossa Capitis *Per tuas*, cujus hæc sunt verba: *Conditionalis consensus nullus est ante conditionem extantem*. ff. De Verb. signif. L. Cedere diem. *Si ergo nullus præcessit consensus, solus coitus Matrimonium non facit. Dicas ergo quòd consensus præcessit de futuro, quamvis per verba de præsenti expressus: & ita carnalis copula subsecuta inducit Matrimonium præsumptum: & favore Matrimonii inducta est hæc præsumptio, quia per carnalem copulam ipso facto videtur con-*

consensum exprimere de præsenti, & à conditione recedere, sicut per puram emptionem receditur à conditionali. L. *Sed Celsus*, §. ultimo ff. *De contrahenda Emptione.* At verò ubi conditio est de præsenti, vel de præterito, actus non est suspensus; imò si conditio non extat, nullus & irritus est ab initio, defectu consensûs; & copula sequens est fornicatio. Quamobrem cùm in specie propositâ mulier illegitima, vel corrupta, vel ignobilis esset, quo tempore Matrimonium contractum est, atque ita jam defecissent conditiones illæ: *Si es legitima, si virgo, si nobilis*; copula subsequens Matrimonium ratum non effecit. Ita censent *Innocentius IV.* & *Hostiensis* in Cap. *Per tuas*, aliíque Canonici Juris Commentatores à *Fagnano* citati, & *Fagnanus* ipse in Cap. *Si conditiones*, Extrà, *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c.

De conditionibus turpibus & impossibilibus.

855. Conditiones quæ Matrimonii substantiæ aut bonis adversantur, Matrimonium nullum & irritum reddunt. Ita declarat *Gregorius IX.* Cap. *Si conditiones*, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione, &c.* cujus hæc sunt verba: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur: Putà, si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel, Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut, si pro quæstu adulterandam te tradas: Matrimonialis contractus, quan-*

Quæ Matrimonii substantiæ adversantur, illud irritant.

tum-

tumcumque sit favorabilis, caret effectu. Id confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 29. Quæstione 2. Articulo 3. Quæstiuncula 3.

Quæ non adversantur, non irritant.

556. Conditiones turpes aut impossibiles, sed Matrimonii bonis alioqui non contrariæ, non impediunt quin Matrimonium ratum, firmúmque sit. Conditionum enim hujusmodi nullam habendam esse rationem, & pro non adjectis haberi debere, in favorem Matrimonii declaravit Ecclesia, Cap. *Quicumque*, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione*, cujus hæc sunt verba: *Quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam relinquere voluerit: dicimus, quòd frangatur conditio, & desponsatio irrefragabiliter teneatur.* Quod de turpi conditione Glossa explicat, quæ tamen non sit contra naturam Matrimonii, putà, si furtum fecerit, si hominem interfecerit. Idque confirmat *Gregorius IX.* Cap. *Si conditiones*, sub eodem Titulo: *Licèt* (inquit) *aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.*

Quid agendum Parocho, si quis sub conditione contrahat?

857. Si quis sub conditione honesta de futuro contrahat, à Parocho monendus est, contractum suspensum manere, donec impleatur conditio, proindéque perficere non debet solemnitatem Matrimonii, dicendo, *Ego conjungo vos in Matrimonium* &c. Sed pro-

prohibere ne Sponsa in Sponsi domum ducatur, & ne simul cohabitent; & ea de re Episcopum certiorem facere, ut judicet quid facto sit opus. Si verò quis contrahat sub conditione pariter honesta de præterito, vel de præsenti, Parochus monere debet contrahentes, nullum esse Matrimonium si conditio non extet, ac proinde Ecclesiam ipsos non habituram ut conjuges, nisi conditionis existentia probata fuerit, nec Matrimonii solemnia se perficere posse, nisi absolutè contrahant; causámque referre debet ad Episcopum, ut Auctoritate suâ, & Censuris Ecclesiasticis, si opus sit, cohabitationem eorum, qui hoc modo contraxerunt, prohibeat.

858. Cum enim sacra Synodus Tridentina Sessione 24. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. 1. statuit ut *Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat,* Ego vos in Matrimonium conjungo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti; *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ Ritum*; de consensu absoluto, non de consensu conditionato, qui actum suspendit, vel nullum facit defectu conditionis, intelligenda est. *Concilium Tridentinum.*

859. Prætereà, non est permittenda cohabitatio eorum qui desponsati sunt per verba dumtaxat de futuro, quales sunt qui consensum exprimunt sub conditione *Quorum hic permittenda non est cohabitatio.*

quam

PARS I. Art. ult. §. 6.

quam postea implendam sperant : Nec eorum, quorum fortè nullum est Matrimonium, defectu legitimi consensûs, quales sunt qui consensum exprimunt sub conditione de præterito vel præsenti, quæ non extat: alioqui via scortationibus & concubinatui aperiretur. Unde in hujusmodi casibusMulier sub custodia parentum vel tutorum permanere debet, vel in Monasterium se recipere, procul à contubernio viri, quicûm ita contraxit, donec absolutum consensum verbis minimè ambiguis expresserint: alioqui deneganda illis sunt Sacramenta, utpotè in proximo peccandi pèriculo versari amantibus. De Consensu coacto & Clandestina. Vide Parte 2. in Appendice ad hoc Sacramentum.

§. VI.

De Sponsalibus.

Sponsaliorũ definitio.

860. SPonsalia definiuntur, *Promissio futurarum Nuptiarum*. Quæ promissio vera & sincera, non simulata, libera, reciproca, & signis exterioribus expressa esse debet. Sponsaliorum libertati adjectio pœnæ repugnat, ut declarat *Gregorius IX.* Cap. *Gemma*, Ext. *De Sponsalibus*.

Quibus modis Sponsalia

861. Variis autem modis Sponsalia contrahuntur, scilicet re, verbis, literis, & consensu: Re, per nudam subarrhationem

nem vel annuli immissionem: verbis, si inter virum & mulierem promissio futuri Matrimonii intercesserit, veluti altero alteri vice mutuâ dicente: Ego te accipiam in meum maritum, &, Ego te accipiam in meam uxorem, sive in hunc sensum verba similia protulerint. Literis, cùm absentes inter se de futuris Nuptiis paciscuntur per epistolam, per nuntium, vel procuratorem. Consensu denique contrahuntur sponsalia, cùm pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus malitia non suppleat ætatem, Matrimonium per verba de præsenti contrahunt. Licèt enim verba Matrimonium in præsens significent, Juris tamen interpretatione in Sponsalia de futuro resolvuntur. Censuerunt enim Juris conditores, eos, qui cùm non possent, conjugium de facto contraxerunt, voluisse etiam, in casu quo possent contrahere, ideòque saltem conventionem vim habere Sponsaliorum; Cap. *Si infantes*, Tit. *De Desponsatione impuberum*, in Sexto.

cōtrahun- tur

862\. Rursus contrahuntur Sponsalia, aut purè, aut adjectâ die, aut sub conditione. Purè, cùm vir & mulier se invicem futuros conjuges profitentur: Adjecta die, cùm quis intra certum temporis spatium aliquam se ducturum in uxorem spondet. Sub conditione, cùm quis, si quid fiet, vel contigerit, Nuptias se contracturum pollicetur.

Sponsalia purè, aut conditionatè contracta.

863\. Spon-

PARS I. Art. ult. §. 6.

Pur Sponsalia Matrimonio præmittuntur?

863. Sponsalia optimis de causis Matrimonio præmittuntur. Primò, *Ne vilem habeat maritus datam, quàm non suspiraverit Sponsus dilatam*; (inquit *S. Augustinus*, Libro 8. *Confessionum*, Cap.3.) Secundò, ut interim in contrahentium statum, conditionem, & mores diligentior fiat inquisitio. Tertiò, ut Sponsi ad Matrimonii Sacramentum eâ, quæ Christianos decet, pietate se præparent. Qua de re Sacra Synodus Tridentina Sessione 24. Cap. 1. *De Reformatione Matrimonii*, ita statuit: *Postremò Sancta Synodus Conjuges hortatur, ut antequàm contrahant, vel saltem triduò ante Matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & ceremoniis hac in re utuntur, eas omninò retineri Sancta Synodus vehementer optat.*

Qua ætate Sponsalia contrahi possunt?

164. Sponsalibus contrahendis septennii ætas à Jure constituta est, Cap. *Literas*, & Cap. *Accessit*, Ext. *De Desponsatione Impuberum*, ubi *Alexander III.* Eboracensi Archiepiscopo respondet, Matrimonium inter quemdam, & cujusdam puellæ, quæ desponsata ipsi fuerat, matrem celebratum, subsistere debere; omninóque ratum esse, *Si constiterit quòd puella non esset septennis quando desponsata fuit, nec posteà in eum consensit*. Idemque confirmat *Innocentius*

III.

III. Cap. *Ad dissolvendum*, sub eodem Titulo. Si contrahentes nondum quidem septennium attigerunt, sed parum absunt ab ea ætate, contractus Sponsaliorum robur habet; (inquit *S. Thomas*;) quæ propinquitas secundùm conditionem contrahentium determinanda est; quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus, quàm in aliis.

PARS I. Art. ult. §. 6.

Quid si ante annos pubertatis fiat contractus Sponsaliū per aliū?

865. „ Si ante annos pubertatis fiat con„ tractus Sponsalium per alium; scilicet „ per parentes, vel tutores, ambo vel al„ ter reclamare possunt; unde nihil tunc „ actum est; adeò ut nec affinitas ulla ex „ hoc contrahatur: & ideò Sponsalia quæ „ inter aliquos per alias personas contra„ huntur, robur habent, in quantum illi „ inter quos contrahuntur, ad ætatem de„ bitam venientes, non reclamant, ex quo „ intelliguntur consentire his quæ per alios „ facta sunt (inquit *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 27. Quæstione 2. Articulo 2. ad primum.) Idque colligitur ex Cap. *De illis*, Ext. *De Desponsatione Impuberum*, & ex Cap. *Infantes*, in Sexto, sub eodem Titulo.

Quo modo Sponsalia dissolvi possunt.

866. Dissolvuntur Sponsalia, aut ipso Jure, aut facto hominis. Ipso Jure, cùm nullâ habitâ ratione voluntatis & consensûs partium, certâ causâ emergente distrahuntur, scilicet Matrimonio cum alia persona inito, Regularis Vitæ Professione solemni; ortâ inter Sponsos ex unius cum alterius cogna-

PARS I. Art. ult. §. 6.

gnato vel cognata concubitu affinitate, & Sacri Ordinis à viro susceptione. Facto hominis dissolvuntur Sponsalia, vel utriusque contrahentis dissensu; vel cùm legitima interveniente causâ, dissolutio alterius tantùm voluntati permittitur, veluti ex fornicatione, defectione à vera Religione, absentiâ diuturnâ, membrorum amissione, incurabilis morbi interventu. Hæc autem paulo accuratius explicanda sunt.

Absque causa legitima dissolvi non possunt.

867. Itaque Sponsaliorum fidem frangere, lethale peccatum est, nisi legitimum impedimentum interveniat. Ita docet *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum* Dist. 27. Quæstione 2. Articulo 1. ad secundum: „ Ex tali „ (inquit) promissione obligatur unus alii „ ad Matrimonium contrahendum, & pec- „ cat mortaliter non solvens promissum, „ nisi legitimum impedimentum interve- „ niat. Et secundùm hoc etiam Ecclesia „ cogit, injungendo Pœnitentiam pro pec- „ cato: tamen in foro contentioso non „ compellitur; quia Matrimonia coacta con- „ sueverunt malos exitus habere: nisi fortè „ Juramentum intervenerit; quia tunc co- „ gendus est (ut quidam dicunt) Quamvis „ aliis non videatur, propter causam præ- „ dictam; præcipuè si de uxoricidio time- „ retur.

Sponsi cogi possunt ad imple-

868. Eos qui Sponsalia legitimè contraxerunt, Judex Ecclesiasticus ad fidem implendam, contrahendúmque Matrimonium com-

compellere poteſt, ſi nullum occurrat impedimentum: maximè ſi Sponſalia jurejurando firmata ſint. *S. Thomas* loco mox indicato.

PARS I. Art. ult. §. 6.

dum promiſſum. Et à Iudice compelli.

869. Quamvis autem acriùs compellendi ſint, qui Sponſalia Juramento firmavere, propter majus vinculum, & juramenti religionem; ſunt etiam urgendi ut datam fidem impleant, qui illam ſine juramento obſtrinxerunt. Ad fidem enim promiſſorum ſervandam quiſque ex juſtitia tenetur. Sed tamen ita urgendi ſunt à Judice, ut ex nolentibus volentes fiant, quemadmodum de compellendis ad Fidem Catholicam Hæreticis dicitur Canone *Vides*, Cauſa 33. Quæſtione 6. ex *S. Auguſtino*. Cæterùm ſi ex hujuſmodi Nuptiis gravia ſcandala, implacabiles inimicitiæ, diuturnæ & periculoſæ lites, & alia id genus mala probabiliter timeantur, & ſponſorum alter ſit in negando conſenſu pertinax, Sponſaliorum diſſolutio, permittenda vel toleranda eſt ceu minus malum, ad gravius malum avertendum. Levius enim ac tolerabilius malum eſt Sponſaliorum fidem infringi, quàm Matrimonia cogi, duáſque familias implacabilibus diſſidiis, litibus, odiis perturbari.

Niſi ob gravius malum avertendum permittenda, ſeu toleranda ſit diſſolutio.

870. Solvuntur Sponſalia per Matrimonium, quod Sponſorum alter cum alia perſona validè contraxerit. Matrimonii enim vinculum indiſſolubile eſt; adeóque Sponſalia ante illud contracta obſervare eſt impoſſibile. Unde eorum obligatio per ſub-

Per matrimonium ſubſequẽs cum altera contractum ſolvuntur

PARS I. Art. ult. §. 6. *Sponsalia.*

sequens Matrimonium extinguitur. Nec tamen sponsus vel sponsa, qui Sponsaliorum fide violatâ, cum alio, vel alia contraxerunt, à peccato sunt immunes, ut declarat *Gregorius IX.* Cap. *Si inter virum*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*.

Irrita verò sunt quæ post Vota Religionis aut Castitatis ineuntur.

871. Irrita verò essent ipso Jure Sponsalia, quæ Vota Solemnia in Professione Vitæ Religiosæ emitti solita, aut Vota etiam simplicia Religionis, Castitatis, aut suscipiendi Sacros Ordines, sequerentur. Nemini enim promittere licet, quod præstare non potest, causis legitimis prohibentibus: qui autem hujusmodi Votis Deo se obstrinxit, Matrimonium contrahere non potest, Votis prohibentibus: Postrema enim tria contrahendum impediunt, priora etiam dirimunt contractum. Quare Matrimonium promittere non potest, qui hujusmodi Vota Deo nuncupavit. At Votum simplex Sponsalia subsequens, illa non dirimit, ut docet *S. Antoninus* 3. P. Tit. 1. Cap. 18. §. 2.

Dissolvuntur per Professionem Monasticam.

872. Dissolvuntur autem ipso Jure per Professionem Monasticam. Cùm enim Matrimonium ratum & non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum dirimatur, ut declarat Sacra Synodus Tridentina Sessione 24. Canone 6. multò magis, Sponsalia, quorum non tam arctum vinculum est, per eamdem dissolvuntur. Id confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 27. Quæstione 2. Articulo

3. *In*

3. *In duobus*, inquit, *casibus* [*scilicet cùm quis ad Religionem confugit, & cùm alter conjugum cum altero per verba de præsenti contrahit*] *ipso Jure Sponsalia dirimuntur: sed in aliis casibus dirimi debent secundùm Judicium Ecclesiæ*.

Ex parte nempe remanentis in seculo.

873. Qui tamen Monasterium simpliciter ingreditur, Sponsaliorum vinculo non solvitur antequam solemnibus Votis se Deo consecravit, Mundóque penitus mortuus sit. Sed qui in sæculo relinquitur, sponsione suâ liberatus est statim atque Vestem Religiosam alter suscepit, & Matrimonium cum altero, vel altera contrahere potest. Qui enim Religiosam Vestem induit, causam dedit ut joco & serio, animo irato & pacato, possit improperari ei cuculli, aut veli assumptio & abjectio, levitas & inconstantia, & alia quæ rixarum materiam præstare possunt, si ad sæculum revertatur.

Et per subsequẽtem alterutrius Sponsi fornicationẽ, etiamsi jurata fuerint.

874. Subsequens alterutrius Sponsi fornicatio Sponsalia dirimit, etiam jurata. Hæc enim datæ fidei directè repugnat. *Quamvis enim nondum dederint sibi mutuò potestatem corporis Sponsalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum; & ideò potest sibi præcavere unus contra alium, Sponsalia dirimendo*; [inquit *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 27. Quæstione 2. Articulo 3. ad sextum.] Eáque Responsio consona est Decretali *Innocentii III.* Cap. *Quemadmo-*

PARS I. Art. ult. §. 6.

modum, Ext. *De Jurejurando*, cujus hæc sunt verba: „ Quemadmodum si vir mulieri jurasset, quando contraxit cum illa, „ quòd eam semper pro legitima uxore teneret, pro fornicatione quam mulier antea commisisset, non posset eam dimittere, sed pro fornicatione quam posteà perpetraret, eam dimittere posset, non obstante hujusmodi Juramento: quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio, si videlicet in legem conjugii illa non peccaret: ita si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem: quia in illo Juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam Desponsationis non venerit. „ Alioquin si post hujusmodi Juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in uxorem, quod est prorsus absurdum. Nam si post contractum conjugium vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere; longè fortiùs ante conjugium celebratum, propter eamdem causam licitè potest in suam cohabitationem non admittere Sponsam: quia turpius ejicitur quàm non admittitur hospes: non obstante in allerutro casu vinculo Juramenti, „ quod quidem propter intelligendam conditionem est tale, ut is qui juravit ad

utrum-

„ utrumque sine transgressione possit se ha-„ bere: Id est, ut eam recipiat, vel non recipiat. Cæterùm fornicario non licet parte invitâ pactum rescindere: quippe cui sua malitia patrocinari non debet. Hæc Doctrina etiam in puella ab altero vi oppressâ locum habet; immò & in ea, quæ cùm crederetur esse virgo, posteà compertum fuit esse corruptam. Ad illam enim ducendam propter insignem in ea factam, vel cognitam in pejus mutationem, ad statum Matrimonii pertinentem, Sponsus non obligatur: maximè cùm bigamiæ vitium contrahere nemo cogatur. Quòd si propter fornicationem corporis Sponsalia dirimuntur, minimè dubitandum est, quin propter fornicationem spiritualem, scilicet hæresim, apostasiam, & quodcumque grave crimen & infamiam inducens, dissolvi possint.

Dissolvuntur propter affinitatem supervenientem.

875. Dissolvuntur etiam Sponsalia propter affinitatem ex illicitâ copulâ, vel cognationem spiritualem supervenientes, & propter famam cujusque impedimenti, si fama probetur. Si quis ergo fide interposita desponsavit aliquam, & deinde consanguineam Sponsæ intra gradum prohibitum carnaliter cognovit, ipso jure Sponsalia inter eos inita dirimuntur, ut constat ex Cap. *Fraternitati*, Cap. *Ex litteris*, & Cap. *Veniens*, quæ sunt *Innocentii III.* Responsa, Ext. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.*

S. Thomas

876. Idem confirmat *S. Thomas*, in 4.

PARS I. Art. ult. §. 6.

Sententiarum, Dist. 27. Quæstione 2. Articulo 3. ad quartum respondens: „ Si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel „ è converso, tunc debent sponsalia dirimi; „ & ad hoc probandum sola fama sufficit „ propter scandalum vitandum. Causæ „ enim quæ in futurum exspectant effectus „ suos, impediuntur à suis effectibus non „ solùm ex eo quod est, sed ex eo quod futurum est. Unde sicut affinitas, si esset „ tempore contractûs Sponsalium, impedivisset contractum illum, ita si interveniat „ ante Matrimonium, quod est effectus quidam Sponsalium, prior contractus ab „ effectu suo impeditur. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, imò ei confertur; „ quia absolvitur ab eo, qui per fornicationem Deo se odiosum reddidit. Affinitatem porrò ex illicita copula provenientem Tridentina Synodus ad secundum gradum restrinxit: unde si quis sponsæ suæ consanguineam in secundo gradu cognoverit, irrita fiunt ipso jure Sponsalia, nullúmque inter se Matrimonium contrahere possunt: aliter tamen se res habet, si Sponsæ suæ consanguineam in remotiori gradu cognoverit.

Et cognationem spiritualem,

877. Sponsalia pariter dirimit cognatio spiritualis superveniens, velut si alter alterius filium è sacro Fonte suscipiat, ut constat ex Cap. *Veniens*, Ext. *De Cognatione spirituali*, quod *Innocentii III.* Responsum est.

878. Quod autem sola fama impedimenti probata sit sufficiens ratio Sponsalia dirimendi, constat ex Cap. *Super eo*, quod *Urbani III.* Responsum est, Extra, *De Consanguinitate, & Affinitate*. PARS I. Art. ult. §. 6. *Et famam impedimenti.*

879. Sponsalia dirimi possunt propter ferociam & asperitatem morum alterutrius Sponsi, si certò perspecta sit & cognita: non verò si vulgi dumtaxat rumore fama illa percrebuerit. Colligitur ex Cap. *Veniens*, quod *Alexandri III.* Responsum est, Ext. *Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere possunt*. *Propter ferociam.*

880. Dirimuntur quoque propter paralysim, lepram, epilepsiam, aliúmve similem morbum, necnon propter magnam deformitatem vel debilitatem supervenientem. Cap. *Litteras*, Extra, *De Conjugio Leprosorum*, quod est *Urbani III.* Responsum. *Paralysim lepram, &c.*

881. Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 27. Quæstione 2. Articulo 3. in Responsione ad tertium: „ Si „ (inquit) ante contractum Matrimonium „ aliquam gravem infirmitatem incurrat „ alter eorum inter quos sunt contracta „ Sponsalia, quæ ipsum nimis debilitet, „ [ut epilepsia, vel paralysis:] aut eum deformet [ut abscissio nasi, vel orbitas oculorum, vel aliquid hujusmodi;] aut quæ „ sit contra bonum prolis [ut lepra quæ solet prolem inficere:] possunt Sponsalia *S. Thomas*

PARS I. Art. ult. §. 6.

„ dirimi, ne sibi invicem displiceant, & „ Matrimonium sic contractum malum „ exitum sortiatur: nec pro pœna punitur „ aliquis, sed ex pœna damnum reportat; „ quod non est inconveniens.

Etiam fraus cōmissa, vel promissi implendi impotentia.

882. Fraus commissa in solutione dotis, vel impotentia solvendi, seu aliam quamvis honestam conditionem pacto appositam adimplendi, causa legitima est dirimendi Sponsalia. Colligitur ex Cap. *De illis*, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione*.

Capitales inimicitiæ.

883. Capitales inimicitiæ inter Sponsos vel eorum parentes subortæ sufficientem rationem præbent dirimendi Sponsalia. Funesti enim exitus ex Nuptiis illorum timendi sunt: quare Ecclesiæ Judicio Sponsalia in ea hypothesi dirimuntur, juxta Cap. *Requisivit*, Extra, *De Sponsalibus & Matrimonio*.

Ætatis defectus.

884. Sponsalia dissolvi possunt, cùm quis ante pubertatis annos illa contraxit. Postquam enim ad pubertatis annos pervenit, eorum dissolutionem ab Ecclesiastico Judice petere potest, nisi pubes factus illa expresso vel tacito consensu rata habuerit. Idem esto judicium, si ambo impuberes contraxerunt. Contractus enim dissolutionem petere non possunt antequam ad pubertatem pervenerint, sed solùm puberes facti. Id constat ex Cap. *De illis*, Ext. *De Desponsatione impuberum*, & Cap. *A nobis*, sub eodem Titulo, quæ sunt *Alexandri III.* Responsa. Si tamen carnalis commixtio inter-

ve-

venisset, quæ interdum tempus anticipare solet pubertatis, Sponsalia dirimenda non essent, [inquit idem Pontifex.]

Professio longinqua

885. Dirimi pariter possunt, cùm Sponsorum alter sine alterius consensu in longinquam regionem proficiscitur. Nam per hujusmodi profectionem datam fidem retractare, & voluntatis mutationem declarare videtur. Jure quidem Civili triennii absentia constituta est, ut Sponsalia solvi possint, L. 2. Cod. *De Repudiis*: sed Jus Canonicum profectionem solam in longinquam regionem absque alterius consensu, legitimam esse caussam dissolvendi Sponsalia sanxit. Sic respondit Panormitano Archiepiscopo *Alexander III.* Cap. *De illis*, Extra, *De Sponsalibus & Matrimonio*. Cæterùm priùs quàm solvantur, absentem tribus edictis citari in ipsa Ecclesia in qua Matrimonii futuri Denunciationes factæ sunt, statuunt Synodus Senonensis anno 1524. & Parisiensis 1557.

Lapsus temporis.

886. Possunt etiam dirimi propter lapsum temporis ad ineundum Matrimonium ex conventione partium constituti: ille tamen per quem stetit ne Matrimonium contraheretur, Pœnitentiâ eluere debet violationem datæ fidei. Sic respondet *Innocentius III.* Cap. *Sicut*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*. Idémque sanxere Synodus Senonensis anno 1524. & Parisiensis anno 1557 Id tamen intelligendum, quando terminus adji-

adjicitur Sponsalibus ad restringendum obligationem; tunc enim obligatio extinguitur, vinculum solvitur: Aliter autem se res habet ubi dies adjicitur obligationi jam contractæ: tunc enim censetur potius adjecta ad solemnizandum effectum obligationis (ut loquuntur Jurisconsulti) quàm ad extinguendam ipsam obligationem. Quare si contractis puris Sponsalibus, postea tractetur de die Nuptiarum, lapsus illius diei Sponsum à sponsione Matrimonii non liberat, etiamsi per ipsum non steterit, quin illo die contraheret.

Et mutuus consensus dissolvit sponsalia.

887. Sponsalia, etiam jurata, mutuo partium consensu, suam sponsionem remittentium, dirimi possunt. Sic respondet *Innocentius III.* Cap. *Præterea*, 2. Extra, *De „ Sponsalibus & Matrimonio*. Nec semper „ est levitatis retractare quæ priùs firmata „ sunt [inquit *S. Thomas*] quia *incertæ sunt providentiæ nostræ*, ut dicitur *Sapientiæ* 9.

Utrum sponsalia propter Deum jurata remissione partium solvi possint?

888. Dubitari potest, utrum Sponsalia propter Deum jurata, partium remissione solvantur. Respondetur, distinctione hoc in casu opus esse: aut enim promissio præcipuè facta fuit Deo, licet in favorem tertii, ut si quis dixerit, *Promitto Deo me talem accepturum in uxorem*: & tunc mulier promissionem remittere non potest, licèt ad ejus utilitatem facta sit, quia mulieri primariò ac præcipuè non est facta, sed Deo, & sapit rationem voti. Aut promissio præcipuè facta

est

est mulieri; ut si quis dixerit, *Promitto tibi Matrimonium intuitu & amore Dei*: & tunc à muliere, cui & in cujus utilitatem facta est, remitti & condonari potest obligatio. Hæc Responsio est *S. Thomæ*, Secunda Secundæ, Quæstione 89. Articulo 9. ad secundum. „ Homo [inquit] potest alteri promittere aliquid sub juramento dupliciter. „ Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius: putà, si sub „ juramento promittat se serviturum ei, vel „ pecuniam daturum: & à tali promissione „ potest absolvere ille cui promissio facta „ est. Intelligitur enim jam ei solvisse pro- „ missum, quando facit de eo secundùm ejus „ utilitatem. Alio modo promittit aliquis „ alteri quod pertinet ad honorem Dei, vel „ utilitatem aliorum: putà, si aliquis sub „ juramento promittat alicui se intraturum „ Religionem, vel aliquod opus pietatis fa- „ cturum: & tunc ille cui promittitur, non „ test absolvere promittentem; quia pro- „ missio non est facta ei principaliter, sed „ Deo: nisi fortè sit interposita conditio, „ ratione cujus possit, scilicet, si illi vide- „ bitur, cui promittitur, vel aliquid aliud „ tale.

889. Cùm autem Sponsi mutuo consensu à promissis resilire volunt, absolvi tamen non possunt à promissione futurarum Nuptiarum, nisi auctoritate Episcopi, sive ab Officiali, causâ dissensûs cognitâ, ut de- *Sponsi absolvi non possunt à futuri Matrimonii*

cre-

PARS I. Art. ult. §. 6. *promissione nisi auctoritate Episcopi sive ab Officiali causa cognita. Exceptio.*

crevit Synodus Carnotensis anno 1526. & Parisiensis anno 1557. sub pœna etiam Excommunicationis prohibens, ne quisquam è Diœcesanis contrarium attentare præsumat.

890. Ad Sponsalia dirimenda non est necessaria Judicis Ecclesiastici Sententia, cùm ipso Jure dissolvuntur. *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 27. Quæstione 11. Articulo 3. *In duobus*, inquit, *casibus*, *scilicet cùm quis ad Religionem confugit*, & *cùm alter conjugum cum altero per verba de præsenti contrahit*, *ipso Jure Sponsalia dirimuntur*. [Tertium casum addit *S. Antoninus*, 3. P. Tit. 1. Cap. 7. scilicet fornicationem notoriam.] *Sed in aliis casibus dirimi debent secundùm Judicium Ecclesiæ*; [inquit *S. Thomas*.]

De promissis negativis Matrimonii.

891. Qui simpliciter vel cum juramento promisit se numquàm Matrimonium contracturum cum alio vel cum alia, contrahere non tenetur, sed solùm obligatur ad contrahendum cum illo vel illa, si contrahere velit. Promissiones enim & pactiones negativæ aliam obligationem non pariunt: sicut si quis dicat, Non vendam rem meam nisi Sempronio, non propterea cogi à Sempronio potest ad vendendum, nisi velit eam vendere. Quare qui hoc modo promisere, Ego numquàm alteram præter te accipiam uxorem, Ego nulli unquàm nubam alteri viro quàm tibi, Matrimonium cum alio contrahere

here non possunt absque violatione fidei, & consequenter absque lethali peccato, nisi aliqua ex causis Sponsalia dirimentibus intervenerit: sed tamen cœlibem vitam agere possunt & Nuptiis nuncium in perpetuum remittere.

PARS I. Art. ult. §. 6.

892. Porrò curare debent Episcopi & Parochi, ne Sponsi priúsquàm Matrimonium in Ecclesia per verba de præsenti celebraverint, non modò simul habitent, sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine commercióve utantur. Ita statuit *S. Carolus* in Concilio Provinciali Mediolanensi 6. Tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent*. Qui & carnalem copulam inter Sponsos, ante Matrimonii celebrationem coram Parocho & testibus, in eorum peccatorum numero esse voluit; quorum Absolutio Episcopo reservata est in Mediolanensi Provincia, illiúsque peccati reis gravem Pœnitentiam imponi decrevit, in Synodo Provinciali 2. Tit. 1. Decreto 27. Idémque repetit in Instructionibus *De Sacramento Matrimonii*, & Sponsos ea de re diligenter ac vehementer à Parocho moneri jubet. Peccata enim carnis, sive opere consummata, sive per oscula & amplexus, tactúsve libidinosos inchoata, gratiæ sacramentali, & benedictionibus, quas Deus in castos conjuges largâ manu effundit, obicem ponunt. Synodi Mediolanensis Secundæ & *S. Caroli* ea de re Decretum suum fecit Synodus Aquensis anno 1585. celebrata.

Cautiones Parochorum necessariæ, ne inter Sponsos copula intercedat ante matrimonii celebrationem.

893. Ma-

PARS I. Art. ult. §. 7. *Et ne admittant ignorantes.*

893. Matrimonio conjungendi non sunt, qui Christianæ Fidei rudimenta ignorant. Ita statuit *S. Carolus* in Concilio Provinciali Mediolanensi 5. & in Instructionibus, Ita jubet Rituale Romanum.

§. VII.

De Usu Matrimonii.

Qua cum cautione hac de re tractandum.

894. USum conjugii quod spectat, sic explicare oportet quæ ad illum Christianè exercendum pertinent, ut nec rerum necessariarum cognitio hac in materia Pastoribus, Confessariisque desit; nec inutilium, & quas curiosiùs scrutari, aut in iis particulatim expendendis morari periculosum est, lectio superflua ipsos inquinet. Quod nos exequi conabimur.

Matrimonii usus licitus est, & meritorius esse potest.

895. Igitur Matrimonii usus non solùm peccati expers est secũdùm se: sed meritorius esse potest. Qui enim fecit hominem ab initio, mulierémque illi in sociam & adjutorium dedit, dixit: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Non aliter autem duo fiunt in carne una, quàm usu conjugii. Hinc Apostolus ad *Hebreos* Cap. 13. ait: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Thorus porrò immaculatus non esset, si conjugalis concubitus absque peccato esse non posset.

Matth. 19

896. Hinc

896. Hinc *Sanctus Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, Cap. 6. *Conjugalis*, inquit, *concubitus generandi gratiâ non habet culpam: Concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge propter thori fidem, venialem habet culpam: Adulterium verò sive fornicatio lethalem habet culpam*. Idem docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Distinctione 26. Quæstione 1. Articulo 4. *Si*, inquit, *ad actum Matrimonialem virtus inducat, vel Justitiæ, ut debitum reddat; vel Religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius*. PARS I. Art. ult. §. 7. *S. Augustinus*.

987. Non est tamen inculpabilis, nisi fiat causâ prolis procreandæ, vel debiti reddendi. Aliàs enim concupiscentiæ quodammodo serviunt conjuges, quamvis intra Matrimonii fines redigatur; unde id nonnisi *Secundùm veniam* Apostolus concedit. Hinc *S. Augustinus*, Lib. *De Bono Conjugali*, Cap. 6. „ In ipsa (inquit) immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non secundùm imperium præcipit, sed secundùm veniam concedit Apostolus, ut etiam propter causam procreandi sibi misceantur; & si eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, Nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter Nuptias admittitur, sed propter Nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solùm ipsius sexûs sui commiscendi fidem libero- *Si nempe fiat causa prolis procreandæ & reddendi debiti*. *S. Augustinus*.

„ rum

PARS I. Art. ult. §. 7.

„ rum procreandorum causâ, quæ prima est „ humani generis in ista mortalitate socie„ tas, verùm etiam infirmitatis invicem „ excipiendæ, ad illicitos concubitus evi„ tandos, mutuam quodammodo servitu„ tem. *Et infra*: Melior est quidem ab „ omni concubitu continentia, quàm vel „ ipse matrimonialis concubitus, qui fit „ causâ gignendi: sed quia illa continentia „ meriti amplioris est; reddere verò debi„ tum conjugale, nullius est criminis: exi„ gere autem ultra generandi necessitatem, „ culpa venialis; fornicari verò vel mœ„ chari, puniendi criminis; cavere debet „ caritas conjugalis, ne dum sibi quærit „ unde ampliùs honoretur, conjugi faciat „ unde damnetur. Ita etiam docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 31. Quæstione 2. Articulo 2. *Quando* (inquit) *conjuges conveniunt causâ prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quod ad fidem pertinet, totaliter excusantur à peccato*. Et infrà: *Et ideo duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt; scilicet causâ prolis procreandæ, & debiti reddendi, aliàs autem semper est ibi peccatum, ad minùs veniale*.

Vitandæ in se fornicationis causa, est veniale peccatum. S. Thomas

898. Unde conjugalis concubitus vitandæ in se solùm fornicationis causa, non immunis est à peccato veniali. Ita docet *S. Thomas* loco mox indicato, in Responsione ad secundum. „ Si aliquis (inquit) per actum

„ Ma-

„ Matrimonii intendat vitare fornicatio- PARS I. Art. ult. §. 7.
„ nem in conjuge, non eſt aliquod pecca-
„ tum, quia hoc eſt quædam redditio, quæ
„ ad bonum fidei pertinet. Sed ſi intendat
„ vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi ali-
„ qua ſuperfluitas: & ſecundùm hoc eſt pec-
„ catum veniale; nec ad hoc eſt Matrimo-
„ nium inſtitutum niſi ſecundùm indulgen-
„ tiam, quæ eſt de peccatis venialibus. „
Aliis nempe modis conveniētioribus, ſcilicet per orationem, jejunia, aliáque pia opera vitare quis fornicationem, & continentiam à Deo impetrare poteſt. Conjugis autem intemperantiæ, cui ex fide matrimoniali obviare tenetur, aliter mederi non poteſt, cùm aliena voluntas non ſit in noſtra poteſtate.

899. Pariter ſanitatis dumtaxat cauſa exercitus veniale peccatum eſt. Non enim ob ſanitatem, ſed ob liberorum procreationem Matrimonium inſtitutũ eſt. Unde *S. Thomas* in Reſponſione ad quartum: *Quamvis*, inquit, *intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum; ſicut qui ex Sacramento Baptiſmi tantùm ſalutem corporalem quæreret. Et ſimiliter eſt in propoſito de actu Matrimoniali.* *Etiam ſanitatis cauſa.* *S. Thomas*

900. Neque culpâ caret, ſi partim generationis cauſâ, partim ob voluptatem fiat. Sola enim liberorum procreandorum *Etiam, ſi partim generatio-*

PARS I. Art. ult. §. 7. *nis, partim voluptatis causa. S. Thomas*

causa, vel debiti reddendi, hoc opus à peccato excusat, secundùm illam Tobiæ Junioris sententiam: *Et nunc Domine, Tu scis quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur Nomen tuum in secula seculorum.* Hinc .*Thomas* Articulo 3. Quæstionis citatæ; *Si quæratur*, inquit, *delectatio infra limites Matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur quàm in conjuge, sic est veniale peccatum.*

Et dum ita frequenter & intempestivè exercetur, ut impediat tempora orationi debita. S. Augustinus.

901. Opus conjugale ita frequenter & intempestivè exercere, ut impediat tempora orationi debita, gravius quidem peccatum est, quàm si aliis temporibus ob solam delectationem carnale debitum exigeretur: Non tamen est mortale peccatum. Prima pars ex ista *S. Pauli* Sententia colligitur, 1. Cor.7. *Nolite fraudare invicem nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi:* Quam *S. Augustinus* sic interpretatur Libro *De Bono Conjugali*, Cap. 10. *Illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, & aliquando nullâ causâ procreandi; quem Nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant si tamen non ita sit nimius ut impediat quæ seposita esse debent tempora orandi*, &c. Quibus verbis significatur quidem gravius esse peccatum, nec ita facilè excusari concubitum conjugum adeò nimium ut impediat tempora quæ orationi debentur, quàm

quàm si quolibet alio tempore, solius etiam voluptatis causâ huic operi vacarent: Sed tamen ad malitiam peccati mortalis pertingere propter hanc sacri temporis circumstantiam, disertè non asserit *S. Augustinus*.

902. Partem utramque *S. Thomæ* testimonio fulcimus in 4. *Sententiarum*, Dist. 32. Quæstione 1. Articulo 5. Quæstiuncula 1. *Actus*, inquit, *Matrimonialis quamvis culpâ careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideò in diebus in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum.... Quamvis* enim quis *non teneatur omnibus horis orare, tamen tenetur totâ die se conservare idoneum ad orandum.* Et Quæstiunculâ 2. *Petere debitum in die festivo*, inquit, *non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati; unde non potest in infinitum aggravare. Et ideò non peccat mortaliter uxor, vel vir, si in die festivo debitum petat. Sed tamen gravius est peccatum si solâ delectationis causâ petatur, quàm si propter timorem quô quis sibi timet de lubrico carnis, debitum petat.* Narrat *S. Gregorius* Libro 1, *Dialogorum* Cap. 10. Mulierem quamdam, quæ *Voluptate devicta*, commixta viro fuerat nocte præcedente, publicæ Supplicationi ad Oratorii *S. Sebastiani* Dedicationem adfuisse, quia *Processionem verecundia imperavit*: ob idque à Diabolo fuisse arreptam;

S. Thomas

„ Matrimonii bona majori in dies divinæ „ gratiæ cumulô augeri sentiant.

PARS I. Art. ult. §. 7. *Usus Matrimonii ob libidinem quandoque peccatũ mortale.*

904. At verò lethalis peccati reus est, qui conjuge ita intemperanter utitur, ut intra conjugalem affectum non se contineat, paratus etiam cum alia non conjuge, aut cum eadem, quamvis conjux non esset, libidinem suam explere, atque omninò voluptatem illam sic amans, ut eam Dei timori anteponat. De his enim *Tobiæ* 6. dicitur: *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.* Et Dominus in Evangelio: *Qui amat uxorem suam plusquàm me, non est me dignus.* Idem docet *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 31. Quæstione 2. Articulo 3. *Si*, inquit, *delectatio quæratur ultra honestatem Matrimonii, ut scilicet aliquis in conjuge non attendat quòd conjux est, sed solùm quòd mulier est, idem paratus facere cum ea ac si non esset conjux, est peccatum mortale: & talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona Matrimonii fertur.* Et in Responsione ad primum: *Tunc voluptates meretricias vir in uxore quærit, quando nihil aliud in ea attendit, quàm quod in meretrice attenderet.*

De congressu cũ

905. Congressus cum uxore gravida peccatum est, & mortale quidem, si peri-

PARS I. Art. ult. §. 7. *Vxore gravida.*

culum sit perdendi fœtum, tametsi nondum animatum. Aliàs verò veniale. Quicumque enim se lethalis peccati periculo exponit, lethaliter peccat. Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 31. in expositione Textûs. *Ex hoc*, inquit, *imminet periculum abortûs. Et ideò Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem impraegnatam: non tamen ita quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabiliter timetur de periculo abortûs.*

Cum Menstruata.

906. Illicita est petitio conjugalis debiti tempore infirmitatis menstruæ, non tamen ita certum est an reddere sit illicitum, si conjux alter pertinaciter petat, & periculum peccati gravioris illi ex repulsa timeatur. *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 32. Quæstione 1. Articulo 2. Quæstiuncula 2. „ Accedere (inquit) ad menstruatam, in Lege prohibitum erat duplici ratione; cum propter immunditiam; tum propter nocumentum quod in prole ex hujusmodi commistione frequenter sequebatur: & quoad primum, præceptum erat ceremoniale; sed quantum ad secundum, erat morale: quia cùm Matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus est omnis Matrimonii usus quô bonum prolis intenditur: & ideo hoc præceptum obligat etiam in Nova Lege propter secundam rationem, etsi non propter primam. *Et infra*: Quando

„ do naturaliter mulier patitur fluxus men-
„ struorum, potest concipere; & iterùm ta-
„ lis fluxus non durat nisi ad modicum tem-
„ pus: unde prohibitum est ad talem acce-
„ dere; & similiter prohibitum est mulieri
„ in tali fluxu debitum petere.

907. Et Quæstiuncula 3. „ Dixerunt
„ quidam (inquit) quòd mulier menstrua-
„ ta sicut non debet petere debitum, ita
„ nec reddere: sicut enim non teneretur
„ reddere, si haberet infirmitatem in pro-
„ pria persona, ex qua periculum ei immi-
„ neret, ita non tenetur reddere, ad vitan-
„ dum periculum prolis: quia si mulier in-
„ firmatur, certissimum est quòd ex carnali
„ actu periculum ei imminet; non autem
„ ita certum est de prole, quæ fortè nulla
„ sequetur. Et ideò alii dicunt, quòd mu-
„ lieri menstruatæ numquàm licet petere
„ debitum: si tamen vir ejus petat, aut pe-
„ tit scienter, aut ignoranter: si petit scien-
„ ter, tunc debet eum avertere precibus
„ & monitis, tamen non ita efficàciter ut
„ possit ei esse occasio in alias damnabiles
„ corruptelas incidendi, si ad id pronus cre-
„ datur. Si autem petit ignoranter, tunc
„ mulier potest aliquam occasionem præ-
„ tendere, vel infirmitatem allegare, ne
„ debitum reddat, nisi periculum viro ti-
„ meatur: tamen finaliter si vir non desi-
„ stit à petitione, debet debitum reddere
„ poscenti. „ Nec propterea mulier con-

PARS I. Art. ult. §. 7.

sentire peccato viri censenda est, *Nisi voluntariè debitum reddat: quando enim est involuntaria, magis patitur quàm consentiat.*

Cum Puerpera.

908. Usus Matrimonii tempore puerperii illicitus est. Tunc enim mulier minùs apta est ad concipiendam prolem, & si concipiat, in pessimo statu nascetur, propter immunditiam matris, naturæque debilitatem.

Obligatio reddendi debitum.

909. Ad conjugale debitum sibi mutuò reddendum conjuges obligantur. Ita docet Apostolus 1. ad Corinthios 7. *Uxori* (inquit) *vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Idem confirmat *S. Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, Cap. 6. *Debent sibi conjugati non solùm ipsius sexûs sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causâ, verùm etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem.* Idem docent *S. Fulgentius*, Epistola 1. hoc argumentum tractans, & *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 30. Quæstione 1. Articulo 3. *Sicut*, inquit, *tenetur vir uxori in actu conjugali & dispensatione domûs ad id quod viri est, ita uxor viro ad id quod uxoris est.* Unde *sunt æquales in reddendo & petendo debitum.*

910. Con-

Art. ult. §. 7.

Negatio debiti absque justa Causa lethale peccatum.

910. Conjugale debitum petenti negare absque justa causa, lethale peccatum est. Violatur enim justitia in re gravi; quia is qui negat, subtrahendo corporis usum, cujus potestatem in alterum per Matrimonium transtulit, jure illum súo defraudat, dicente Apostolo 1. ad Corinthios 7. *Nolite fraudare invicem*: adeóque peccatum injustitiæ committit, & quidem gravius, quàm si rem alienam invito domino detineret. Præterea, ex debiti conjugalis negatione conjux alter in periculum incontinentiæ conjicitur, aliáque inde oriuntur mala, dissensiones, odia, rixæ, divortia, quamvis aliæ sæpe causæ propter verecundiam prætexantur.

S. Augustinus.

911. Id confirmat Christi Sententia, Matth. 5. *Qui dimittit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari*. Qui autem debitum negat, similis est dimittenti, & proinde uxorem suam pariter mœchari facit, id est, occasionem adulterii illi præbet, alteriúsve immunditiæ. Hinc S. *Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, Cap. 6. „ Ad hoc (inquit) uxor non „ habet potestatem corporis sui, sed vir, „ similiter & vir non habet potestatem cor„ poris sui, sed mulier: ut & quod non fi„ liorum procreandorum, sed infirmitatis „ & incontinentiæ causâ expetit, vel ille „ de Matrimonio, vel illa de marito, non „ sibi alterutrum negent: ne per hoc inci-

„ dant

PARS I. Art. ult. §. 7.

„ dant in damnabiles corruptelas, tentante „ Satana, propter incontinentiam vel am- „ borum, vel cujusquàm eorum.

Venialis tamen esse potest.

912. Verumtamen ratione circumstantiarum fieri potest, ac sæpe fit, ut negatio debiti venialis tantùm culpa sit, cùm scilicet probabile est non esse periculum incontinentiæ, vel negatio nimiùm duturna aut proterva non est; aut contra, si petitio multùm intempestiva sit vel immoderata; aut denique si conjux alter non adeò anxiè & importunè petat, neque ex negatione mœrorem, irámve concipiat. Quoniam verò dixi, negationem debiti conjugalis absque justa causa, lethale peccatum esse, explicandæ sunt legitimæ negandi causæ.

Causæ negandi. Prima.

913. Itaque, Adultero cōjugi debitum reddere conjux alter non tenetur. Hanc exceptionem colligere licet ex verbis Christi, Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Jure quippe exigendi debitum excidit, & quoad hoc conjux esse desiit, qui fidem conjugalem non servavit.

Secunda.

914. Reddere debitum conjux non tenetur cum detrimento suæ valetudinis. Caritatis enim ratio postulat ut suæ priùs incolumitati quisque consulat, quàm alterius corporali bono, & filiorum propagationi. Hinc S. Thomas, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 32. Quæstione 1. Articulo 1. ait: *Vir tenetur uxori reddere debitum in his*

quæ

quæ ad generationem prolis spectant; salvâ tamen priùs personæ incolumitate. Et in Responsione ad secundum: *Uxor,* inquit, *non habet potestatem in corpus viri, nisi salvâ personâ ipsius: Unde si ultrà exigat, non est petitio debiti, sed injusta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei satisfacere.*

Tertia.

915. Conjux debitum reddere non tenetur quolibet loco. Verecundia enim & honestas prohibet, ne loco publico, aut quasi publico reddatur: Religio, ne in loco sacro. Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 32. Quæstione 1. Articulo 5. Quæstiuncula 3. *Cùm*, inquit, *mulier habeat potestatem in corpore viri, quantùm ad actum generationis spectat, & è converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore, & quacumque horâ, salvâ debita honestate quæ in talibus exigitur; quia non oportet quòd statim in publico debitum reddat.*

Mulieris verecundiæ hìc consulendum.

916. Verecundiæ mulieris in redditione debiti vir consulere debet. *S. Thomas*, loco mox indicato, Articulo 2. Quæstiuncula 1. Petitur debitum dupliciter (inquit) *Unò modo expressè, ut quando verbis invicem petunt: alio modo est petitio debiti interpretata, quando scilicet vir percipit aliqua signa quòd uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet: & etiamsi non expressè verbis debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando expressa signa in uxo-*

PARS I. Art. ult. §. 7. *Matrum Officium in filiis nutriendis.*

uxore apparent voluntatis debitum petendi.

917. Christianas Mulieres adhortari operæ pretium est, ut filios suos propriis lactent uberibus, non alienis nutricibus tradant. Id enim postulare videtur natura, quæ ipsarum ubera lacte auget, ut quos pepererunt, suo ipsæ lacte nutriant. Quæ huic officio desunt, ex parte tantùm sunt matres, ut ait *Favorinus* Philosophus apud *Aulum Gellium*, Libro 12. *Noctium Atticarum*, Cap. 1. Hinc S. Paulus: *Facti sumus*, inquit, *parvuli in medio vestrûm, tamquàm si nutrix foveat filios suos.* Non alienos filios (inquit) sed suos: Filios certè non ita amant, nec eas vicissim filii, quæ ipsos non lactarunt. Hinc Sara, Anna, Mater Machabæorum, Maria, sanctæ aliæ feminæ filios suos propriis uberibus nutriverunt, nec facilè in Scripturis sacris reperias, quòd aliquæ filios suos alienis nutricibus tradiderint. Hinc *S. Ambrosius*, Libro 1. *De Abraham* Cap. 7. explicans hæc verba Genesis 21. *Quis annuntiabit Abrahæ quoniam lactet infantem Sara?* ait: *Moralis locus. Provocantur feminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quo filios propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quas ipsæ matres lactaverint uberibus suis.*

S. Gregorius.

918. Hinc *S. Gregorius*, Interrogationibus *S. Augustini* Anglorum Episcopi respondens, ait: *Prava in conjugatorum mori-*

ribus consuetudo surrexit, ut Mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eósque aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum: quia dum continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.

919. Religiosè servanda consuetudo est, quam Fidelium pietas introduxit, ut Mulieres post partum Ecclesiæ se sistant, solemnibus precibus Deo commendandæ, & gratias acturæ. *Innocentius III.* Cap. *Volens*, Extra, *De Purificatione post partum*. *Purificatio post partum.*

§. VIII.

De Divortio.

920. DIvortium est legitima conjugum separatio, quæ fit vinculô conjugii salvô manente. *Quid sit Divortiũ.*

921. Triplex est conjugum separatio: prima quoad vinculum [ante Matrimonii consummationem], quæ fit solemni Professione alterutrius in Religione per Sedem Apostolicam approbatâ. Altera quoad thorum seu copulam dumtaxat. Tertia quoad thorum simul & habitationem. *Triplex conjugum separatio.*

922. Fide porrò certum est, Ecclesiæ Judicio ob multas causas divortium inter conjuges fieri posse, quamvis consummatum sit Matrimonium, ut constat ex Rescriptis *Alexandri III.* & *Innocentii III.* Extra, *De Divortiis*, & ex Concilio Tridentino Ses- *Ecclesiæ judicio Divortiũ inter conjuges fieri potest.*

Di-

PARS I. Art. ult. §. 8. sione 24. Canone 8. cujus hæc sunt verba : *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas caussas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit; Anathema sit.* Quibus autem de causis legitima conjugum separatio fieri possit, explicandum est.

Adulterium causa legitima Divortii.

923. Igitur, alterius conjugum Adulterium est legitima Divortii causa. Id constat ex verbis Christi Matth. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari.* Idem confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Distinctione 35. Quæstione 1. Articulo 1. *Dominus*, inquit, *dimittere uxorem concessit propter fornicationem, in pœnam illius qui fidem fregit, & in favorem illius qui servavit; ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei qui non servavit fidem.* Requiritur autem ad divortium faciendum adulterii certitudo saltem moralis, tantáque, quantâ opus esset ad condemnandum in criminali foro; qualis est, si conjux se ream fateatur, aut si nuda cum nudo, sola cum solo, in uno lecto accubantes deprehendantur, aut multis secretis locis & latebris ad fornicationem commodis, & horis electis, ut colligitur ex Cap. *Litteris*, Extra, *De Præsumptionibus.*

At adulter adulteram dimittere non potest.

924. Verùm, Uxorem adulteram viro dimittere non licet, si reus ipse sit adulterii. Hac enim in causâ compensationi locus est.

Id

Id constat ex Cap. *Significasti*, Extra, *De Divortiis*. Idem docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Distinctione 35. Quæstione 1. Articulo 1. in Responsione ad secundum: *Divortium*, inquit, *ex causa fornicationis fit uno accusante alium: & quia nullus potest accusare, qui in simili crimine existit; quando uterque fornicatur, divortium celebrari non potest*. Hinc *S. Augustinus* Libro *De Sermone Domini in Monte*, Cap. 28. ex quo sumptus est Canon, *Nihil*, Causa 32. Quæstione 6. ait: *Nihil iniquius, quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit enim* „ *illud*: In quo enim alterum judicas, te- „ metipsum condemnas: eadem enim agis, „ quæ judicas. *Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de femina dixerim*. PAR I. Art. ult. §. 8.

925. Propter adulterium vir dimittere non potest uxorem, quam prostituit, *Innocentius III*, Cap. *Discretionem*, Extra, *De Divortiis*, Cap. *Intelleximus*, Extra, *De Adulteriis*, Et Cap. *Tua fraternitas*, sub eodem Titulo. *Nec quam prostituit vir dimittere potest.*

926. Vir uxorem suam dimittere non potest, quæ ipsum mortuum probabiliter credens, propter longam ejus absentiam, nupsit alteri, & de ejus vita certior facta, relictis adulterinis complexibus ad eum reverti voluit. Colligitur ex Canone *Cùm* *Nec eam quæ alteri nupsit ipsum credens esse mortuum.*

per

PARS I. Art. ult. §. 8.

per bellicam, qui est *S. Leonis*, & Canone *Cùm in captivitate*, qui est *Innocentii I*. Causa 34. Quæstione 1. necnon ex Cap. *Dominus*, Extra, *De Secundis Nuptiis*, quod est *Lucii III*. Responsum.

Nec fraudulenter ab altero cognitam. 927. Uxorem quæ fraudulenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante, viro dimittere non licet. Canone *In lectum*, Causa 34. Quæstione 1. qui Triburiensi Concilio tribuitur.

Nec vi oppressam. 928. Uxorem dimittere vir non potest, si vi oppressa fuerit. Illa enim à crimine immunis est, *Cùm omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis mens invita non pollui*; ut dicitur Canone *Illa autem*, qui est *S. Leonis*, Causa 32. Quæstione 5. Atque in illa hypothesi dici potest: * *Duo erant, & unus adulterium commisit*. Idem confirmant *Gratianus* in Appendice Canonis *Puto*, eâdem Causâ & Quæstione, & *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 35. Quæstione 1.

* Canon *Proposito*, Causa 32. Quæst. 5.

Nec reconciliatā. 929. Uxorem adulteram viro dimittere non licet, si eam post adulterium perpetratum receperit, carnalitérque cognoverit. Id colligit *S. Thomas* ex Canone *De Benedicto*, Causâ 32. Quæstione 1. qui *Pelagio* Papæ tribuitur.

Nec ultionis libidine adulterā dimittere 930. Vir uxorem adulteram ex livore & ultionis libidine dimittens, procul dubio peccat. Ita docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Distinctione 35. Quæstione 1. Arti-

ticulo 1. ad primum. *Vir*, inquit, *si dimittat uxorem fornicantem livore vindictæ, peccat; si autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandum prolis incertitudinem, non peccat*. PARS I. Art. ult. §. 8. *non licet*.

931. Vir uxorem adulteram dimittere tenetur, si Pœnitentiam non egerit, Canone *Sicut*, Causa 32. Quæstione 1. *Sicut*, inquit, *crudelis est & iniquus qui castam dimittit: sic fatuus est & injustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris*. Idem docet S. Thomas, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 35. Quæstione 1. Articulo 2. ad Sextum: *Uxor*, inquit, *non tantùm peccat in virum: sed etiam in se ipsam, & in Deum; & ideo vir totaliter potest pœnam dimittere, nisi emendatio sequatur*. *Impœnitentem dimittere oportet*. *S. Thomas*

932. Vir uxorem adulteram, Pœnitentem & emendatam recipere potest, Christianæque pietati conveniens est ut recipiat; sed non tenetur. Cap. *Si vir*, mox citato: *Quod si mulier dimissa egerit Pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpè recipere peccatricem*. Debet (inquam) debito convenientiæ & honestatis, non debito conscientiæ & necessitatis, ut explicat Glossa, quia etiam post Pœnitentiam posset eam accusare de adulterio, ut colligitur ex Canone *Admonere*, Causa 33. Quæstione 2, *Quid de adulteræ pœnitentis receptione*

PARS I. Art. ult. §. 8.

Itaque si conjux innocens hanc injuriam spontè non condonet, liber in perpetuum à conjugali debito manet, adeóque re juridicè probatâ, non modò dimittere potest confortem invitum; sed Religiosam vitam (si lubet) profiteri, vel Sacros Ordines suscipere, ut constat ex Canone *Agathosa*, Causa 27. Quæstione 2. ex Cap. *Constitutus*, & Cap. *Veniens*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*. Sic Sanctus *Paulus* cognomento *Simplex* uxorem in adulterio deprehensam dimisit, Vitámque Monasticam sub *S. Antonii* disciplina professus est, ut refertur *Historiæ Lausiacæ* Cap. 28.

S. Thomas

933. Id confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 35. Quæstione 1. Articulo 2. *Dimissio*, inquit, *uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam: Pœna autem corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præcessit: & ideò si mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere*. Quàm sit autem conveniens Christiano reconciliatio cum conjuge post adulterium pœnitente, docet *S. Augustinus* Libro 2. *De Conjugiis Adulterinis*, Cap. 6. & 9. Hujusmodi autem reconciliatio cum adultera conjuge propriô judiciô fieri potest, quamvis Divortii Sententia ab Ecclesia lata fuerit: *Cùm quilibet ad renunciandum juri suo liberam habeat facultatem*; ut dicitur Cap. Ex *conscientia*, Extra, *De crimine falsi*.

S. Augustinus.

Reconciliatio cum adultera proprio judicio fieri potest.

934. At,

934. At, Vir proprio judicio uxorem adulteram dimittere non potest: sed Ecclesiastici Judicis Sententiâ Divortium decerni debet. Nullus enim in eadem causa Actor est & Judex: Vir autem in causa adulterii adversùs uxorem Actor est, ut constat ex Cap. *Maritis*, Extra, *De Adulteriis*, quod Concilio Parisiensi tribuitur: Proprio itaque judicio illam dimittere non potest, sed expectari debet Judicis Ecclasiastici Sententia, ut sancitum est Canone *Sæculares*, Causâ 33. Quæstione 2.

PARS I. Art. ult. §. 8. *At non ejus divisio.*

935. Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 35. Quæstione 1. Articulo 3. „ Vir, *inquit*, potest dimittere uxorem dupliciter: Uno modo quantùm ad thorum tantùm; & sic potest eam dimittere, quàm citò sibi constat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddens nullum sibi præjudicium facit: alio modo quantùm ad thorum & cohabitationem: & hoc modo non potest dimitti nisi Judicio Ecclesiæ, aliàs si dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi possit ei vir incontinenti fornicationem probare. Hæc autem dimissio divortium dicitur: & ideò concedendum est quòd divortium non potest celebrari nisi Judiciô Ecclesiæ.

S. Thomas

936. Mulieres adulteræ, quas Mariti ad meliorem frugem conversas recipere no-

Adulteræ haud reconciliatæ

PARS I. Art. ult. §. 8. *ubi constituendæ.*

luerint, in Monasteriis ad perpetuam Pœnitentiam agendam sunt collocandæ. Canone *De Benedicto*, Causa 32. Quæstione 2.

In Divortio par jus viri & uxoris.

937. Par jus est viri & uxoris in causa Divortii, adeò ut uxor non minùs dimittere possit virum adulterum, quàm vir uxorem. Canone *Præcepit*, Causa 32. Quæstione 5. Id confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Dist. 35. Quæstione 1. Articulo 4. „ In causa, *inquit*, divortii vir & uxor ad paria „ judicantur; ut idem sit licitum & illicitum uni, quod alteri: Non tamen pariter judicantur ad illa; quia causa divortii „ est major in uno, quàm in alio; cùm tamen in utroque sit causa sufficiens ad divortium: Divortium enim est pœna adulterii, in quantum est contra Matrimonii „ bona; Quantùm autem ad bonum fidei, „ ad quam conjuges æqualiter sibi invicem „ tenentur, tantùm peccat contra Matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius; & hæc causa in utroque „ sufficit ad divortium: Sed quantùm ad „ bonum prolis plus peccat adulterium „ uxoris quàm viri; & ideo major causa divortii est in uxore, quàm in viro; Et sic „ ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur: nec tamen injustè, quia in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam.

Adultera dimissa redire te-

938. Uxor à viro dimissa propter adulterium, ad eum redire tenetur, si revocata fuerit. *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist.

35.

35. Quæstione 1. Articulo 6. ad tertium. *Illud*, inquit, *quod inducitur in favorem alicujus, non facit ei præjudicium: unde cùm divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem: Unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit revocata; nisi de licentia ejus votum continentiæ emiserit.* Hinc Regula Juris 61. in Sexto: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* PARS I. Art. ult. §. 8.

netur.

939. Verùm, vir cogi non potest ad recipiendam uxorem adulteram, quamvis ipse adulterium post Divortii Sententiam ab Ecclesiastico Judice latam, commiserit. Ita docet *S. Thomas* ibidem in Responsione ad quartum. *Propter adulterium*, inquit, *quod vir priùs innocens post divortium committit, secundùm rigorem Juris non debet cogi ad recipiendum uxorem adulteram: Priùs tamen secundùm æquitatem Juris Judex ex officio suo debet eum monere, ut caveat periculo animæ ejus, & scandalo aliorum, quamvis uxor non possit reconciliationem petere.* *At non recipi.*

940. Vir occulti adulterii reus divortium ab uxore, cujus publicum adulterium est sine peccato petere non potest: & dimissam, Judicis licèt Ecclesiastici Sententiâ, recipere tenetur, ac maritali affectu tractare. Ita docet *S. Thomas*, loco mox indicato, in Responsione ad quintum. *Si adulterium viri* *Quid de viro occulti adulterii reo.*

PARS I. Art. ult. §. 8.

sit occultum, inquit, *per hoc non aufertur jus excipiendi contra accusationem viri uxori adulteræ, quamvis desit ei probatio. Et ideò peccat vir divortium petens: & si post Sententiam de Divortio uxor petat debitum vel reconciliationem, vir tenetur ad utrumque*. Idem docet *S. Antoninus* 3. P. Tit. 1. Cap. 21. §. 6. *Si vir*, inquit, *est adulteratus occultè, uxor manifestè, non potest vir sine peccato uxorem dimittere; quia uxori non deficit excipiendi jus, sed probatio. Si tamen vir egisset Pœnitentiam, & uxor nollet agere, sed perseveraret in adulterio, posset sine peccato accusare, & dimittere*.

Hæresis vel apostasia, causa est legitima divortii.

941. Divortium peti, decerni, ac fieri potest ob lapsum alterius conjugum in Hæresim vel Apostasiam, Cap. *De illa* quod *Urbani III.* & Cap. *Quanto*, Quod *Innocentii III.* Responsum est, Ext. *De Divortiis*. Canone *Idololatria* supra citato, seu verbis *S. Augustini* Lib. 1. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. 16. *Idololatria*, inquit, *quam sequuntur Infideles, & qualibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis uxorem dimitti*. Et infra: *Si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, caussâ fornicationis dimittit, non tantùm illius, sed & suæ: illius, quia fornicatur; suæ, ne fornicetur*. Id confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, Dist. 35. Quæst. 1. Articulo 1. in Responsione ad tertium, „ Quia, *inquit*, in-

„ infidelitas, quæ dicitur spiritualis forni- „ catio, etiam est contra Matrimonii bo- „ num; quod est proles educanda ad cultum „ Dei, etiam ipsa facit divortium: Sed ta- „ men aliter quàm corporalis fornicatio; „ quia propter unum actum fornicationis „ carnalis potest procedi ad divortium, non „ autem propter unum actum infidelitatis, „ sed propter consuetudinem quæ pertina- „ ciam ostendit, in qua infidelitas perfici- „ tur.

PARS I. Art. ult. §. 8.

942. Sic & Justa Divortii causa est, si conjugum alter alterum instigat ad mortale peccatum, nec admonitus desistit. Justa enim divortii causa est, si conjugum unus alterum *ad infidelitatis maleficium traxerit*, *seu* Fidei illius *religionem corrumpere velit*; (inquit *Alexander III.* Cap. *Quæsivit*, Ext. *De Divortiis*.) At Religio non solum in Fidei sinceritate, sed in morum Fidei respondentium integritate posita est: nec omnimodis fideles sunt, qui Deum se nosse ore tenus confitentur, factis autem negant. Igitur justa pariter divortii causa est, si conjugum alter alterum instigat ad mortale peccatum, nec admonitus desistit.

Pervicax instigatio ad mortale peccatum, justa est divortii causa.

943. Id confirmat *S. Antoninus*, 3. P. Tit. 1. Cap. 21. §. 7. divortium faciendum esse asserens. „ Quando unus conjugum „ trahit alterum ad crimen: Ita quòd licèt „ non cogatur peccare, tamen propter pe- „ riculum suæ fragilitatis, ne conjugalis so-

S. Antoninus.

PARS I. Art. ult. §. 8. ,, cietas ipsum pertrahat ad peccatum, teneatur ad illud: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te,* Matth. 5. *&c.* Si enim cum periculo corporis non tenetur manere, multò minùs cum periculo animæ: & sicut non tenetur propter periculum infidelitatis cohabitare cum infideli; ita nec propter periculum aliorum criminum, licèt ad nullum possit cogi. Et licèt istud sit gravius quàm alia, tamen minimum periculum mortalis peccati præponderat maximo periculo corporis: licèt in hoc sit dissimile, quòd invito aufertur vita corporis, non animæ.

Ob crimina ex quibus alteri nullum imminet periculũ, divortium fieri nequit.

944. Ob unius conjugum crimina, ex quibus alteri nullum probabiliter imminet animæ, corporisve periculum, Divortium fieri non potest. Cap. *Quæsivit*, mox indicato, cujus hæc sunt verba: *Respondemus, quòd mulier pro furto, vel alio crimine viri sui, ab eo separari non debet.*

Sævitia conjugis justa est divortii causa.

945. Sævitia conjugis justa Divortii causa est; necnon furor ita vehemens ut conjux alter cohabitando vitæ discrimen subeat. Cap. *Literas*, Extra, *De Restitutione spoliatorum*, quod *Innocentii III.* Responsum est: *Si tanta sit*, inquit, *viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri: non solùm non debet illi restitui, sed ab eo potiùs amoveri.*

Quid si Sententia

946. Si Divortii Sententiam per errorem latam fuisse compertum fuerit, conjux qui illam

illam obtinuit, reconciliari tenetur conjugi, & affectu conjugali cohabitare. Ita decernit *Alexander* III. Cap. *Lator*, Extra, *De Sententia & Re judicata*; Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, Distinctione 35. Quæstione 1. Articulo 5. in Responsione ad tertium, ubi de uxore à viro adultero per Judicis Ecclesiastici Sententiam separata: „ Potest (inquit) continentiam vovere „ viro invito, nisi videatur Ecclesiam de„ ceptam fuisse per falsos testes sententian„ do de divortio; quia in tali casu, etiamsi „ Votum Professionis emisisset, restituere„ tur viro, & teneretur debitum reddere, „ sed non liceret ei exigere.

PARS I. Art. ult. §. ult. *Divortii per errorem lata fuerit?*

§. ULTIMUS.

De Secundis Nuptiis & Comparatione Matrimonii cum Virginum & Continentium statu.

947. SEcundas Nuptias damnarunt olim Montanistæ, & Novatiani Hæretici, quorum error his Apostoli verbis 1. ad *Corinthios* 7. refellitur: *Dico autem non nuptis, & viduis, Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant*. Et 1. ad *Timotheum* 5. De Viduis junioribus loquens: *Volo ergo*, in-

Secundæ Nuptiæ ab Hæreticis immeritò damnatæ.

inquit, *juniores nubere, filios procreare, matres familiâs esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ*.

Christianis indulgentur.

948. At vero secundas, imò & ulteriores Nuptias Christianis indulgeri testantur Sancti Patres, *Chrysostomus* Homiliis 19. & 20. in Epistolam S.Pauli ad Ephesios; *Epiphanius* Hæresibus 48. & 59. *Theodoretus* Libro 5. *Hæreticarum Fabularum*, Cap. 26. *Hieronymus* Epistola ad *Ageruchiam*, & in Apologia ad *Pammachium* pro Libris adversùs Jovinianum; *Ambrosius* Libro De Viduis, *Augustinus* Libro *De Bono viduitatis* Capp. 11. & 12. aliique Patres istos sequuti. Et Sacra Synodus Nicæna, Oecumenica prima, inter *Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Dogmata*, quæ scriptis profiteri debent Cathari sive Novatiani ad Ecclesiam redeuntes, Canone 8. id primo loco numerat, *Bigamis communicare*. Quamquam omnes qui ad secundas & ulteriores Nuptias convolabant, quædam olim Ecclesiæ Pœnitentiæ publicæ addixerint, ut constat ex Concilio Neocæsariensi, Canone 3. ex Laodiceno Canone 1. & ex *S. Basilio* Epistolæ ad *Amphilochium* Canone 4. Quæ Disciplina non ideò instituta & usurpata fuit, quod secundæ & ulteriores Nuptiæ malæ censerentur, sed ut frenum injiceretur incontinentiæ, quæ ad secundas & ulteriores Nuptias ut plurimùm impellit. Hinc secundum Matrimonium non esse bonum Patres quidam dixe-

Pœnitentiæ publicæ olim subjecti, qui ad secundas Nuptias convolabant.

Qua de causa.

dixere, *Non quia sit illicitum, sed quia caret illo honore significationis, qui est in primis Nuptiis, ut sit una unius, sicut est in Christo & Ecclesia*: spectarúntque *causam, quæ aliquando solet ad secundas Nuptias incitare, scilicet concupiscentiam*; (inquit *S.Thomas* in 4. *Sententiarum*, Distinctione 41. Quæstione 3. Articulo 1. in Responsione ad primum, & secundum.)

PARS I. Art. ult. §. ult.

Cur Bigami arceantur ab Ordinibus, & ipsorum Nuptiis non benedicitur. Presbyteris prohibitum ne convivio secundarũ Nuptiarũ interessent.

949. Hanc ob causam Bigamos ab Ordinibus arcet Ecclesia, quia licèt secundùm Matrimonium sit verum Sacramentum, à primi tamen mystica significatione deficit, cùm non sit una unius, sicut est in Matrimonio Christi & Ecclesiæ. Et ratione etiam hujus defectûs benedictio secundis Nuptiis subtrahitur. Hinc Neocæsariense Concilium, ut refertur Canone *De his quæ frequenter*, Causa 31., Quæstione 1. prohibuit ne Presbyteri convivio secundarum Nuptiarum intersint. *Homines* enim *Divinis dediti non solùm ab illicitis, sed etiam ab illis quæ habent aliquam turpitudinis speciem arcentur; & ideò etiam arcentur à secundis Nuptiis, quæ carent honestate, quæ erat in primis*; (inquit *S. Thomas* loco mox indicato, in Responsione ad tertium.)

Pœna Sacerdotis Secundas Nuptias benedicentis.

950. Imò Sacerdos secundas Nuptias benedicens, ubi præsertim mulier secundò nubit, ipso Jure ab Officio & Beneficio est suspensus. Ita decrevit *Alexander III.* Cap. *Capellanum*, Extra, *De Secundis Nuptiis*,

Bene-

PARS I. Art. ult. §. ult.

Benedictionem secundis Nuptiis impertiri prohibet etiam *Urbanus* III. Cap. *Vir autem*, sub eodem Titulo: *Cùm*, inquit, *alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet*. Idem vetant Synodus Lingonensis anno 1094. & Parisiensis anno 1557. Quarumdam tamen Ecclesiarum Ritu secundæ Nuptiæ benedicuntur, cùm vir secundam uxorem virginem ducit, ut notant Glossa Canonis *Vir autem*, & *S. Carolus* in Instructionibus De Sacramunto Matrimonii. „ Caveat (inquit) ne quando conjuges in „ primis Nuptiis Benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat; sive mulier, sive etiam vir ad secundas Nuptias „ transeat. Si verò ea consuetudo usquam „ est, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, „ Nuptiæ benedicantur, eâ utendum est. „ Sed Viduæ Nuptias non benedicat, „ etiamsi ejus vir numquàm uxorem duxerit.

Vidua intra annum luctus ad secundas Nuptias transiens nulla notatur infamia.

951. Vidùa intra annum luctûs ad secundas Nuptias convolans nullâ notatur infamiâ. Hanc quidem pœnam Leges Civiles Viduis intra annum luctûs nubentibus irrogarunt *L. 1. Cod. De secundis Nuptiis. Nov. 22.* Cap. 40. Sed illi Legum asperitati indulgentia Ecclesiastica prævaluit ex Apostoli mente, ut docet *Urbanus* III. Cap. *Super illa*, Extra, *De Secundis Nuptiis*, scribens: „ *Cùm Apostolus dicat*, Mulier viro

suo

„ suo mortuo, soluta est à lege viri sui: in „ Domino nubat cui voluerit: *Per licentiam & auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur*. Nec tantùm pœna infamiæ, sed eâdem ratione omnes aliæ pœnæ contra Viduas intra annum luctûs nubentes Legibus civilibus decretæ hodiè sublatæ sunt & antiquatæ; nec est deterior conditio Viduæ intra annum & post annum nubentis.

PARS I. Art. ult. §. ult.

Ad secundas nuptias transeuntibus insultare non licet.

952. Graviter peccant, qui publicis ludibriis, *Charivary* vulgò nuncupatis, secundò nubentibus insultant. Hic enim ludus turpis, insolens, noxius, bonis moribus contrarius, Nuptiis secundis detrahit, & Sacramentum quod Dominus noster Jesus-Christus honoravit, & honorari præcipit, vertere videtur in derisum. Quapropter Excommunicationem & mulctam in illius ludi auctores & complices decreverunt Concilium Andegavense anno millesimo quadringētesimo quadragesimo-octavo, Tit. *De Ludis prohibitis*, Synodi Lingonenses annis 1821. & 1855. & Synodi Trecenses, necnon Statuta Remensis Ecclesiæ, apud L. *Bochellum*, Lib. 3. *Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ*; Tit. 6. *De Secundis Nuptiis*. Concilium Provinciale Narbonense anno 1069. Cap. 22. *Prohibeant*, inquit, *Episcopi ludos, qui impudenter in contemptum secundarum Nuptiarum à permultis fieri solent, Carivarios vulgò appellatos: contumaces & inobedientes pœnâ Excōmunicationis coërceant*.

953. Sta-

PARS I. Art. ult. §. ult.

Heretici sunt, qui statũ conjugalem anteponendum esse statui virginitatis aut celibatus propugnant.

953. Statum virginitatis & cœlibatûs, non esse anteponendum statui Matrimonii, nec majoris esse apud Deum meriti Virgines, aut Viduas, quæ continentiam perpetuam Deo vovissent, quàm conjugatas, Hæresis est olim à *Joviniano* propugnata, à *S. Hieronymo* Libris duobus, *S. Ambrosio* Epistola 42. & *S. Augustino* Libro *De Sancta Virginitate* confutata; à *Siricio* Romano Pontifice, universáque Ecclesia damnata, ut ex illius Epistola ad Mediolanensem Ecclesiam, & ex *S. Ambrosii*, Synodíque Mediolanensis gratulatoriâ ad eumdem Pontificem Epistolâ compertum est. *Joviniani* errorem à *Bucero*, *Brentio*, *Calvino*, aliísque pestibus suscitatum, Sacra Synodus Tridentina confixit Sessione 24. *De Matrimonio*, Canone 10. cujus hæc sunt verba. *Si quis dixerit, Statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel Celibatûs, & non esse melius ac beatius manere in Virginitate aut Celibatu, quàm in Matrimonio; Anathema sit*. Statum scilicet virginitatis viduarum conjugúmque statui disertis verbis anteponit Apostolus 1. ad *Corinthios* Cap. 7. *Qui jungit Matrimonio virginem suam*, inquit, *bene facit*; *& qui non jungit, melius facit*. Et rursus: *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt Mundi, quomodò placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore & spiritu: Quæ autem nupta est*,

est, cogitat quæ sunt Mundi, quomodò placeat viro. Porrò hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Et paulò post de Vidua loquens, ait: *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium: puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.* Hanc doctrinam Apostolis, & per eos Ecclesiæ Christus tradidit, *Matth.* 19. cùm ait: *Sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.*

PARS I. Art. ult. §. ult.

Vidualis castitas suadenda, non imponenda.

954. Viduis suadendum est ut in Statu Viduitatis maneant: A secundis tamen Nuptiis non sunt prohibendæ. Vidualis enim castitas, sicut & virginalis, consilii est, non præcepti, ut post Apostolum docet *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, Cap. 11. Dicimus, inquit, nec sumptibus egere Viduas, quæ donare consueverint, ut Evangelicæ Viduę probat exemplum, quæ in gazophylacium plus omnibus misit: nec subsidio, à quibus sæpè in periculis maximis defensæ copiæ sunt virorum, ut *Judith* & *Debboræ* egregia facinora demonstrant: maritalia iis quoque officia vel à generis, vel à proximis facilè solere reparari, ut ex Historia *Ruth* compertum est, ubi *Noëmi* Vidua apud piam Nurum & solatium mœroris, & subsidium paupertatis invenit: & exemplo Socrûs Simonis, cui *Petrus* ipse & *Andreas* impetrarunt à Do-

PARS I. Art. ult. §. ult.

Domino sanitatem. Promptior ergo in Viduas divina misericordia: & ideo cùm suppetere non videatur causa nubendi, studium abesse debet. *Quod tamen*, inquit, *S. Ambrosius*, *pro consilio dicimus*, *non pro præcepto imperamus*, *provocantes potiùs Viduam*, *quàm ligantes*; *neque enim prohibemus secundas Nuptias*, *sed non suademus*. *Alia est enim infirmitatis contemplatio*, *alia gratia castitatis*. *Licet ergo nubere*, *sed pulchrius est abstinere*. Vidualis itaque Castitatis Status *non imponitur*, *sed præponitur*.

Rationes quibus Viduæ à secundis Nuptiis deterreri possunt. Prima S. Ambrosii.

955. Plurimæ sunt autem rationes, quibus à secundis Nuptiis deterreri possint Viduæ, præsertim illæ quæ filias habent jam penè nubiles, aut filios ex priori marito susceptos. Primò indecentia: Unde *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, Cap. 10. *Cur*, inquit, *maternæ parantur Nuptiæ inter Nuptias filiarum*, *& plerumque post Nuptias*? *Cur adulta filia discit priùs sponsum matris*, *quam suum erubescere*? *Quid sibi vult nova nupta post generos*? *Quàm indecorum est juniores habere liberos*, *quàm nepotes*?

Secunda Ejusdem.

956. Secundò, liberorum amor; unde idem *Ambrosius*, Cap. 15. „ Our hæredes „ quæris extraneos, cùm habeas tuos? Non „ filios desideras, quos habes; sed servitu- „ tem quam non habes ... Molesta pietas, „ ut amare liberos metuas, adspicere libe- „ ros erubescas; atque inde oriatur causa

discor-

„ discordiæ, unde solet mutuus amor mulcere affectus parentum. Generare liberos vis non fratres futuros tuorum, sed adversarios filiorum. Quid est ergo generare alios liberos, nisi spoliare quos habes liberos: quibus pariter auferuntur & pietatis officia, & compendia facultatum? „ Eamdem rationem urget *S. Hieronymus* Epistola 10. ad *Furiam*, De Viduitate servanda. „ Solent, inquit, adolescentulæ Viduæ, quarum nonnullæ abierunt retrò post Satanam, cùm luxuriatæ fuerint in Christo nubentes dicere: Patrimonium meum quotidiè perit: majorum hereditas dissipatur: Servus contumeliosè locutus est, imperium ancilla neglexit. Quis procedet ad publicum? Quis respondebit pro agrorum tributis, parvulos meos quis erudiet, & vernulas quis educabit? Et hanc; proh nefas! causam opponunt Matrimonii, quæ vel sola debuit Nuptias impedire. Superducit mater filiis non nutritium, sed hostem; non parentem, sed tyrannum. Inflammata libidine, obliviscitur uteri sui: & inter parvulos suas miserias nescientes, lugens dudum nova nupta componitur. Quid obtendis Matrimonium? Quid superbiam servulorum? Confitere turpitudinem. Nulla idcircò maritum ducit, ut cum marito non dormiat. Aut si certè libido non stimulat; quæ tanta insania est, in mo-

Et S. Hieronymi.

„ rem scortorum prostituere castitatem, ut „ augeantur divitiæ; & propter rem vilem „ atque perituram, pudicitia, quæ pretiosa & æterna est, polluatur? Si habes liberos, Nuptias quid requiris? Si non habes, „ quare expertam non metuis sterilitatem? „ Rem incertam certo præfers pudori? Scribuntur tibi nunc sponsales tabulæ; ut „ post paululum testamentum facere compellaris. Simulabitur mariti infirmitas; „ & quod te morituram facere volet, ipse „ victurus faciet: aut si evenerit ut ex secundo marito habeas filios, domestica „ oritur pugna, intestinum prælium. Non „ licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis quos genuisti. Clam porriges „ cibos, invidebit mortuo, & nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quòd si de priore uxore sobolem „ habens, domum te introduxerit; etiamsi „ clementissima fueris, omnes Comœdi, & „ Mimographi, & omnes Rhetorum loci in „ Novercam sævissimam declamabunt. Si „ privignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis ut malefica. Si non dederis cibos, crudelis: si dederis, venefica „ diceris. Oro te, quid habent tantùm boni secundæ Nuptiæ, ut hæc mala valeant „ compensare?

Tertia eorumdē, & S. Augustini.

957. Tertiò deterrendæ sunt Viduæ à secundis Nuptiis, Sanctarum Mulierum exemplo; sed maximè Vidualis Statûs excel-

cellentiâ, in quo beatiorem esse perseverantiam, non tantùm suo consilio, sed etiam Dei Spiritu Apostolus definivit. Legantur *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, Cap. 14. *S. Hieronymus* Epistolâ laudata, & *S. Augustinus*, Libro *De Viduitatis Bono*.

Viduarū Christianarum Officia.

958. Non sola Castitas corporis, sed magna & uberrima Disciplina virtutis, Viduam Christianam commendare debet. S. Paulus 1. ad *Timotheum* Cap. 5. „ Si qua „ Vidua filios, aut nepotes habet, discat „ primùm domum suam regere, & mutuam „ vicem reddere parentibus: hoc enim ac„ ceptum est coram Deo. Quæ autem verè „ vidua est ac desolata, speret in Deum, & „ instet obsecrationibus & orationibus nocte „ ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens „ mortua est. Et hoc præcipe ut irrepre„ hensibiles sint .... Vidua eligatur .... Quæ „ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis „ testimonium habens, si filias educavit, si „ hospitio recepit, si sanctorum pedes la„ vit, si tribulationem patientibus submi„ nistravit, si omne opus bonū subsecuta est. „ Vides (inquit *S. Ambrosius* Lib. *De Viduis*, „ Cap. 2.) „ quàm multas virtutum com„ prehenderit disciplinas: Primum pietatis „ officium: secundum hospitalitatis studium, „ & humilitatis obsequium: tertium mise„ ricordiæ ministerium, liberalitatísque „ subsidium: ad summam omnis exsecutio„ nem boni operis flagitavit.

PARS I. Art. ult. §. ult. Luc. 2. 26. *Orationes.*

959. Viduarum exemplar *Anna Prophetissa*, quæ *vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor*: *Quæ non discedebat de Templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte ac die*. Vides qualis Vidua prædicetur, *cui diversorium in Templo, colloquium in prece, vita in jejunio*; inquit *S. Ambrosius* Cap. 4.) Orandi studium diligentiùs Viduis in Scriptura Sacra commendatum. *Hinc Dominus cùm semper ad orandum, & non deficiendum nos hortaretur, Viduam commemoravit, quæ licèt iniquum & impium Judicem, ac Dei & hominum contemptorem, ad audiendam causam suam assiduè interpellando convertit. Quàm ergo præ ceteris Viduæ debent vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quòd omnibus ad suscipiendum orandi studium de Viduis propositum est exhortationis exemplum*, (ut observat *S. Augustinus* Epistola 130. aliàs 121. *ad Probam*.)

Temperantia & jejunia.

960. Orationi comes adjungi debet temperantia, jejuniúmque. Temperantia virtus est feminarum. *Esto igitur Vidua temperans*: *Casta primùm à vino, ut casta possis esse ab adulterio*; (inquit *S. Ambrosius* Cap. 7. Libri *De Viduis*:) Hinc S. Hieronymus, *Furiam* nobilem Viduam instituens: „ Quicquid facit seminarium voluptatum, „ *inquit*, venenum puta. Parcus cibus, & „ venter semper esuriens triduanis jejuniis

„ præ-

„ præfertur. Et multò melius est quotidie „ parum, quàm rarò satis sumere. Quando „ comedis, cogita quòd statim tibi orandum, illico & legendum sit. De Scriptu„ ris Sanctis habeto fixum versuum nume„ rum; istud pensum Domino tuo redde. *Et* S. Augustinus *Epistolâ mox indicata*: „ Pertinet ad vidualem curam, deliciæ si „ affluant, ne apponas cor, ne in eis putre„ scendo moriatur, quod sursum debet esse „ ut vivat.... Debes præ amore veræ vitæ, „ etiam desolatam te putare in hoc sæculo, „ in quantalibet ejus felicitate verseris. *Et* „ *rursus*: Deliciæ spiritales deliciis carnali„ bus in sancta castitate succedunt, lectio, „ oratio, Psalmus, bona cogitatio, bono„ rum operum frequentatio, spes futuri sæ„ culi & cor sursum: Atque in his omnibus „ gratiarum actio Patri luminum, à quo sine „ ulla dubitatione omne datum optimum & „ omne donum perfectum, Scripturâ teste „ descendit. Nam quando pro deliciis nup„ tarum, quas in carne virorum habent, alia„ rum carnalium deliciarum tanquam in „ solatium usus assumitur, quid ego dicam „ quæ sequantur mala, cùm breviter Apo„ stolus dixerit, Viventem mortuam esse „ Viduam, quæ in deliciis vivit?

961. Eleemosyna Jejunio & Orationi à Vidua Christiana jungi debet. Hinc *S. Augustinus* Lib. *De Bono Viduitatis*, Cap. 21. *In vobis*, inquit, *amor divitiarum simul* *Eleemosyna.*

PARS I. Art. ult. §. ult.

frigescat cum amore Nuptiarum; & pius usus rerum quas possidetis, ad spiritales delicias conferatur; ut liberalitas vestra magis ferveat adjuvandis egenis; quàm ditandis avaris: In thesaurum quippe cœlestem non mittuntur dona cupidorum; sed eleemosynæ pauperum; quæ in immensum modum orationes adjuvant Viduarum; Viduæ locupletes uberes eleemosynas erogent: quibus angusta res est, laborent; ut sibi, filiis, pauperibúsque necessaria comparent. *Bona & illa planè laboriosa stipendia castitatis; quæ de suo opere quotidianóque penso conferat Vidua; nocturnis pariter ac diurnis jugi exercens labore pensa temporibus, & pudicitiæ quæstuosa pervigili opere mercedem congregans; ut intemeratum defuncti conjugis cubile custodiat, alere dulces liberos possit ministrare pauperibus. Hæc est præferenda divitibus: Hæc est quæ Christi Judicium non timebit;* [inquit *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, Cap. 5.] Dominica voce illa Vidua omnibus antefertur, de qua dictum est, „*Vidua hæc plus omnibus misit*: In quo mo„raliter Dominus instituit universos, ne quis „à collatione ministerii paupertatis pudore „revocetur; nec sibi divites blandiantur, „quod plus videantur conferre quàm pau„peres. *Uberior est enim nummus è parvo, quàm thesaurus è maximo; quia non quantùm detur, sed quantùm residеat, expenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui nihil*

sibi

sibi relliquit . . . . Denique nulla plus tribuit, quàm illa, quæ de filiorum alimentis pavit Prophetam. Et ideò quia nulla plus contulit, nulla plus meruit. PARS I. Art. ult. §. ult.

962. Viduæ Christianæ bonæ famæ curam gerere debent, non liberiori conversatione pravis suspicionihus, & ignominiosis rumoribus occasionem præbere. Ita *Furiam* instituit *S. Hieronymus* Epistola 10. „ Juvenum fuge consortia. Comatulos, comptos, „ atque lascivos, domûs tuæ tecta non videant. Cantor pellatur ut noxius. Fidicinas, & psaltrias, & istiusmodi chorum „ Diaboli, quasi mortifera Syrenarum carmina, proturba ex ædibus tuis. Noli in „ publicum subinde procedere, & viduarum „ circumferri libertate. Pessimæ consuetudinis est, cùm fragilis sexus, & imbecilla „ ætas suo arbitrio abutitur, & putat licere „ quod libet. Omnia quidem licent, sed non „ omnia expediunt . . . . . Interdum animus „ dominarum ex ancillarum habitu judicatur. Sanctarum virginum, & Viduarum „ societatem appete. Et, si sermocinandi „ cum viris incubuerit necessitas, arbitros „ ne devites: tantáque confabulandi fiducia „ sit, ut intrante alio nec paveas, nec erubescas. *Et Epistola ad* Salvinam, *De servanda Viduitate*. Tenera res, *inquit*, in fe„ minis fama pudicitiæ est, quasi flos pul„ cherrimus citò ad levem marcescit auram, „ levíque flatu corrumpitur, maximè ubi *Bonæ famæ cura.*

 „ &

PARS I. Art. ult. §. ult.

„ & ætas consentit ad vitium, & maritalis „ deest auctoritas, cujus umbra tutamen „ uxoris est. Quid facit Vidua inter familiæ „ multitudinem, inter ministrorum greges? „ Quos nolo contemnat ut famulos, sed ut „ viros erubescat, &c. Habeto tecum vi- „ duarum & virginum choros, habeto tui „ sexûs solatia.

S. Augustinus.

963. Idem confirmat *S. Augustinus*, Libro *De Bono Viduitatis*, Cap. 22. „ In om- „ nibus spiritualibus deliciis, *inquit*, quibus „ fruuntur innuptæ, sancta earum conver- „ satio cauta etiam debet esse, ne fortè cùm „ mala vita non sit per lasciviam, mala sit „ fama per negligentiam. Nec audiendi sunt „ sive viri sancti, sive feminæ, quando re- „ prehensâ in aliquo negligentiâ suâ, per „ quam fit ut in malam veniat suspicionem, „ unde suam vitam longè abesse sciunt, di- „ cunt sibi coram Deo sufficere conscien- „ tiam, existimationem hominum non im- „ prudenter solùm, verùm etiam crudeliter „ contemnentes; cùm occidunt animas alio- „ rum, sive blasphemantium viam Dei, qui- „ bus secundùm suam suspicionem quasi „ turpis quæ casta est displicet vita sancto- „ rum, sive etiam cum excusatione imitan- „ tium, non quod vident, sed quod putant. „ Proinde quisquis à criminibus flagitiorum „ atque facinorum vitam suam custodit sibi „ bene facit: quisquis autem etiam famam, „ & in alios misericors est. Nobis enim ne-

„ ces-

„ cessaria est vita nostra, aliis fama nostra: & „ utique etiam quod aliis ministramus mi„ sericorditer ad salutem, ad nostram quo„ que redundat utilitatem. Unde non fru„ stra Apostolus, *Providemus*, inquit, *bona, non solum coram Deo, verùm etiam coram hominibus*. Item dicit, *Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*. In quadam etiam exhortatione dicit, *De cetero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque sancta, quæcumque justa, quæcumque casta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me*.,, Cernis quemadmodùm in„ ter multa, quæ exhortando commonuit, „ non neglexerit ponere, *Quæcumque bonæ* „ *famę*; duobúsque verbis cuncta concluse„ rit, ubi ait, *Si qua virtus, si qua laus*. „ Ad virtutem namque pertinent quæ anteà „ memoravit bona: Fama verò ad laudem. „ Puto quòd non laudem hominum pro ma„ gno sumebat Apostolus.... Sed illorum „ duorum, id est, bonæ vitæ, & bonæ famæ, „ vel quòd breviùs dicitur, virtutis & lau„ dis, unum propter se ipsum sapientissimè „ retinebat, alterum propter alios miseri„ cordissimè providebat. De Impedimentis Matrimonii vide P. 2. in Appendice ad hoc Sacramentum.

F I N I S.



INDEX ARTICULORUM, ET PARAGRAPHORUM.

§. XIV.

§. V.

FINIS.



INDEX ARTICULORUM, ET PARAGRAPHORUM.

§. V.

§. V.

§. VI.

FINIS.



